# TRACTATVS
# DE SENATORIBVS
SIVE
# COMMENTARIA
Ad N.C. Mediolani hoc titulo.

*OPVS NOVVM*

Vtile, & necessarium maximè Tribunalibus Supremis.

*Continens ferè omnia concernentia illorum auctoritatem, & præseferens maximam eruditionem.*

AVCTORE

## IVLIO CÆSARE RVGINELLO

I. C. MEDIOLANI.

Cum Summarijs, & duplici Indice, altero Argumentorum, & altero Materiarum.

*CVM PRIVILEGIIS.*



MEDIOLANI, M.DC.XCVII.

Ex Typographia Caroli Iosephi Quinti ad Platea Mercatorum.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

DE mandato Reuerendissimi Patris Magistri Prosperi de Leonibus, in Ciuitate, & Statu Mediolani Inquisitoris Generalis, vidi Ego infrascriptus, & attentè perlegi Librum, cui Titulus est *Commentarij ad Cæsareas Constitutiones Prouinciæ Mediolanensis in Tit. de Senatoribus, Auctore Iulio Cæsare Ruginello I.C. Mediol. &c.* in quo nihil prorsùs Fidei, & Catholicæ Doctrinæ repugnans, vel bonis moribus aduersum inueni, sed vtrique Iuri, Christianæ Politicæ, ac rectæ Iustitiæ Dogmatibus cuncta eruditissimè consona obseruaui. Quapropter I.C. summè perutilem tantam in commentando industriam iudicando, dignum etiam quod Typis mandetur censeo. Dat. Mediolani in Conuentu Sanctæ Mariæ Giardini Kalendis Aprilis 1691.

*Fr. Angelicus à Mediolano Ord. Min. Reformat.*
*Sanctissimæ Inquisitionis Consultor &c.*

IMPRIMATVR.

Fr. Prosper de Leonibus Inquisitor Mediolani.

Bartholomæus Crassus pro Eminentiss. D. D. Cardinali Vicecomite Archiep.

Franciscus Arbona pro Excellentissimo Senatu.

# ILLVSTRISSIMO D. D. COMITI

# DON LVCAS PERTVSATO

## Supremi Italiæ Consilij Regenti, & Excellentissimi Mediolani Senatus Præsidi meritissimo.

EXcitauit me ad editionem huius Operis fama celeberrimi Auctoris, & Illustrissimus ex amplissimis Patribus Bonettus in eius Armamentario cap. 4. §. 3. n. 7. per hæc verba. De Senatu Excellentissimo huius Prouinciæ Mediolani plura congesserunt Horatius Laudus peculiari tractatu. Garon. in comment. ad tit. de Senatoribus in N. C., & multò plura eruditissimè Ruginell. simili commentario adhuc tamen non impresso, & cum vidissem alia encomia Auctoris, & eius antiquissimæ familiæ penès Picinellum nel suo Ateneo de' Letterati Milanesi, in verbo Giulio Cesare Ruginello, vbi inter cætera asserit: Giulio Cesare Ruginello famoso Iurisconsulto hebbe l'intelletto non ruginoso, mà così terso, che seppe dar al Mondo Volumi, che seruono d'alto Magistero a' Professori, e vengono dall' Eccellentissimo Senato molto apprezzati: & quia noster Auctor in casu peculiari laudatur à Pacichel. de dist. cap. 11. n. 13. in medio, eo, quod benè ponderauit quæstionem, ac vrgentibus insignioribus etiam virtutum, antiquitatis, & nobilitatis documentis per nobilem eius successorem Balthassarem impressioni commendatis, illicò inuasit me zelus efferuescentis deuotionis erga Amplissimum hunc Ordinem, vt statim opus, cui deficiebat integer Index materiarum, egomet compleuerim, proprijsque sumptibus ad illud typis committendum euolauerim in pignus, testimonium, ac tributum humilimi obsequij, cui quoque adnectenda parauerам collectanea singularium Dominij Mediolani, nec addidi, quia creuerunt in integrum volumen breui edendum.

Verùm vix cogitare audebam de opere dicando meritissimo tantæ Maiestatis Præsidi territus radijs absolutæ, altæ, ac supremæ auctoritatis Excellentissimo huic Senatui in rebus Iustitiæ spectantis, in quibus priuatiuè etiam, quo ad Excellentissimum Gubernatorem omnia potest, vt ex ord. vormat penès Garon. à pag. 27. vsque ad 30., quos exornat Illustrissimus Senator Bonet. in suo Armament. cap. 25. n. 17., & Sadarin. respons. 12. num. 113., & seqq.

Tum quia Amplissimus hic Ordo maximam habet auctoritatem, & eam, quam habet ipsemet Rex Hispaniarum circa Iustitiæ administrationem. Oldrad. de rescriptis prælud. 1. n. 7. p. 1., & ipsum Regem representat n. 4., ac eius vices, & voces gerit, Supremusque Dominus, cum à Maximo Principe, & Cæsare auctoritatem habeat, n. 14., & 16.

Et Diuino quodam afflatu sancire solet suas Sanctiones Caluin. de æquit. lib. 1. cap. 1. num. 24. Quamobrem vt alij tutiùs iudicent possunt graui exemplo Sacri huius Concistorij causas definire, etiam si casus esset dubius Illustrissimus, ac Doctissimus Senator Redenascus dignus tanto filio successore virtutum, & dignitatis, optimè de Republica merito cons. 84. lib. 1. num. 15. ibique referuntur nonnulla erudita carmina in laudem Senatus Excellentissimi, qui pariter vocatur maximus, optimus, & prudentissimus Oldrad. de rescriptis prælud. 1. par. 1. n. 26., & Excellentissimus n. 45., adeò vt maximæ, supremæque eius auctoritatis gratia, vbi ipse declarauit aliquid, sufficit dicere, ita censuisse Excellentissimum Senatum, nec sit quidquam vlteriùs quærendum. Bonden. dicto loco, & eius decisio, à quo tamquam à Delphica Cortina certa redduntur oracula, facit ius, quo ad omnes Sadarin. respons. 46. num. 32., & 33. imò pro lege habetur. Idem dicto loco, & Tranchedin. cons. 3. num. 7. Illustrissimus, & eruditissimus Senator Redenasc. cons. 86. num. 16., & seqq., & potest condere legem, etiam, si sit contra communem Cardinalis Tuscus litt. S. verbo Senatus Mediolani, vbi alia in eius laudem: nec tenetur seruare Statuta, etiam à Principe approbata Boss. pract. crim. tit. de homicid. num. 43., & singulare est, quod scripsit Cauat. in oculo Reipub. par. 4. num. final. Excelsum nostrum Senatum esse multorum Regum consessum, & vti talem humiliter venerari ad instar Romani.

Infini-

*Infinitas alias summæ æstimationis laudes præter eam Maiestatis communiter à DD. admissam cumulant* Garonus, & Landus hoc titulo, Oldrad. passim de rescriptis, Illustrissimus Bonet. dicto loco, Sadarin., Tranchedin. in epistola dedicatoria ante eorum consilia, Fayardo alleg. Fiscal. 48. num. 37. *ideoque nulla datur proportio laudum, vbi indefinita est auctoritas, infinitum meritum, immensa sapientia, quæ vix comprehendi, nedum explicari posse agnosco.*

*Verùm fidens in æquitate, quæ etiam non scripta, sibi tamen propria est, & consueta teste* Zauatario in antiqua praxi fori Mediolani num. 5. *proceditque ex bono, & æquo* noster Auctor pract. quæst. cap. 43. num. 47.

*Tum, quia non Iudicis solùm, sed parentis veri munere fungitur* Caren. resol. 2. num. 36., *& est omnium parens clemens* Oldrad. prælud. 1. par. 1. num. 49. *ad mediam viam solet amplecti* Sadarin. responf. 48. num. 4. *non rigorem: Debiliumque protector est* Zauatar. dicto loco num. 276. *Et omnium defensor* noster Auctor pract. quæst. dicto cap. 43. num. 47., *decreui, quòd hæc, sicut omnia Iustitiam concernentia ad pedes Illustrissimi Præsidis tui, tanquam ad centrum, refluerent, cùm à te cuncta virtutes emanent, & sis fons viuus, lex animata, & oraculum nostrarum regionum, in quibus tu solus circa rectam Iustitiæ administrationem superemines, Spirituque Diuino ductus quasi numen Iustitiæ, ac prudentiæ veneraris; Cumque ad te etiam exteri ipsi Principes, & maiora orbis Tribunalia veluti ad oraculum vniuersale, & infallibile confugiant, ac causas grauissimas supplices committendo decidendas implorent persæpè, & de te ipsamet Sacra Rota Romana Tribunalium magistra passim loquatur verbis magnæ venerationis, nec à tuis sententijs soleat recedere; Propterea non solum Pater patriæ, sed vniuersalis communiter inuocaris, diligeris, & timeris.*

*Tibi ergo soli vti Patri, naturaliter debebam me, & opus procumbens offerre; restituo, quod tuum est, & de te agens Legislatore competentem non video præter te ipsum, qui es suprà legem ex* Oldrad. dicto loco num. 46.

*Tu itaque præclarissimæ Præses Prælibatæ, qui inter tot sidera, quot Senatores Mediolanensis firmamenti luminare maius præfulges, tamquam emeritum caput tanti corporis, & Summus Dux, imò inter tot Reges Imperator, ne dedigneris operis tributum, & tui Senatus Excellentissimi laudes, vti proprias fouere, cum Gloria tui Excelsi Concistorij tua sit principaliter, quia clarioribus præesse præclariùs, quòd tamen inter infinita virtutum, ac magnitudinis tuæ merita, & nobilitatis propriæ, Guascorumque Prosapiæ antiquissimæ, præcipuæ ex patritijs Insubriæ, non est maius attributum, quamuis sublime.*

*Sis ergo obsecro æquali clementia digna te, sidus, & numen propitium, tuis radijs foueas, & benignos influxus operi, ac Deuoto Oblatori donare digneris. Quem Deus conseruet ad publicum bonum.*

*Dominationis tuæ Illustrissimæ*

*Humillimus, addictissimus, & deuotissimus Seruus*

Ioannes Franciscus Fortis I. V. D.
ab Horta in Riparia Hortæ.

# Summa Capitum §. primi.

## PRÆFATIO.

**DE SENATORIBUS.**

*Senatus quid sit.*
*Senatus Mediolanensis origo qua.*
*Senatusconsultum quid.*
*Senatus constituendi causa.*

**§. Primus.**
**Vnus tantum in Dominio Mediolani Senatus sit.** — Glos. I.

*Senatus cur vnus tantùm.*
*Senatum vnum esse, an melius sit, quàm in classes, aut decurias diuisum.*
*Dominium verbum in hoc textu quid significet?*
*Mediolanensis prouinciæ descriptio.*

**Mediolanique resideat.** — Glos. II.

*Senatus Mediolani cur residere debeat.*
*Mediolanum vrbs qua.*
*Residere quis dicatur.*
*Residens in suburbijs vel propè vrbem, an dicatur in vrbe residere.*

**Præses & Senatores.** — Glos. III.

*Præses quis. Præsidis munus ceterorum grauissimum.*
*Præsides Mediolanensis Senatus quos hactenus fuerint, & eorum encomia.*
*Senator vnde dictus.*
*Senatorum numerus.*
*Senatores à quibus nominentur, approbentur, & legantur.*
*In Præsidis, & Senatoris demortui locum curandum omnino esse, vt magis idoneus R. M. nominetur, proponaturve.*
*Nominationem quæ minus æquam, vel suspectam reddant.*
*Nominatio vtrum suffragijs apertis, vel tacitis, aut sorte facienda.*
*Nominatione indignum quæ vitia faciant.*
*Ætas legitima in Senatore qua.*
*Vxorem qui habet, esse ad Senatoriam dignitatem R. M. proponendum.*
*Paupertas an obesse possit, ne quis ad gradum Senatoris ascendat.*
*Infirmitas corporis an obesse debeat, ne quis fiat Senator.*
*Aspectus & forma corporis in Senatoribus deligendis attendi debet.*
*Mores, eius qui nominandus, esse spectandos.*
*Grauitatem in Senatore necessariam esse.*
*Bonum virum esse debere candidatum, & quibus signis vir bonis dignoscatur.*
*Iurisperitis, qui consulendo, aut publicè legendo operantur, vtrum munus senatorium sit decernendum an illis potius qui in Aduocati, patroniue aut iudicis officio sunt versati.*
*Digniores esse proponendos.*
*Digniores, & meliores qui dici possint.*
*Digniores, qui non nominat, vel non legit, grauiter peccare.*
*Familiæ eiusdem an liceat duos in Senatu esse.*
*Oriundi ex vnaquaque huius Dominij Ciuitate an sint eligendi.*
*Aduenæ & peregrini an sint eligendi.*
*Clerici & religiosi an in Senatum legendi.*
*Equites an inter Senatores liceat cooptare.*
*Rogati inuitique potius, quam petitores an sint nominandi vel ligendi, & vtrum liceat honores vltro oblatos repudiare.*
*Viuentis in locum neminem esse proponendum, legendumue.*
*Disputandum non esse de electo.*
*Magistratus petendi qui mos apud veteres fuerit.*
*Qui nunc apud nos mos legitimus sit.*

*Senatus locus qualis.*
*Senatus pro tempore habendus.*
*Senatum adire qui cogendi.*
*Sedere cur debeant Præses & Senatores.*



Quod

Qui in eo sedebunt.

Glos. IV.

- *Quod iuramentum praestet Senator antequam sedeat, singularumq; partium ipsius iuramenti vis.*
- *Sedendi ordo in Senatu quis.*
- *Ex duobus vel tribus eodē tēpore electis quis in loco praferēdus.*
- *Praferendus an sit prius electus alteri post electo, qui tamen prius possessionem sit adeptus.*
- *Sedere quo in loco debeat priuatus officio, mox illi restitutus.*
- *Loqui quis prius ex sedentibus debeat.*
- *Sententia lata Senatoribus non sedentibus an nulla.*
- *Praside absente, an Senatus haberi possit, & eo deficiente quis suppleat.*

Eorumq; Secretarij.

Glo. V.

- *Secretariorum officium, & praerogatiua quae.*

Fruantur & gaudeant priuilegijs praerogatiuis, immunitatibus, libertatibus, & commodis, quibus praeteritis temporibus, Praeses, Senatores, & Secretarij frui, & gaudere consueuerunt.

Glos. VI.

- *Declaratio verborum tex.*
- *Senatoris & Senatus quae pracipua.*
- *Qua ratione Praeses solus, Senatoresuè, qui lectores dicuntur, supplicantium petitiones plerasque, cum ipsius Praesidis approbatione audiant, vel recipiant.*
- *Senatoris audientia alia priuata alia publica; ipsiusque audientiae partes, & defectus.*
- *Per recursum siue supplicationem quomodo concedatur publica audientia. Item de aduocatis, & quomodo audiendi.*
- *Qui dies audientiae assignati.*
- *Facti species inter partes probanda, conciliandaque.*
- *Peritos aliquando consulendos.*
- *Componenda quando sint partes.*
- *Referendi ratio.*
- *Rogari vtrum statim debeant sententiae cum aduocati auditi fuerint, vel relatio facta.*
- *Ordo quis rogandarum in Senatu sententiarum.*
- *Vota quomodo danda.*
- *Votum suum an possit mittere absens.*
- *Vota an colligi possint, cùm aliqui tantùm in Senatum ingressi sunt, alijs non expectatis.*
- *Vota an colligantur, si vnus, vel plures discedant.*
- *Expectandus an sit, petens tempus ad deliberandum.*
- *A sententia dicenda an possit se eximere Senator.*
- *Sententiae dicendae modus quis melior.*
- *Dubia in re quomodo iudicandum.*
- *Praesidem vel Senatores si causa tangat, quomodo agendum: & quando Praeses, Senator, vel Senatus dici possint suspecti.*
- *Vota si sint pari numero.*
- *Sententiae iam latae manum non esse apponendam.*
- *Secreta non esse reuelanda à Senatoribus.*
- *Senatui Romano quis honor habitus fuerit, & qui Senatui Mediolanensi habeatur deque vtriusque Senatus comparatione.*
- *Tituli quibus Senatus Romanus, & quibus Mediolanensis fuerit decoratus.*
- *De quibus causis cognouerit Senatus Romanus, & de quibus Mediolanensis.*
- *Senatus Romani, Mediolanensisq; auctoritas in legibus ferendis.*
- *Senatus auctoritas in Magistratibus creandis, eisq; priuandis.*
- *Senatus potestas in legationibus decernendis, ciuiumque controuersijs dirimendis.*
- *Senatori necem moliens, an laesae maiestatis reus sit.*
- *Senatum nullum habere superiorem praeter Principem, & de Senatoribus quis iudicet.*
- *Onerum immunitate potiri debere Senatores.*
- *Forum Senatoris quod.*
- *Arbitrium Senatus Romani quod.*
- *Senatu inconsulto quae fieri nequeant.*

Sintq; in dicto munere perpetui.

Glos. VII.

- *Magistratus an perpetui esse debeant.*
- *Verborum ad nostrum beneplacitum, & similium vis.*
- *De sui ipsius vocatione, & quomodo cognoscatur.*
- *Abdicare se munere suo an liceat Praesidi, vel Senatoribus.*

*SVM-*

## SVMMARIVM.

1 *Qua ratione Author hæc suæ ediderit commentaria.*
2 *Reprehensos in sacra scriptura fuisse qui talenta in terram absconderunt.*
3 *Cur titulum hunc de Senatoribus, & non alium huius constitutionis tit. sit Author aggressus, & num. seq.*
4 *Constitutio de Senatoribus est omni iuris varietate referta, & num. seq.*
5 *Rescriptorum Sedes ad tit. de Senatoribus ratione accomodatur.*
6 *Omnia, quæ in hoc tit. de Senatoribus pertractantur, referuntur.*
7 *Aliorum scribentium imitatio non improbanda.*
8 *Cur scribentium dicta de verbo ad verbum citentur.*
9 *Amplitudinem Senatus Mediolanensis non satis notam exponere intendit Author.*
10 *Ordinem scripturæ, proprietatemq; verborum, ac dicendi communem vsum sequutus est Author.*
11 *Iudices eos interpretes sequi quos agnoscunt in singulis materijs quamplurima congessisse, & maxime controuersa pertractasse.*
12 *Rationibus, & auctoritatibus grauissimorum virorum saltem credendum.*
13 *Non paruifacienda ea, quæ ad iusti imperij effigiem inducuntur.*
14 *In longiori scriptura doctiores quandoque lapsos, & quomodo aliorum scripta intueri liceat. num. 15.*
16 *Ex huius primæ partis lectione geminam lector consequi poterit vtilitatem.*

## PRÆFATIO.

EA eſt pingendi vera, exactaque ratio, vt
ſi Erois alicuius egregia facta coloribus
ornanda ſint ampliſſima in aula, debeat
pictor aulæ ipſius partibus omnibus dili-
genter dimenſis, hiſtoriam in tabulas præcipuas
diuidere, atque eas opportuno loco collocare; vt
tandem cuncta perfectè elaborata, & ordine diſpo-
ſita appareant. Cum autem ſingulas hiſtoriæ actio-
nes vno, & eodem tempore penicillo imitari, atque
comprehendere nequeat; conſultò vnam tantùm,
eamque in ordine primam aggreditur, quam dein-
de pro viribus varia pictura exornatam, & ad vi-
uum delineatam oculis omnium ſubijcit: cum exi-
ſtimet, ſatius eſſe, ſi quid etiam modicum, omnibus
partibus haud abſolutum publicè exhibeat, quàm
totum opus ad perfectionem vſque differat: ex quo
interim illud ſaltem conſequatur, vt ſi quid in priori
tabula admiſſum eſt erroris, qui ad cæteras trahi
poſſit, illud facilè corrigere, emendareq; valeat.
1 Hoc ego exemplo ductus, cum ampliſſimum de Se-
natoribus Titulum, qui in Cæſareis huius ditionis
Mediolanenſis conſtitutionibus habetur, commen-
tarijs meis illuſtrare decreuiſſem, & illum in §§.
diſpoſuiſſem: hunc vnum è multis priorem §. à me
excerptum, & pro virili iam exornatum (quem
nonniſi toto operi perfecto in lucem edere ſtatue-
ram) nunc quorundam amicorum ſuaſionibus im-
pulſus, in publicum emittere, & typis excudendum
tradere volui. Cæteros autem §§. ſiuè reliquas ta-
bulas polliceor, me primo quoque tempore diuul-
2 gaturum; Quid enim laudis, quid gratiæ, quid
denique mercedis artifex conſequitur ex imagine,
quamuis ſcitè & affabrè facta, ſi recluſum in abſcon-
dito deliteſcere opus patiatur, nec aliquando ocu-
lorum committat iudicio? reprahenditur ille meri-
to in ſacris litteris, quod talentum ſibi traditum ef-
foderit, & in terram abſciderit.

Opus hoc laborioſum, minus vero vtile dicent
forſan ij, qui negotia duntaxat forenſia exquirunt,
& Lucillam, ſiue meſſem auream ſectantur, quibus
etiam veræ iuriſprudentiæ nomen eſt miſſum mira-
bunturq; in hac re tantùm me operæ, & temporis
poſuiſſe. Cauſam inſuper ex me quærent, cur non
alium potius ipſius Conſtitutionis titulum foro ma-
3 gis accommodatum ſim aggreſſus. Quibus vt ſa-
tisfaciam, huius mei ſuſcepti muneris rationem
paucis aperio. In primis ſciant, me, cùm primum
in paleſtram iudiciariam deſcendi, plurimas ani-
maduertiſſe ſuper obſeruantia, & interpretatione
harum Conſtitutionum quæſtiones, & difficultates
in dies oriri, itaut ad eas enucleandas, ſedandaſvè
vel aliquorum interpretum opera (vti multos Con-
ſtitutiones alias, iuraq; municipalia ſcriptis ſuis
exornaſſe nouimus) vel Senatus declaratio deſide-
raretur. Cum autem hoc onus eiuſmodi eſſet, vt &
tempus non modo, ſed animum quoque ab omni
cura vacuum requireret; dicebatur illud neminem
4 adhuc auſum fuiſſe aggredi. Addebant huius rei
molem immenſam ex natura plurimorum titulo-
rum, varietateq; materiæ, vt ſinguli Conſtitutio-
num ipſi tituli iuſtum volumen non ſolum require-
rent, ſed etiàm eorum aliqui plura volumina. Hæc
animo ſæpiſſime mecum reuoluens, exiſtimabam
fieri non poſſe, vt ab vno dumtaxat rectè perfici
poſſent, & ab eo minus, qui ſe foro addixerit; nam
ſi quando ad muſas, vel quietiora ſtudia diuertat,
notum eſt, quàm faſtidioſè in cætum earum recipia-
tur litium praxis, ipſaq; forenſis cauſarum tractatio
rudis eſt & aſpera ſcabroſa, ac propè aliena à muſis
humanioribus. Id autem excuſat circumfuſa nego-
tiorum (quibus foro obſeſſi, & oppreſſi vix reſpirare
poſſumus) multitudo. Interim tamen negotiorum
forenſium occaſione ductus nonnulla meo iudicio
notatu digna obſeruare cæpi, ea ſolum ratione; vt
ſi quando tali quid iterum in diſputationem cade-
ret, illorum obſeruatione iuuaret. Creuit opus ali-
quantiſper, & illud ſanè neque elaboratum, neque
compactum, ſed congeriei cuidam ſimile: venerunt
ſimul occupationes tum priuatæ, tum publicæ: &
tandem mihi neceſſe fuit à patria ipſius vtilitatis
cauſa abeſſe, & in Curia Regia morari, ſuſceptumq;
illud munus per al quot annus diſerere. Poſt reditum
autem, labores illos meos ſuper huius Conſtitutio-
nis de Appellationibus titulo, aliquorum auctori-
tate ductus, in certam, vſuiq; aptam formam rede-
gi, & vt emanarent penè coactus permiſi. Mox
animum ad eaſdem conſtitutiones adieci, ordinemq;
titulorum earundem ſequutus (omiſſo tamen priori
de Iudeis) ſecundum de reſcriptis, & mandatis 5
Principum titulum ſum aggreſſus opere autem ab-
ſoluto, quia videram commentarios illos reſcripto-
rum ampliſſimam tractationem complecti, proprie-
tatem verborum, & caſus in eadem conſtitutione
expreſſos excedentem; eos diuidendos eſſe duxi, vt
ſua hæc quæque loca propriam ſedem obtineant.
Atque ideo Titulum hunc de Senatoribus, qui illum
de Reſcriptis ſubſequitur, inter cæteros delegi, pre-
poſitæ Reſcriptorum tractationi ſatis aptum, vt in
eo enucleando vterque titulus propria dote ornare-
tur. Præter id, quod textus ipſe de Senatoribus eſt
vniuerſi iuris varietate refectus adeo, vt ſplendido,
magnificòq; conuiuio per quemlibet periculum fa-
cientem rectè comparari poſſit. Hunc autem in 6
tabulas, partes, ſiue §§. diuidebam XV. ſeparatam
vnumquemque materiam referentes, vt ſunt in
conuiuio epularum, cupediarumq; ſpecies directæ.
Si aulam, ſi ſubſellia, ſi conuiuas, ordinem ſedendi,
eorum ſermones; ſi dominum, cuius iuſſu, & expen-
ſis, quauè de cauſa fiat, aut quos parandorum bel-
lariorum gnaros, & in adornandis edulijs exercita-
tiſſimos; ſi conditores, inſtructoreſq; conuiuij quæ-
rebam; eos omnes in eo ipſo ineſſe iuſtiſſimè crede-
bam, ac tales reperiri exiſtimabam, vt guſtui vni-
cuique accidere poſſent, ita refectus eſt totus tex.
politicis præceptionibus. Senatus ampliſſimi ſpeci-
men, effigies elimatè, & ad lineam effectum, veriſq;
coloribus delineatum, ſi exhibeatur; erit ſanè in-
tuenti iucundiſſimum, potiſſimùm ſi ſpectanda pro-
ponatur eius origo, cauſa, locus, numerus Senato-
rum, à quibus nominentur Præſes, & Senatores,
probentur, & legantur, qua ætate, quibus moribus,
virtutibus, ex qua familia, quàm ciuitate eligendi:
quo tempore habeatur Senatus, quomodo, quouè
ordine Præſes, & Senatores ſedeant, horum munus,
maieſtas, auctoritas prærogatiuæ, commoda, pri-
uilegia: huiuſq; Mediolanenſis Senatus cum Roma-
no appoſita comparatio, & quæ ſint Secretariorum
Senatus partes, quæ omnia in hoc §. primo fuerunt
ſaltem ordine deſcripta.

Vbi vero alia quærat, vt ſunt hominum diſſimilia
palata, alia quoq; permulta a nobis copioſè tradita
reperiet.

Praxim nimirum expediendarum in Senatu supplicationum, libellorumvè, ac vsitatum Cancellariæ stylum in eod. §. i. glos. v. & vi.

Rescriptorum sedem, & plenam tractationem; in § ij. parte ij. vbi egimus etiam de Approbatione Constitutionum Principis, earumvè Reformatione, declaratione, siuè interpretatione; de Dispensationibus, Habilitationibus, temporum Prorogationibus, ac in integrum restitutione.

Item de Senatus Auctoritate, de lege Regia, ac ipsius authoribus.

Item vtrum possit Princeps voluntati defunctorum derogare; Egimus de

Priuilegiorum interpretatione in vij.

De Senatus officio mero, ac de eo, quod parte petente impartitur; locus erit in §. iij. vbi de Iustitia, & Æquitate plenissimè, potissimùm quibus in casibus æquitati locus esse debeat, quod per plures facti species demonstratur; & item de

Euocatione copiosius tractatus, hoc est quando Senatus causas aliorum tribunalium, vel iudicum ad se trahere possit.

De Feudis in §. vi. vbi ea præcipuè, quæ ad tit. de Feudis infra pertinent explicata sunt. ac Senatusconf. illustrata.

De quibus causis potissima sit Senatus cognitio, quæ arduæ sint, & magnæ causæ.

Quæve finium regundorum controuersias respiciant in vij.

De causis, quæ via appellationis ad Senatum deuoluuntur, & qua ratione in viij.

De Approbatione, Confirmationeq; priuilegiorum, gratiarum, litterarumvè quarumcumque principalium, earumq; Præsentatione, & interinatione in ix.

De Senatus potestate aduersus Iusdicentes omnes, in §. x. quo loco etiam tractantur ea, quæ vitio iudicibus adscribi, quæve in eis reprehendi queant, & item de Sindicatu vtilis tractatus.

De executione sententiarum Senatus, dequè aduersus eiusdem sententias Supplicatione, Reuisione, atque in Integrum Restitutione in xi.

De legibus, & Decretis in xij. nempè vtrum Senatus leges condere possit, quas prouisiones, & quibus in casibus facere queat.

Quanta sit Senatus auctoritas, & arbitrium in causis criminalibus amplissimè scripsimus in xiij vbi & quæ iuris sunt, & quæ vsu obseruata fuerint, non prætermisimus.

De Senatoris vero, ac Senatus arbitrio in §. i. glos. vj. cap. pen. & in §. ij. glos. i. c. iij. & iv.

Quando, quibusvè in casibus Senatus auctoritas potestati Principis æquiparetur, adinuenies hoc in §. xiv. vbi etiam de Brachio Regio, & Manu Regia. Et item quod sit huius Prouinciæ Gubernatoris, seu moderatoris munus, & auctoritas.

De remissione delictorum, seu de Gratijs, item de saluo conductu in xv.

De his, quæ inconsulto Senatu fieri nequeant, tractauimus in §. i. glos. vj. cap. vlt.

Quot hactenus fuerint in hoc Senatu Mediolanensi Præsides, & eorum encomia, quotq; Senatores in eodem §. i.

De origine Papiensis Gymnasij, lectoribus, eorumve salario in iv.

De Præfecto vj. virum valetudinis, seu de ipso Tribunali sanitatis tuendæ delecto, eiusque auctoritate in v. vbique autem vocabulorum proprietatem, & translationem non obscuram, sed multis veterum testimonijs à me confirmatam reperies.

Hæc erit §§. xv. concinnata pro viribus series in hisce commentarijs instituta; hæ tabellæ erunt, hæc historiæ picta argumenta, summaria, breuiaria; aut hæ mensæ, dapes, fercula, obsonia, & bellaria, & hi conuiuij singuli missus; in quibus ingeniosum conuiuij conditorem, & instructorem imitari potuisse voluissem, qui, iisdem carnibus alio, atque alio modo coquendis, condiendisque efficit, vt multa obsoniorum genera videantur. Oportunius autem si ad instar lauti magis, quam copiosi conuiuatoris optima potius, quàm plurima apposuissem, quæ delicatum etiam lectorem capere, & detinere valerent; nec conuiuas cum fastidio dimitterem. Aut saltem Apis naturam sequi potuissem, qui etiam ex thymo aridissima, asperimiq; succi herba rem suauissimam tentat conficere.

Illud tamen me præstitisse scio, tractationem hanc meam, iuxta Æsopi graculum collectitiam, ex plurium auium plumis quasi consarcinatam, quippe qui ex multis voluminibus per omnia semper negociorum interualla, in quibus suffurari otium potui, singularia quædam, & præcipua ex nostris iurisconsultis, historicis, & poetis decerpserim: nonnulla etiam veteris Senatus, quæ ad hanc tractationem pertinere videbantur adscripserim, sciens hæc in iure alligari permissa, teste Bar. in *l. 1. col. 5. ff.* si *cert. pet.* & Fel. *in cap. ex parte de rescrip.* Quæ diligenti disquisitione egere videbantur vberius explicaui: de alijs, quæ peruagata, seu parum necessaria, egi parcius; quædam denique, ne à proposito recederem, indicare fuit satis. Meam vero vbique sententiam paucis, & apertis verbis exposui; veritatis, quoad fieri potuit, vestigia persequutus. Vt hisce simul omnibus veram Senatus imaginem exornare possem. (sciebam etiam, me nihil de hoc amplissimo Senatu nisi diu scriptum, & sæpe tractatum afferri oportere) Tandem vt varijs concinnarem ferculis edulium, multorum scribentium dicta in hanc collegi molem exemplo Architecti, qui excisis ab alio lapidibus domum construit. Sed faxit Deus, vt opus iuxta loci situm, vtentiumq; vtilitatem, & commoditatem compleuerim. Opificis enim honori cedit, si ex alterius typo ponat ædificium, accitis etiam in domos artificum varijs è regionibus operarijs. Non etiam vitio datur debitori illi, qui mutuo acceptis ab alio nummis implet suis Sœneratoribus crediti fidem, & tandem omnibus satisfacit. imitatus sum etiam illos mercatores, qui merces ex diuersis vrbibus varias congerunt, vt mercimonium maius, & copiosius appareat; aut gallinam, quæ vtplurimum alienis ouis incubans, pullos educit, quos vt suos fouet, enutrit, & sub alis congregat.

Nolui tamen quicquam alienum mihi ipsi arrogare, sed sententijs scribentium ad verbum (quamuis non ignorem refertam auctoritatibus orationem non ita gratam, & iucundam) vsus sum; motus primum auctoritate glos. in *l. Gallus §. idem credendum in verbo pronepos ff. de lib. & posth.* quam sequuntur Dec. in *c. ad hæc in princ. de rescrip.*, & in *c. curauit col. 1. de prob.*, & Gomez. in *reg. cancell.* dicentis, eum non esse culpandum, qui scripta aliorum referat, quasi ipse dicat: mox, vt explicitam firmiori fundamento causam tuerer, præscribe-

beretmq; deinde, quia simplici, & nudæ narrationi adhibere fidem plerique nolunt, iuxta tex. in *l. cum seruus ff. de cond. demon.* & in *l. vlt. C. de presb. Imp. offer.* sed exploratas rationes requirunt, quibus obsignatis quasi tabulis vtuntur. Idq; etiã feci propter agrestes, vt ar verbis Gellij lib. xij. c. x. quosdam, & indomitos certatores, qui nisi auctoritatibus adhibitis nõ comprimuntur. Ad hæc, ne alienas sententias paucis immutatis vocibus pro meis vsurpans, furti quis me reum faceret; vel ne Aristophanes volumina aliorum cum meis conferens, cogeret me furtum confiteri, prout alias idem fecisse testatur M. Vitruuius Pollio lib. vij. obnoxij profectò animi, & infelicis ingenij est. Teste Plin. in præfat. Histor. depræhendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex vsura, & sapientibus omnia in aperto sint; veritatique, aut tempori nihil detrahi possit. Quod optime teste Luciano quom. hist. scrib. fit in fine, à Gnidio illo Architecto præcognitum fuit: is enim cum in Pharo Turrim, vt ex eã faces incensæ nauigantibus viam dirigerent, & ne deferrerentur illi in Paratonium locum omnino, vt aiunt, periculosum; extruxisset; maximum, atque pulcherrimum operum omnium; intus quidem in saxis suum nomen inscripsit, ratus (id quod euenit postea) paruo admodum tempore futurum esse, vt litteræ ipsæ foris inscriptæ vna cum calce illita reciderent, euanescerentq; appareret autem interior titulus (hic videlicet, Sostratus Dexiphanis filius, Gnidius, Dijs seruatoribus pro salute nauigantium) quo apifici debitus honos tribueretur. Est etiam benignum, vt arbitratur id. Plin. in ead. præfat. & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris; non vt plerique ex ijs, quos attigi, fecerunt. Scito namque conferentem authores me deprehendisse à iuratissimis, & proximis, veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos. Demum varietate exemplorum tum etiam paullo acuratius vsus; quippe qui ex industria multa vndique congessi exemplo Imperatoris in *l. vt responsum C. de transact.*

Non me ab opere cepto deterruit, quod viderem ante me non solum, sed post etiam, plures de Senatoribus libellos conscripsisse, ac omnem suam in scribendo operam, & industriam in hoc posuisse; vt omnia ad Senatores præcipua numero comprehenderent, eorumq; nomina percenserent, quo instituto magnam multiplicis scientiæ opinionem se consequuturos existimarunt. Etenim hoc
9 tractationis meæ caput, & summa futura est; vt eam Senatus Mediolanensis rationem, quæ olim ab huius dominij Principibus constituta fuit, non omnibus notam, ab ipsis veris fontibus haustam, & expressam in publicam proferam, atque laudibus illustrem: planumq; faciam non iuris studiosis solum, sed omnibus, qui in foro aliqua cum laude
8 versantur, quantum & voluptatis, & fructus in se complectatur, & cur ad tantum dignitatis, & grauitatis culmen, & fastigium peruenerit.

Nec velim quis miretur, si cum hoc Mediolanensis Senatus, quoque Romani historiam exponere coner, quasi velim ea, quæ a M. Varrone, Ateio Capitone, & Nicostrato, vetustate iam penitus
10 deleta, & deperdita, in lucem nunc reuocare. Id enim non indignum existimo, vt omnes ingenij mei, & industriæ neruos contendam; quod si in tam obsoleta priscorum institutorum memoria asse-qui non potero; saltem vmbra, & imagine oblectari licebit.

Quamuis vndique circumstarent, quæ primo loco explicanda esse videbantur, non aliter atque in prato aliquo floribus fæcundo, vbi ea semper, quæ nouissimè apparent, carpentes potissimùm alliciunt: scripturæ tamen seriem & ordinem, proprietatemq; verborum, etiam secundum vsitatum loquendi vsum (quæ potissimum in iure nostro attenduntur) sum sequutus.

Non ero molestus conuiuis, vt præter modum laudem ea, quæ apposui, sed parcius extenuabo apparatum, & pro mea virili imaginem adumbrabo: Vtinam vel Apellem quempiam, vel Parrhasium ad hanc depingendam tabulam adhibere potuissem. Hanc tamen rogo, ne adspernatur lector, quamuis quid nostra dictante minerua contineat: læto namque animo exhibeo, ijs, quibus grata, & accepta erit huius mei laboris lectio, Iudicibus præsertim, qui tantum ocij ab assiduis occupationibus non habent, vt interpretum errata perspicere, atque accuratè considerare possint. Scio enim, eos libentissimè interpretes sequi, quos agnoscunt in singu- 11
lis materijs quamplurima ad eam rem pertinentia congessisse, & factorum species illas, quæ in iudicijs controuersæ esse solent; vberius tractare.

Mihi autem si quis obijciat; eiusmodi in rebus facilius esse verbis alios monere, quàm quod moneas re ipsa præstare, præsertim cum tanta varietate rerum moles versanda sit; aut Phormionis exempla de quo in 1. de orat. ad Q. fratrem ductus, alius contendat meis dictis non esse adhibendam fidem, cum loquar de rebus, quas expertus non sim: Eudamidas enim audito philosopho differente, solũ sapientem esse bonum belli ducem dixit, sermo qui- 12
dem mirificus est, at qui eum dicit, fide caret, eo quod illum nunquam circumsonuit tuba. Huic ego respondendum esse crediderim ex Plut. difficile esse his qui gerunt imperium, de imperio consulere. At quæ a me tractantur auctoritatibus probata sunt, & vsu iam diu obseruata, ita vt non mihi tantùm, sed scribentibus alijs credendum est. Multa licet scripta reperiantur, quæ nullo modo ad vsum reduci posse videantur; non tamen existimo ijs de- 13
rogandam esse fidem, neque eorum quicquam desperandum velut inimitabile, sed & mirari ea, & suspicere decet, & quædam quasi afflatu numinis dictata obstupescere oportet; ad æmulationem denique tale sui specimen dare, vt maiora deinceps audendo, proficiat. Scipio enim ille Africanus cum Imperatorias artes expeteret, Xenophontis libellos nunquam de manibus ponere solebat, quamuis nescius Cyrum illum, non ad historiæ fidem scribi, sed ad iusti Imperij effigiem induci. legebat tamen nihilo secius in quo nullum prætermitti Imperatoris munus iudicabat: & quantùm verbis philosophus præcipere studuerat, tantùm re ipsa cui strenuus præstare elaborabat. quare sic eò peruenit, vt Imperatorijs artibus non inferior, quàm qui vnquam amplissimi fuerunt, euaderet. Et talem se reipub. præbuit, qualem vix ægrèq; exprimere valuerunt summorum scriptorum miranda ingenia.

Porro, quæ de candidatorum nominatione, senatusq; auctoritate scripserim, veniam à lectoribus precor fidentiæ huius meæ: nametsi successus abfuerit, honestus tamen authore Plinio iudicandus est conatus. Illud etiam non omnino contemnendum,

dum; effeciſſe me puto; quod per hoc alijs pluribus anſam inueſtigandi, atque vltra contendendi, conſcribendivè præbuiſſe videor.

Quæ in hiſce meis commentarijs dicturus ſum citra iudicij notam vellem à Senatu Excellentiſſimo accipi. nam cum Decio *in conſ. 144. num.* 8. proteſtor meæ intentionis non eſſe, velle quicquam ſcribere, quod mentem illius ordinis turbare poſſit: illumq; ſupplex rogo, vt libenter ſuſtineat, ſi reuocetur in dubium, quod falſa inſinuatione fuerit obreptum; cum etiam Cicero eius fuerit ſententia, vt ſummi etiam rectores plerumque in curſu à nautis, & remigibus admoneri ſoleant. & hoc argumento vtitur Naſta *conſ.* 98. *in prin.*

Errata quædam ſi videantur, aut ſi quis minus rite ſcripta quæpiam reperiet; memor eſſe poterit,
14 humanum eſſe errare, & in longiori ſcriptione doctiores quandoque lapſos. Ea quoque minimo forſan negotio poterunt corrigi, ſi commodè interpretentur: aut conſimile quoddam non patiatur lictor, quod in ijs, quæ intuemur ſæpè nobis euenit;
15 contemplantes enim quippiam ſub ipſis oculis conſtitutum nequaquam præuidere rectè poſſumus: at ſi iuſto interuallo diſiuncti illud inſpiciamus maniſeſtius apparet obtutui, & quæ benè, & quæ ſecus ſe habuerint.

16 Primam itaque hanc partem benigno animo accipiat quiſque; ex ea enim peruenire poterit gemina vtilitas; altera vt alacritatem animo, & optimam ſpem percipiat, ſe poſſe omnia perfectè, complere; altera qua inſtitutionem ab exemplis capiat, cognitis ijs, quæ ſequenda, quæue fugienda ſint. Si quam autem ego rebus peroбſcuris lucem videar attuliſſe, non leue me iam operæ pretium conſequutum arbitrabor: ſin contra accidat; magnum eſt etiam, vt iam diximus, voluiſſe. Si vero hæc omnia minus abſolutè tractata prodierint; nemo æquus alieni laboris eſtimator mirabitur, cum per arduum perdifficileq;, non ſatis notum iter, ac nullius præuij ductoris calcatum veſtigijs inire primus tentauerim. Maiora fortaſſe præſtare me confido, ſi quem Deus mihi animum erga Rempub. vniuerſam dedit, eum ipſe pro ſua ſingulari clementia quibus poteſt modis confirmet, augeat, inſtruat, adiuuet, tueatur.

# DE SENATORIBVS

## TITVLVS.

### SVMMARIVM.

1 *Senatus appellatio à ſenibus ducitur, exponiturq; quaſi ſenex natus, ad perſonas, & ad locum accommodatur. num.* 2.
3 *Senatus Mediolanenſis deſcriptio.*
4 *Conſilium verbum generale eſſe, aptum multa comprehendere, & num. ſeq.*
5 *Senatus vtitur conſilio, & ſententia.*
6 *Senatus Mediolanenſis dicebatur conſilium Ducale, item ſupremum conſilium, item & decreti, & iuſtitia.*
*Senatores Principum conſiliarij dicuntur.*
7 *Conſilium quodnam ſit publicum, quodnè priuatum. & num.* 8.
9 *Summum conſilium Senatus eſt.*
10 *Conſilium pro auctoritate accipi.*
11 *Senatus vtitur voluntaria, & contentioſa iuriſdictione.*
12 *Conſilium accipitur pro loco in quo ſedet Senatus*
13 *Aliud Senatus, aliud Magiſtratus.*
14 *Nullus in Senatum eſt allectus, niſi alium Magiſtratum geſſiſſet.*
15 *Senatus ſub vno Præſide, quia ſolus, & non plures Senatus.*
16 *Non vnus, ſed plures Senatum conſtituunt Senatores.*
17 *Senatus ex lectiſſimis Senatoribus tantum, velut integrum ex ſuis partibus conſtituitur.*
18 *Doctrina & probitate præſtantes eſſe debent Senatores.*
19 *Auctoritate ampliſſima vtitur Senatus.*
20 *A Principe inſtitutus eſt, & lectus.*
21 *Statutis, & legibus ligatos, diſpenſatione, ſoluit Senatus.*
22 *Iudicis omnes in ordinem retinet Senatus.*
23 *In delictis grauibus nemo abſoluitur aut condemnatur inconſultò Senatu.*
24 *Iura tueri tenetur.*
25 *Ex æquo & bono cognoſcit.*
26 *Qui de antiquo Senatu ſcripſerunt.*
27 *Senatus Mediolanenſis origo qua.*
28 *Quod Senatus iubet atque conſtituit, dictum eſt Senatuſconſultum, olim autem decretum appellabatur. num.* 29 *item conſilium Senatus. num.* 30.
31 *Aliud Senatuſconſultum, aliud Senatus auctoritas num.* 33. *Conſenſus Senatus aliud. Dictum aliquando voces Senatus, deſiderium quandoque, & aliquando voluntas Senatus, & qua hec eſſent num.* 34. *& duob. ſeq.*
32 *Auctoritas Senatus ſcriptura erat, conſentium nomina continens.*
37 *Veſpaſiani tempore conflagraſſe cum Capitolio tabularum ærearum, quibus vetera Senatuſconſulta continebantur, tria millia.*
38 *Senatus Mediolanenſis conſulta deſcripta à Petro Cantonio viro acerrimi ingenij, I.C. peritiſſimo, bonarumq; litterarum apprimè erudito.*
39 *Senatus conſtituendi cauſa plures.*
40 *Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti.*
41 *In omni regimine ordo requiritur, principium, medium, & finis: Rex, Senatus, & Populus.*

## CAPVT I.

### *Senatus quid ſit.*

SEnatus appellatio à ſenibus ducitur, quod in eis ſit ratio & ſententia, Cicerone teſte in Catil. & Halicarnaſ. *lib.* 11. *exponiturq; quaſi ſenex natus*, cum olim ſenes tantum in Senatum eligerentur, vt per nos hic gloſ. 3. *cap.* 3. Ad perſonas & ad locum accommodatur ex conſtit. noſtra. Dum enim Præſidem & Senatores nominat, de perſonis agit; dum vero ait, qui in Senatu ſedebunt, locum intelligit de quo infra *num.* 12. & in gloſ. 4. *cap.* 1. Et licet Titulus huius Conſtitutionis ſit DE SENATORIBVS, nihilominus, quia tex. ſemper de Senatu loquitur, excepto gloſ. 3. *caſu*, & 4. qui de Præſide & Senatoribus verba facit, de eo ipſo Senatu nunc à nobis

à nobis agendum erit. Primo itaque, vt exordium sumamus a definitione cuiusque rei aptissimum, Senatus noster sic definiri, aut describi poterit.

3 Senatus est I.Cōsultorū doctrina & probitate prę stātium summum in prouincia sub vno Præside consilium, amplissima cum auctoritate à Principe institutum, ac lectum: vt legibus (dispensando vt aiunt) quandoque soluat aliquos: Iudices omnes in ordinem retineat: maxima litium certamina dirimat: delicta grauiora debitis pœnis compescat: suis etiā Senatusconsultis saluti publicè, vtilitatique priuatæ, iustitia & æquitate, prospiciat: vtque sit omnis iuris custos, & æquus interpres, ius suum vnicuique tribuens.

Consilium diximus, quia generale verbum est;
4 aptum comprehendere præcipuè conuentum senatorum *iuxta l. si minor 19. de manum. vind. & l. vlt. C. de naufrag. lib. 10. cum simil.* Sic etiam Cic. pro Rosc. Qui in ciuitate in Senatum propter dignitatem ex Senatu in hoc consilium delecti estis propter securitatem, & alibi sæpe. Idque sine difficultate vlla propter adiectionem alterius verbi, summum: sic enim Cicero de senec. & pro domo sua. Senatus est summum P.R. populorumq; & gentium, ac Regum consilium, qui alibi eo de senec. lib. rationem, cur consilium istud omnino in repub. requiratur, apertissimam reddit; vt non excursione, nec saltu,
5 nec eminus hastis, aut cominus gladijs Senatus vtatur, sed consilio, & sententia, quæ nisi in eis esset, non summum consilium, inquit, maiores nostri appellauerunt Senatum. Hoc ipsum firmat iterum iij. *de legib* prout & Philipp. III. Maioris est omnino consilij prouidere, ne quid tale accidat. Consilium Ducale dicebatur olim Senatus Mediolanensis, vt ex
6 Decretis Ducalibus, ac Constit. ista in § 8. statutis nostris *in c. 32. l. 1. vers. nec etiam coram Senatoribus, & lib. 2. in prin.* item in ipsorum stat. approbatione. Supremum autem consilium Institutio Senatus de qua infra *cap. seq dixit*, item & consilium secreti, & iustitiæ. Hinc Senatores Principum consiliarij dicuntur. Aff ic. teste *in constit. lib 1 rub. 45. nu. 48. & seq.* Rebuff. *in proem. concord. pag. 18 & 19.* Iacob. de Bellouis *in praxi rubr. quotuplices sint causæ num. 170.* & Cabedo *decis Lusitan. 74. p. 2.* vbi etiam omnes de Senatorum officio agunt.

7 Consilium, dicitur ille quoque Senatus, qui domi Præsidis haberi quandoque solet, vt hic *cap. 2.* glos. 4. quod etiam Romanis vsui fuisse testatur Liuius *lib. iv.* his verbis. Consules, cum per Senatum intercedentibus Tribunis, nihil agi posset, consilia Principum (nempe Senatus, vt infra glos. 3. *cap. 1*)
8 domi habebant, & paullo infra eod. libro. Nec Tribuni militum nunc in Senatu, nunc in consilijs priuatis Principum cogendis, viam consilij inueniebant. Ex quo loco colligere licet, quodnam sit, fueritq; consilium publicum, quodue priuatum. Et sub consilio venient etiam ea responsa, siue rescripta, quæ à Senatoribus lectoribus, & solo Præside domi expediuntur, emanantuè; in eis enim interuenit solius Senatoris subscriptio, & Præsidis approbatio, vt plenè paullo infra glos 6. *cap. 3 tum præcipuè ea omnia*, quæ plenè in amplissimo isto ordine quomodocunque pertractantur, *vt in eod cap. 3. col. 6. & alibi.* Necesse enim est, vt consilij publici dominus sit Senatus ex Cicerone *lib. de legib iij.* Consiliū publicū Romani veteres Senatū appellauerunt, non modo quod suis consultis orbem terrarum regerent, sed quod faciendi aliquid, vel non faciendi ratio omnium gentium, in quibus est Senatus ad vnum referri debeat. Sic & nos hunc Senatum summum consilium dicimus, quo vniuersa Mediolanensis prouincia regitur, & in quo cœlestis & diuina vis inest moderatrix corporis, & rerum omnium.

Summum consilium, hoc est supereminens, vt 9
habetur *in l. cum vsusfructus ff. quib. mod vsusfruc. amit. & in §. filius familias instit. quib. mod. ius patr. pot. solu. vel magnum, § sed ex constitutione instit. d. tit quib. mod. ius patr pot. sol.* Idq; ad differentiam ceterorum consiliorum, ac eorum, quæ à statutis data sunt consilia; dum volunt, causas consilio sapientis committi debere. Hinc summates ciuitatis, optimates Principes, primates appellantur propter eorum dignitatem, & amplissimam auctoritatem, potestatemque.

Et cum consilium pro auctoritate accipiatur, *vt* 10
*in l. 1. ff. de off. cons.* summa erit huius Senatus dignitas, auctoritasque, vel vt infra diximus, amplissima. Idque etiam, quia, si (vt patet infra glos. *6. cap. 26. sub num. 123. vers. is etiam ordo circa finem ipsis cap.*) Senatoria dignitas culmen est ceterarum dignitatum, multò amplior erit illa Senatus, in quo omnes adsunt Senatores. Alia quoque ex eodem verbo tollitur differentia, nempe, vt consi- 11
lium istud vtatur voluntaria, & contentiosa iurisdictione, vt habetur in *l. 2. ff. de off. procons.* sponte enim; ac nulla parte petente ex officio plurima potest statuere, vt infra in toto contextu Constit. Item alia, quæ desumitur *ex rub. C. de vindic apud consil.* 12
*manum* nempè, vt consilium accipiatur pro loco, in quo exercetur iurisdictio. *l pen. §. fin ff de iust. & iur.* vbi Azo *& in l. 1 eiusd. tit.* vbi Alber.

Consilium item diximus ad differentiam magi- 13
stratus, siquidem iusserit lex xij. tab. Senatus è Magistratibus esto, vt author est Cic. iij. de legib. & aliud Senatus significat, aliud vero Magistratus. Dionys. Alicarnass. lib. 11. Ab eo tempore opes plebis creuerunt. Patres vero multas partes priscæ amplitudinis amiserunt, cum & in Senatum, & ad Magistratus, & ad sacerdotia plebeios admisissent: Idem firmat Dion. lib. LIV. asserens, quod nullus in Senatum est allectus, nisi prius Magistratum gessisset aliquem, sic & Festus. Qui Magistratum cœperunt, non vocantur Senatores, antequam sint in 14
senioribus censi. Senatoribus etiam mandabantur Magistratus ex eod. Dio. vbi Mœcenas ait, non esse ferendum, vt sententiam dicant inferiores dignitate ijs, qui perfuncti essent Magistratu. Gell. refert C. Bassum in commentarijs suis scripsisse, Senatores veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia vehi. Plut. ita narrat de Antonio Trib. Pleb. Cum Cæsaris litteras recitari in Senatu Pompeiani non sinerent, ipse (nam Magistratus iure poterat) eas recitauit. Hoc ipsum reperies apud *Tacit lib. iv. Annal. Liu lib. iij sæpe, & Cicer. pluribus in locis, item Virgil. 1. Æneid.*

*Iura, Magistratusq; legunt, sanctumq; Senatum.*

sic etiam tex. *in l. eum qui 13 ff de iur. omn iud.* in verbis. *Eum qui iudicare iubat Magistratum esse oportet*; Magistratus autem, vel is, qui in potestate aliqua sit, vtputa Proconsul, vel Prætor, vel alij, qui prouincias regunt, & cum eo concordat *l. 3. §. 1. ff. quod met caus. l. cum alicui 26 & l. ex facto 30 ff. de negot. gest. iuncto tot. tit. de Magistr. conuen.*

Quia tamen voce Magistratus pro optimorum potestate, Ephorum nempe, Areopagitarumque accipitur, & sic pro Senatu, teste *Possardo de Magistr. Athen. cap. 4. & Perion. de Rom. & Græc. Magistr. lib. 1. in prin.*

Summum sub vno Præside consilium in prouin-
15 cia, quia vnus tantùm est Senatus, vt infra *glos. 1.* differtque à Curiis, vt in Hispania, Gallia, & Neapoli, à Cameris, vt in Germania, à Rotis, vt in multis locis Italiæ. Summum est quoque, quia ad eum velut ad anchoram sacram, vel montem procellis agitari omnes confugiunt.

Iurisconsultorum est consilium, quia non vnus,
16 sed plures Senatum constituunt Senatores, & tunc Senatus dicitur, etiam sine Preside, quando congregantur Senatores, sint numero plures vel pauciores, vt infra *glos. 6 n. 173. cap. 15.* explicauimus. Si vero adfuerit Præses, ibi: *dicitur esse corpus Senatus iuxta Regiam declarationem die 23. Februarij 1595. registrata fol. 96.* item quia non nisi iurisprudentes ad Senatorium munus deliguntur, & Senatus ex lectissimis Senatoribus tantum, velut integrum ex suis partibus constituatur; quamuis olim equites, & religiosi ad id munus cooptari consueuerint, vt infra suo loco.

Obseruatum à nobis fuit *Marcell. in vita Constantij*, cum actu contexeret, consistorium solus con-
17 gressus intimum, captato tempore vincire sperans peruigilem salutis imperatoriæ custodem, lectaque in consistorio actu calido cōsarcinata materia. Hoc consilium à Iustiniano sacrum consistorium nominatur. *l. humanum C. de legib.*, & huic ab Ambrosio consistoriani dicti sunt, qui ad Principis consilium lecti sunt, hi fuerunt ex lectis ciuibus, & eminentioribus iurisperitis *l. iurisperitos ff. de excus. tut. l. proxime ff. de his quæ in test. delen* Quinam ij fuerint scribit *Lamprid. in Alex. Seuerus. Fuit numerosissimus, in quo fuerunt iurisconsulti non pauciores viginti, in quos Fabius, & Iulius Sabinus Cato sui temporis dictus, Domitius Vlpianus, & Iulius Paulus, qui vertices legum dicti sunt, Pomponius legum peritissimus, Alphensus, Florentinus, Africanus, Marcianus, alijque permulti iuris professores, discipulique Papiniani qui iuris asylum vocitatus est, sine quorum cœtu nullam vnquam constitutionem sacrauit, nullam legem sanxit, de re nulla grauiore statuit &c* De his consistorianis meminerunt Honorius, & Arcadius Eutychiano in hæc verba: *Quisquis cum militibus, vel priuatis, vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis susceperit sacramentum, vel dederit de nece etiam virorum illustrium, qui consilijs, & consilio nostro intersunt, Senatorum etiam (nam & ipsi sunt pars corporis nostri) vel postremo cuiuslibet qui nobis milita &c. in l. quisquis C. ad l. Iuliam maiest* §. 1. ex quibus verbis, si ordinem scripturæ spectemus iuxta *l. quoties ff. de vsufruct. & l. heredes mei §. fin. ff. ad trebell.* argumentari licebit, hos consistorianos Senatoribus præcelluisse.

18 Doctrina, & probitate præstantium, quia, ex *Iustiniano in §. fin. proem. instit.* vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, posse etiam nostram rempub. in partibus eius vobis credendis gubernari, consilio scilicet, vt diximus, & plenius infra *glos. 3. cap. 12. 13. & 15.*

Sub vno Præside, veluti membra sub capite, & sine quo nihil penitus fiat, vt videbimus.

Amplissima cum auctoritate, iuxta *tex. in l. fin. C.*
19 *de pet. hær. ibi*: Magnitudo & auctoritas centumuiralis iudicij, quæ ad causas potissimum capitales extenditur, vt in §. *xij & hic glos. 6. cap. 30 num 154.* Multa sunt etiam, quæ Senatu inconsulto definiri per Magistratus, vel iudices alios quoscunque nequeunt, per nos summatim adducta in *ead. glos. 6. cap. 37.* Causas alias certorum quorumdam iudicum per appellationem cognoscit, vt in §. 8. quas vero Senatus definierit, appellatione retardari non posse cautum est infra §. xi.

A Principe institutum, ac lectum ad eum enim creandorum Magistratuum potestas, & auctoritas 20
spectat §. *nos igitur in auth. de defens. ciuit. collat. 3. & in auth. vt iud. sine quoque suffrag. § illud coll. 2. c. 1. vers. Iudices, vbi glos. de pace iur. fir. Bal in cap. 1. quæ sint regal. col 3. Bar. & alij in l. 1. ff. de dam. infec. Alex in l. 1. ff. de iur. om. iud. Gram. decis. 46. Boer. decis. 8. Capis. decis. 130. num. 12.* Ergo pro ipsius mandato ius dicit Senatus, vt inquit *tex. in l. si prætor ff. de off. eius, & in c. Romana in prin. de app.* De Senatus origine paullo infra, quos deligat Princeps Senatores, & quomodo plenè in glos. 3.

Vt legibus etiam soluat quandoq; ligatos, quod 21
optimo iure fieri probauimus infra §. 2. *p. 1 glos. 3. per totam, & par. 2. plenius.*

Iudices omnes in ordinem retineat, cogat etiam secundum leges, & præscripta iudicare, & si quid contra fecerint, illiq; pœnam irroget, vt in §. 10. causas, licet duabus sententijs definitas ex integro cognoscit, vt hic *glos. 5. cap 5 & in § 2 p. 2. in fine.* Cum enim vices Principis sustineat Senatus, op-
pressos omnes subleuare debet; Idcirco litigiorum 22
succidit, amputat, & euellit omnes anfractus, nec finit calumniantes, protractis examen iudiciorum frustari dilationibus, superuacuis vsq; non deferens appellationibus. Certarum enim causarum tam dilata, morosa, damnosa est, procrastinataq; expeditio, vt penè litigantibus consultius sit iura sua in experta, & inania deserere, quàm appellationis, vel incidentis articuli definiendi inquietum subire certamen. Sic enim quandoque, immo sæpissimè Tribunalia iudiciorum opprimit multitudo, sic varia contorquet processum dietim pullulantium materia, sic destinet varia causarum placitatio, vt continuo vix triennio vel leuiusculæ exceptionis protrahatur cognitio, nullitatis oppositio futilis declaretur, impertinentia articuli tollatur; totas licet vigiles sollicitationis operas impéderit paratus actor, & curiosus reus. Quis enim huiusmodi malitiis obuiam ire posset? quis proteruiam iudicum compescere? nisi Senatus amplissimi accesserit auctoritas. Quemadmodum enim Medici sapientes corporis aliquando exurere solent partem, vel abscindere, vt reliquæ integræ sint: sic Senatus si quid expeditioni causæ obesse dignoscit, ita prouidere solet, expensarum etiam tollens causam, vt iudices secura aura litis nauigium ducere possint. De hoc plenè docemus §. 3. *& hic glos. 6. cap. 5. num. 107.* licet arduis tantum detineri deberet Senatus quæstionibus, vt disponit Constitutio, & Minorella hæc iudicia religioni iudicum inferiorum committenda essent.

De quibus autem causis cognoscat Senatus, & qua ratione infra §. 7. & iam retulimus aliqua *pract. quæst. cap 43.*

Res grauioribus criminibus accusatos punire Iu-
dices inconsulto Senatu non posse ex hac Constitut. 23
& ordinibus sancitum est, vt videbimus infra § xiii. Benigni quippe Principis est, non tam delicta velle punire, quàm tollere, ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leniter agendo putetur impro-

 uidus,

uidus, inquit Cassiod. ep. 30. lib. 1.
24 Suis etiam Senatusconsultis. Prouinciam regere
debet, & quod Senatus iubet, atque constituit, ser-
uandum est, vt iam dictum fuit, & plenius infra §. 3.
& xii. plura etiam glos. 6. cap. 2. & cap. 5. d. n. 107.
Est etiam iuris custos, ne frustra latæ sint leges;
hinc Regiorum ordinum, & priuilegiorum appro-
batio Senatui demandata est, vt in §. 7. & 9.
25 Et æquus interpres. Decet enim Principi rigo-
rem iuris æquitate temperare, vt diximus in § 3. &
probarunt Boss. *de remed. ex sola clem. prin. n. 44.*
*Alciat. in c. 1. num. 89 ff. de off. ordin. & in cons. 391.*
*num. 9. Rebuff. in concordant. proem. glos summas, vers.*
*decimoquinto. Dec. cons. 200. num. 5. Natta cons. 341.*
*sub num. 7. vers. & quamuis istud. Rol. cons. 13. in prin.*
*lib. 3. Menoch de arb. iud. casu 68. cum alijs infra d.*
*glos. 6. num. 154.*
Ius suum vnicuique tribuens. Sic ordo Regius
anni 1500. inquiens Senatum Mediolani fuisse con-
stitutum, vt iuri reddendo vniuerso Dominio præ-
sit, & formam iuris reddendi præscribit, de qua re
infra glos. 5. cap. 3. & glos. 6. cap. 2. & 4 item &
cap. 33.
Hæc breuiter summatimque retulimus, quia ple-
nius suis locis pertractantur, vt orationis progre-
diens nos docet textus.

---

## CAPVT II.

*Senatus Mediolanensis origo quæ.*

ANtiqui Senatus originem descripserunt *Liu. 1.*
26 *ab vrbe cond. lib. Polyb. lib. vi. Alycarnass. lib.*
*ii. Plut. in Romulo, & prius in Theseo, mox in Solone, cla-*
*rius de Ephorum origine in Agide, & Cleomene 59. &*
*60. Salust. in coniur. Catil. Aul Gell. cap. vii. lib. xiv.*
*Zonar. lib. ii. Apian. lib. iv. bellorum ciuil. Fenestella*
*de Magistr. Rom. cap. 1. Pompon Læt. eod. tit. cap. ii.*
*Alex. ab Alex. genial. dier. cap. xi. lib. iv. Bud. in an-*
*nos. ad l. vlt. ff. de Senat. Curia Pisana in prin. vbi Aze-*
*ned. Coras. Cagnol. Zas. & alij in l 2. ff. de orig. iur Con-*
*nan. lib. 1. comm. iur. cap. xiv. Grimal de opt. Senatore*
*pag. 16. Tessaur. in præfat. decis. num. 8. Maior. de Se-*
*nat. Rom prout & Manut. Sigon. lib. 1. & 2. antiq. cur.*
*ciu. Rom. Sarius Zamosius de Sen. Rom. Io. Rosinus an-*
*tiq. Roman. lib. vii. cap. v. & duob. seq. P. Gregor syn-*
*tag. iur. ciuil. p. iij. lib. 47. cap. 25. Possar. de Magistrat.*
*Athen. Person. de Rom & Græc. Magistr. & nos in glos.*
3 §. 1.
Eo autem exacto primus omnium in Italia Me-
27 diolanensis hoc nomine dictus, teste *Tessauro in dict.*
*præfat. sub num. 10.* Hunc antiquissimum fuisse, &
cum Ducibus ipsis non solum ortum, sed ante etiam
probant Decreta plura, quæ non refero. Et licet
litteræ ipsæ sint præclarorum facinorum conserua-
trices: non tamen crediderim, si quid nullis littera-
rum monumentis est celebratum, id protinus non
fuisse, nec si quid ignoratur, id propterea minus in
rerum natura fuisse. Afferam tamen Instit. illam
Senatus editam anno 1499. die 15. Nouembris hæc
continentem. *Statuimus, & ordinamus, vt de cetero*
*sit in dicto Dominio vnicum supremum consilium, qui iu-*
*xta veterem consuetudinem Senatus noster appellabitur.*

## CAPVT III.

*Senatusconsultum quid.*

ILlud autem quod Senatus iubet, atque constituit, 28
dictum est Senatusconsultum, Pomponio teste
*in l. 2. §. Deinde quia difficile, & in §. nouissime ff. de*
*orig. iur. Iustin. instit. de iur. nat. gent. & ciuil. §. Sena-* 29
*tus, & Pompon. Læt. de Magistr. Rom.* Olim autem de-
cretum appellabatur, vt in legibus xij. tabul. eius
decreta rata sunto, & alibi apud alios.
Quod sanè Senatusconsultum nihil aliud est, quã 30
consilium frequenti Senatu probatum, prout aper-
tè indicat Flau. Vopiscus in Aureliano his verbis.
*Post hæc interrogati plerique Senatores sententias dixe-*
*runt, quas longum est innectere. Deinde alijs manus por-*
*rigentibus, alijs pedibus in sententiam euntibus, plerisque*
*verbo consentientibus, conditum est S. C.* Idem colligi-
tur ex Cicero famil. epis. 7. lib. 1. dum inquit, *Quo-*
*niam S. C. nullum extat, quo reductio Regis Alexandri-*
*ni tibi adempta sit, eaque, quæ de ea scripta est auctori-*
*tas, cui scis intercessum esse, vt ne quis omnino Regem re-*
*duceret; tantam vim habet, vt magis iratorum hominum*
*studium, quàm constantis Senatus consilium esse videatur.*
Quæ enim integer Senatus legitimo tempore & lo-
co, & à personis certis præscriptisque lege congre-
gatus constituerat, pro S. C. habebatur ex Gell. lib.
xiv. cap. xvij *Quod si aliqua requisitarum solemnita-*
*tum defuisset. quia legitimus Senatorum numerus defice-*
*ret, vel quid aliud fieret etiam per intercessionem, quo-*
*minus S. C. iustum fieret, & illud literis mandari pla-*
*cuisset, non S. C. sed Senatus auctoritas, vel Senatus con-* 31
*sensus vocabatur, nisi postea integro Senatu, aut à Prin-*
*cipe firmaretur, quia tunc Senatusconsulti nomen asse-*
*quebatur*; vt ex proximo Ciceronis loco. Quod
apertius explicat Dion. lib. LV. in hæc verba: *Vt si*
*quando aliquid Senatus decreuisset, nec legitimus Sena-*
*torum numerus affuisset, non inerat in eo vis S. C. sed au-*
*ctoritas dicebatur, quæ tantùm constaret eorum, qui tunc*
*affuissent, voluntas & sententia* Obseruatum idem est
cum Senatus alieno loco aut tempore, aut non le-
gitimo edicto habitus esset, vel Tribuni plebis in-
tercessissent: impedito enim S. C. extare tamen Se-
natus noluit sententiã suã. Idem etiam ex Cicerone
pluribus aliis in locis. Nã ad Atticũ lib 4 ep. 2. sic
ait: [Cum fieret S. C in sententiã Marcellini, omni-
bus præter vnum assentientibus, Seranus intercessit:
de intercessione statim ambo Coss. referre ceperunt,
cum sententiæ grauissimæ dicerentur. Senatui pla-
cere mihi domum restitui, poeticum Luculli locari,
auctoritatem ordinis ab omnibus Magistratibus de-
fendi.] Sic quoque Cælius apud *Cicer. ad Atticum*
*lib. 1. Ep. pen.* [S. C. quod tibi misi, factum est, au-
ctoritatesque præscriptæ S. C. prid. Cal. Octobris
in Æde Apollinis scribendo affuerunt L. Domitius
&c.] Hæc ergo Senatus auctoritas scriptura erat
censentium nomina continentem, vt ibi Cælius os- 32
tendit, inquit enim ibidem: [Si quis S. C. interces-
serit, Senatui placere auctoritatem perscribi, & de
ea re ad Senatum populumque referri, & mox, si
quis huic S. C intercessisset, auctoritas perscribere-
tur.] Alibi Cic. epist. famil. 2. lib 1. De his rebus
pridie quam hæc scripsi, Senatus auctoritas grauis-
sima intercesserat, cui cum Cato, & Canninius in-
tercessissent, tamen ea perscripta est. Rursum id.
Cic. Philipp. 1. id nobis manifestius aperit, inquiens,
M. Antonius scriptum S. C quod fieri vellet attulit:
quo recitato auctoritatem eius summo studio secuti
sumus.

sumus. Scripturam enim à M. Ant. exaratam antequam à cæteris patribus approbaretur, vocat Cicero auctoritatem.

33 Alia erat scriptura, quæ cum vim, & nomen S.C. non haberet, consensum tamen Senatorum continebat. Ea tum fiebat, cum de qua re in Senatu actum fuisset, Senatorumque consensus accessisset; sententia tamen non rogabantur priusquam ad Principem relata esset. Tacitus enim lib. xiii. Annal. de libertorum erga patronos ingratitudine loquens sic scribit. [Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque vt aduersus malè meritos, reuocandæ libertatis ius patronis daretur. Nec deerant qui censerent: Sed Coss. relationem incipere non ausi ignaro Principe, perscripsere tamen cōsensum Senatus, *& paullo post*. Hæc sententia valuit, scripsitque Cæsar Senatui, priuatim expenderent causam libertorum, quoties a patronis arguerentur: in commune nihil derogent.] Iterum Tacitus lib. xiv. Libertas Thraseæ silentium aliorum rupit, & postquam discessionem Consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere paucis exemptis. At Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Ille inter pudorem, & iram cunctatus, postremo rescripsit, nulla iniuria prouocatum, Antistium grauissimas in Principem contumelias dixisse. Ceterum moderationem non prohibere; statuerent patres vt
34 vellent &c. Consules enim ne S.C. perficeretur moram afferre poterant. Meminit & Plin. ad Nepotem. Ep. lib. 6. consensus eiusdem, quem & voces, & desiderium Senatus appellat. Proximis, inquit, consiliis honestissimas voces Senatus expressit, candidati ne conuiuentur, ne mittant munera, ne pecunias deponant: ex quibus duo priora tam apertè, quam immodice fiebant. Hoc tertium quanquam occultaretur pro comperto habebatur. Homulus deinde noster vsus vigilanter hoc consensu Senatus sententiæ loco postulauit, vt Consules desiderium vniuersorum notum Principi facerent, peterentque sicut aliis vitiis, huic quoque prudentia sua occurreret, occurrit. Consensum ergo perscriptam Senatus sententiam vocant, quæ Consulibus impedientibus, vim & nomen S.C. habere non potuerat. Ci-
35 cero vero nunc ordinis auctoritatem, nunc Senatus voluntatem appellat, in orat. in Pisonem ita enim scribit. De me Senatus ita decreuit Cn. Pompeio authore, & eius sententiæ Principe, vt si quis impedisset reditum meum in hostium numero putaretur: iisque verbis ea de me Senatus auctoritas declarata, est, vt nemini sit triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta. Idem ad Quirites post reditū. At de me vt valeret Senatus semper flagitauit, vt aliquando perficeretur, cum primum licuit, frequentia atque authoritate perfecit. Et rursum P. Lentulus Consul simul ac de solemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicauit, atque eo die confecta res esset, nisi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficijs Quæstorem Consul ornaueram, noctem sibi ad deliberandum postulasset. Postea res acta est in Senatu alia nulla: & cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta Senatus, causa ad vos mense Ianuario deferebatur. Et iterum Cn. Pompeius vos hortatus est, vt authoritatem Senatus, statum ciuitatis, fortunas ciuis bene meriti defenderetis. Iterum Plin. ad Macrinum Ep. lib. 3. Secuta est Senatus clarissima assensio, quę solet decreta præcurrere, & paullo post: Compulit autem me ad hoc consilium, non solum consensus Senatus, quamquam hic maxime &c. Sic etiam Liu. lib. 31. ibi: Intercedente T. Sempronio Longo Tribuno plebis, qui nihilo magis id in more maiorum, aut vllo exemplo futurum diceret. Postremo victus consensu patrum Tribunus cessit; & ex S.C. L. Lentulus ouans vrbem est ingressus. Rursum lib. 36. Vniuersus Senatus non ipse modo ad decernendum triumphum consensit, sed etiam Tribunum plebis authoritate sua compulit ad remittendam intercessionem. Vsurparunt quandoque veteres voluntatem pro ipso decreto & placito. Liu. lib. 4. Senatui Dictatorem dici placuit. Illud satis constat Consules ad alia discordes, in vno aduersus patrum voluntatem consensisse, ne dicerent Dictatorem. Et mox. Tribuni secedunt, proque collegio pronuntiant, placere Consules Senatui dicto audientes esse: si aduersus consensum amplissimi ordinis vltra tendant, in vincula se duci eos iussuros. Sed de hoc satis scio apud scriptores de Senatus consulto tacito fieri mentionem, de quo pleni per nos infra hoc § glos. 6 cap. 25.

Quod scripsimus de auctoritate Senatus, quia Senatorum præfinitus numerus deficeret, id imperan- 36
te Augusto originem sumpsit, scribit enim de eo Suet. cauisse ne Septembri Octobriuè mense vllis adessent aliis Senatores, quam sorte ducti, per quorum numerum decreta conficerentur. Et Dion. lib. 55. dixit eundem Augustum, cum iam senex esset, quindecim Senatores singulis mensibus elegisse, quorum consilio in negotiis expediendis vtebatur, exinde autem xx. annuos à Senatu accepisse, ita vt quicquid cum iis Tiberio Coss. ac alijs ab eo conuocandis statuisset, ratum esset, ac si a toto Senatu decretum foret. Decreta, quæ non legitimo Senatorum numero facta essent, nulla fuisse firmat *l. 2. ff. de decret. ab ord. facien.*, & probatum est ex pluribus allatis supra locis. Vespasiani tempore cum Capitolio conflagrasse tabularū
ærearum, quibus vetera Senatusconsulta contine- 37
bantur tria millia, deplorat idem Suetonius. Senatus Mediolanensis consulta, siue ipsius cœtus sacrosancta decreta, quibus & ciuilis scientia, & vniuersi huius dominij præcepta constant, a Principe Senatus, integerrimisque Senatoribus hactenus confecta
& nondum emissa, tanquam clarissima in dirimen- 38
dis controuersijs oracula miro ordine descripsit Petrus Cantonius vir accerrimi ingenij, bonarumque litterarum apprime eruditus, & Iuris ciuilis scientiæ peritissimus. Nos vero eiusdem Senatus Rescripta omnia ferè attulimus in §. 2. parte 2. infra.

## CAP. IV.

*Senatus constituendi causa.*

Causam Senatus constituendi, tum ex sacris, tum 39
ex prophanis litteris habemus, nimirum, quia Principes per se ipsos solos ius publicum. & priuatum expedire minimè poterant, & onus populi sustinere, vt habetur Exodi cap. xviij. verbis à Ietro Moysi prolatis: *Stulto labore contumeris & tu & populus iste, qui tecum est; ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere &c.* Pronide autem de omni plebe viros sapientes, & quæ sequuntur; idem probatur ex Tacito I. & III. Annal. dicente, Principem

ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti, nec vnius
40 mentem eſſe tantæ molis capacem, ſed magna negocia magnis adiutoribus egere, ex Velleio lib. II. Plut. *de ciuil. admin. & num ſeni geren. reſpub.* Theodoſ. & Valent. *in l. præcipimus in prin. C. de app.* Iuſtinian. *in auth. de hær. & falcid. in princ.* quam ſententiam ex noſtris ſequuntur Andr. de Iſern. *in Conſtit.* Hic ergo finis lex *num.* 6 *& ſequ.* Afflic. *in Conſtit. rub.* 45. *num.* 58. *&* 59. atque ideo neceſſe habeat multos ſui laboris ſocios, vt aiunt Dion. *lib. LII & LV. &* Tacit. *XII. Annal* probatque tex. *in cap. fundamentum* §. *decet de elect. in* 6. Ariſt. *Polit. III. cap. VII. & lib. IV. cap. xii.* potiſſimum Præſidem, & Senatores, *d. l. præcipimus.* *Vt enim manus* (inquit Plut. eo de ciu. admin lib.) *in digitos diſtributa non idcirco imbecillior redditur, quinimmo ad omnem vſum aptior eſt: ita etiam ad gerendam rempub. ſi alios munerum Princeps particeps facit, efficacius opus abſoluere poteſt.* In omni etiam regimine ordo requiri-
41 tur, ſcilicet principium, medium, & finis; Rex, Senatus, & Populus, ita Ariſt. *d. iii. Polit cap. i & vi. Eth. cap. ii.* Ægid. Rom. *de Regim. Prin.* 2. *p. lib.* 3. *cap.* 1. tex. deſeruit *in c. Epiſcopum* 10. q. 1., & quæ habentur in *l. & ſi prætor ff. de off. eius*, cum adductis per Alciat. *lib. ii.* Peregr. *cap. v.* Grata fuit P. R. Senatui, ac militibus imperandi forma qua vſus eſt Alexander, qui, vt ſcribit Herodianus *lib. vi.* ſexdecim ordinis ſenatorij viros, ætatis grauitate, vitæque ſanctimonia præcellentes ni aſſeſſores ſibi & conſiliarios delegerit, ſine quibus nihil penitus dicebatur, agebaturque. Eruditis enim, inquit *Dion. Cryſoſt. orat.* 69. opus habent maximis in rebus, ij qui poteſtate ſunt præditi; vt ſibi ſint à conſiliis cumque aliis mandata dent, ipſi ab ipſis mandata accipiunt, quæ facere, & à quibus abſtinere conueniat. Optimè Maioranus cum Rauennæ eſſet, ad Senatum in initio ſui Imperii (*vt in Maior. Nouell. tit tertio*) ſcripſit in hæc verba. [ Imperatorem me factum, Patres Conſcripti, veſtræ electionis arbitrio, & fortiſſimi exercitus ordinatione, agnoſcite. Adſit ordinationi omnium propitia Diuinitas, quæ regni noſtri augeat pro veſtra vtilitate, & publica ſucceſſus, qui ad ſuſtinendi Principatus apicem non voluntate mea, ſed obſequio publicæ deuotionis acceſſi, ne aut mihi ſoli viuerem, aut ingratus Reipub. cui natus ſum, ſub hac recuſatione iudicarer &c. Fauete nunc Principi, quem feciſtis, & tractandarum rerum curam participate nobiſcum: vt Imperium, quod mihi vobis adnitentibus datum eſt, ſtudiis communibus augeatur &c. ]

# §. Primus.

**Vnus tantùm in Dominio Mediolani Senatus ſit, Mediolanique reſideat. Præſes, & Senatores, qui in eo ſedebunt, eorumque Secretarii fruantur, & gaudeant priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, libertatibus, & commodis, quibus præteritis temporibus Præſes, Senatores, & Secretarii frui, & gaudere conſueuerunt; ſintque in dicto munere perpetui,**

## *Gloſ. Prima.*

Vnus tantùm in Dominio Mediolani Senatus ſit.

### *SVMMARIVM.*

1 *Licuiſſe olim cuilibet ciuitati Senatum habere. Senatores vocantur municipiorum Decuriones.*
2 *Duo Senatus Mediolani fuerunt, alter ſecreti, alter iuſtitiæ dictus.*
3 *Nunc autem vnus tantùm, vt honoratior, prudentior, & conſultior ſit.*
4 *Multiplicitas Magiſtratuum non neceſſaria reipub. vtilis non eſt: Princeps per conſilij ora vir religioſiſſimus appellatur, & omnia iura in ſcrinio pectoris ſui, hoc eſt in conſilio ſuo habere dicitur.*
5 *Cur vnus tantùm ſit conſtitutus Senatus, rationes aliæ. num. ſeq.*
8 *Senatoris officium in iuſtitia adminiſtratione verſatur, & num. 19 quod promiſcuis actibus an impediatur num. 9 23. & 24.*
10 *Singulis cauſis ſinguli fines ſunt præſcripti.*
11 *Prætores plures fuere olim delecti, & negotia inter eos diuiſa, ſed contra num 25. aduerſus Pomponium.*
12 *Non numerus Senatorum, ſed fides & probitas ſpectanda eſt: multitudo vbi, ibi confuſio, protelatio, atque machinatio.*
13 *Regimen paucorum firmius.*
14 *Senatus à Solone inſtituti duo.*
15 *Senatus Mediolanenſis de quibus cauſis cognoſcat.*
16 *Numerus Senatorum accommodatus; & ſufficiens.*
17 *Vnitas fortior eſt.*
18 *Vnum corpus Senatus, vnius animo regendum, ſicuti ab vno Gubernatore, nauis. Conſilium integrum eſt, quod plurimorum conſilijs comprobatur.*
20 *Propter multitudinem ſapientum, qui Principi aſſiſtunt, non errat in iure Princeps; & conſilium plurimorum magis rectum.*
21 *Multitudo firmior, difficiliusq; corrumpitur.*
22 *Cœtus multorum grauitatem præſefert.*
24 *Mutatio laboris, inducia quietis.*
25 *Leges eadem non poſſunt omnibus reipub. formis eſſe accommodatæ, ſed cuique ſunt ſuæ quædam peculiares ferendæ.*
27 *Reſcriptorum vſus, cur in vna eademq; cauſa multiplex & varius. & num. 29.*
28 *Reſcripta omnia Senatus Mediolanenſis ſub quadruplici ſpecie connumerantur.*
31 *Reſcriptorum, vſus frequens non improbandus, & reſcriptorum contrariorum multiplicitati quomodo ſuccurri poſſit.*
32 *Iuſtiſſimam vnius Senatus conſtitutionem, ideo non mutandam, nec licere leges mutare, & minus ab inſtitutis maiorum recedendum.*
33 *DOMINIVM, verbum promiſcuè pro iuriſdictione accipi.*
34 *Cur in prouincia Mediolanenſi præſit Senatus.*
35 *Prouincia Mediolanenſis deſcriptio.*
36 *Qui de prouincia Mediolanenſi ſcripſerunt.*

CA.

## CAPVT I.

*Senatus cur vnus tantum.*

1 Licuisse olim cuilibet ciuitati Senatum habere scribit Iustinianus Nouella 38 his verbis. [Veteres, qui rempub. ordinarunt, ad exemplum Regiæ vrbis in qualibet ciuitate nobiles congregandos, Senatumq; constituendum esse censuerunt, qui publica negotia tractaret, ac recte cuncta disponeret.] Quæ res ita excreuit, ad eumq; splendorem peruenit, vt magna multitudine refertæ decurionum familiæ inuenirentur. Hactenus Nouella. Sic & Lu. Dec.iv. lib.iv. quod vbi cos. renuntiatum est, Senatores omnium ciuitatum ad se vocari iussit. Quare Decuriones municipiorum Senatores vocantur in *l. omnes 33. C. de decur.* & Cassiod. *lib. 6. ep. 3. var. & lib. 9.* eos minorem Senatum, ac neruos, viresq; ciuitatum esse dicit, cùm in pluribus Romanum Senatum imitarentur. *l exemplo 36. C. de decur. l. Senatoris 5. & l. seq. ff de sen. tot. tit. de*
2 *albo scrib l. vnic. C. de ration. oper. public. l. in albo C. de decur.* & his simil. quod etiam tenuit Luc. de Penna *in rub num. 2. & in l. omnes per illum tex. num. 10. C. de decur. & lib.* Decian. *in trac crim lib. 4. cap. 14.* Alia tamen ratione constat in hac prouincia duos Senatus extitisse, alterum, qui secretioribus Principis consilijs interesset, alterum, qui iustitiæ partes tueretur, vt probat statutum Mediolani *in cap. 32. lib. 1* cuius sunt verba, *nec etiam coram Senatoribus Ducalibus secreti & iustitiæ.* Ve-
3 rum ex hac constitutione, vnus tantùm est constitutus Senatus, ex prudentissimo Ducum Mediolani consilio, vt honoratior, prudentior, & consultior esset, vel vt ait Erectio illa anni 1499. [Et quia temporibus retroactis duo fuerunt in ciuitate nostra Mediolanensi, vnum secretum, & aliud iustitiæ consilia ordinaria, quæ ferè eandem habebant au-
4 ctoritatem. Existimantes multiplicitatem Magistratuum non necessariorum reipub. minus vtilem fore. Vnicum consilium ad omnia, quæ vtrique supradictorum consiliorum incumbebant, onera sufficere, reipub. nostræ consulere; officiariorumq; multitudinem resecare, in nostrum subditorumq; nostrorum subleuamen cupientes. Statuimus & ordinamus hoc edicto, vt de cetero sit in dicto Dominio nostro Mediolani vnicum supremum consilium &c.] vnitas enim firmior est, & diuisionem non capit. *l 1. §. sciendum de separat.* Specul. *de arb. §. 8. vers. quid ergo.* Nam Senatores, dum simul adsunt, pluribus oculis cernunt, pluribus manibus operantur, pluribus itidem ititant pedibus, ac reipub. necessitatibus adeò præsto sunt, vt nihil eis obscurum, nihil arduum, nihil inopinatum, nihil nouum, nihil inauditum, nihilque magnum videri possit. Quinetiam per consilij ora vir religiosissimus Princeps appellatur, & omnia iura in scrinio pectoris sui, hoc est in consilio suo, habere dicitur, secundum Cyn. *in l. ante omnium C. de testam.* quem refert, & sequitur Mar. Laudens. *de Prin. q. 354. & 361. per tex. in c. 1. de constit. lib 6.*

5 Vnus dumtaxat constitutus est hac in prouincia Senatus, ad instar vnius Præsidis Prouinciæ, *tot. tit. ff. de off. præsid. prou & C. de off. rect prou.*

6 Vnus quoque ad tollendum dubium illud relatum a Tessaur. *in d. præfat. num. 15* post Guid. Pap. & alios, an scilicet quilibet vassallus iurisdictionem habens ab Imperatore constituendi iudices, possit Senatum constituere.

## CAPVT II.

*Senatum vnum esse an melius sit, quàm in classes diuisum.*

Vnus postremo, in quo patres omnes adsint, & 7
simul iuncti, institutus est, prout ille Romanorum, Senatus, non autem in classes diuisus: Egregium sane, decorum, atque vtilissimum inuentum; quod etsi Don Aloysius a Castella olim in hoc Dominio Censor Regius immutare, & in classes ad instar supremorum consiliorum Hispaniæ, Curiarum, Rotarumve aliorum locorum diuidere attentauerit, adhuc tamen iure merito vnus conseruatur, & post hac permanebit, rationibus potissimum perpensis, quæ tunc in medium, me etiam existente in Curia Regia, deducebantur, & quas nunc recensere lubet.

Dicebatur enim ex parte ipsius Regij Censoris, 8
negari non posse, quin Senatoris officium in iustitiæ administratione omnino positum esse agnoscamus, & quin illud nunc vrgente necessitate, causarumq; multitudine exigente in dies magis turbari, promiscuisq; actibus impediri videamus. *iuxta l. consulta vers. absurdum C. de testam.* quia sæpè susce pta cura regiminis, cor per diuersa diuerberat, 9
& impar quisque inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa, ait D. Gregor. in Pastor. nec duabus curis ingenium debet occupari. Dixit Cassiod. *ep. 21. in fine lib. 9.* id etiam firmat Quintil. *lib 10 cap 3.* Neque enim bona fide simul se intendere animus potest, & quocunque respexerit, desinit intueri quod propositum erat. Xenophon quoq; Non, inquit, fieri potest, vt qui multis vtitur artibus, omnia pulchre faciat. Proinde Martialis Attalum omnia tractantem ardelionem vocat. Sic & in Metiochum distichon:

*Totus enim toto, per totum, totus, & omnis*
*Esse omnis dum vis, incipis esse nihil.*

Cuius dicto simile est illud tritum, Pluribus intentus minor est ad singula sensus, & aliud desumptum ex *auth de tabul. §. si vero collat. 4 & ex c. cum sit ars de at. & qual.* melius esse pauca tuto agere, quàm in pericula multis interesse. Præterea, sicuti stomachus, qui varijs edulijs suffertus est, diuersisq; potionibus natat, concoquere difficile potest; ita & ingenium multitudine rerum fatigatum, optimam sui vigoris partē amittit: animusq; frangitur in diuersa negotia distractus, vt ad ea omnia nec mens, nec corpus sufficiant. Hinc tot incommoda oriri cernimus, & absurda nasci, vt in vna eademque causa secum pugnantia prodeant. Rescripta, quæ multiplices nouarum litium, atque expensarum fœtus edere solent, earumq; expeditionem in infinitum vsque protrahere. Quare si ita natura comparatum est, 
vt singulis causis singuli fines præscribantur, singu- 10
lisq; indiuiduis singula ornamenta sufficiant: & si vnius rei studio, quod totum hominem poscat, qui intenderit assiduè, in eo etiam præexcellit; cur non etiam diuidendus in ipsas classes Senatus? vt Senatorum classis vna certorum duntaxat negotiorum cu-

curam suscipiat, altera vero certis alijs destinetur, in quæ vtraque totis animi corporisq; viribus intendat; dum etenim onus diuisum est, facilius sopportatur. *arg l 3. §. fin ff. de lib. leg.* & quæ tradunt Anchar. *cons.* 381. *col.* 2. Bal. *cons.* 312 *in fine vol.* 2. & quisque Senator reipub. commodis facilius inseruire sic potest: secus autem, si ea cura, quam pauci explicare possunt, omnibus demandetur. Hinc apud quasdam gentes, potissimum Ægyptios (vt Herodotus in Euterpe author est) medicis non omnia, sed alijs curatio capitis, alijs oculorum, alijs dentium, quibusdam alui concessa erat. Præ-
11 tores etiam plures fuere delecti, negociaq; inter eos diuisa, ita vt vnus, teste Pomponio, de parricidio, de falso, de sicarijs, alter rei frumentariæ præesset, alius vero de fideicommisso iusdiceret, alius item inter fiscum & priuatum.

12 Nec difficultatem fieri debere super numero plurimorum Senatorum, idem Censor dicebat, cùm non multitudo personarum, sed spectata, perfecta, stabilitaq; fides & probitas paucorum sit attendenda, vt notatur *in l. ob carmen ff. de testib. & in l.* 1. *ff. de iust. & iur.* Nec iudicio plurimorum acquiescas dicitur Exod. 23. paucorum vero acquiescas, quia tunc cum pace, vnione, & iustitia omnia perficiuntur. *iux. l. congruit ff. de off. præs & in auth. de man. prin.* §. *deindè.* Contra vero, vbi multitudo, ibi confusio, causarum protelatio atque machinatio, secundum Io. a Plat. *in l. collaterales § ea scilicet in fine C. de re milit. lib.* 12. *& est tex in l* 3. §. *apparet C. quom. & quib. quar. pars debeat lib.* 10. quo sanè argumento vtitur Bar. *in tract. de regimin. ciu. num.* 8. Vlterius, dum quis discordat, aliorum ratio, & actio impeditur per discursum. *l. consilio § fin. ff. de curat. fur. & l. itinere ff. de seru. rust. præd.* cum simil. optime illud. Segnius expediunt commissa
13 negocia plures. Dicitur etiam regimen paucorum ex *l.* 2. § *nouissimè ff. de orig iur. & l.* 3. §. *apparet ff. de adm. tut.* & eod. Bar. *sub d num.* 8. *circa finem vers. quarto firmius esse.* Addebat quoque, non ab-
14 surdum fore, si classes ipsæ Senatorum constituerentur, cum olim iam essent duo Senatus, vt iam dictum est, ex instituto vsque Solonis, de quo sic Plut. in eius vita 38. Superiorem autem Senatum speculatorem rerum omnium, ac legum custodem voluit esse, vt duobus Senatibus veluti anchoris firma ciuitas minus salo ac fluctibus iactaretur, magisq; se ob eam causam sedatam, & quietem plebem habiturum. Hæc & alia huiusmodi per ipsum Regium Censorem adducebantur.

15 Quibus respondebam ego, Senatorum munia non omnes, nec singulorum causas complecti, sed quasdam duntaxat ex hac Constitutione, easq; etiam inter eos ordine miro distributas esse. Ratione enim supplicationum, & precum in causis ciuilibus, tres singulis mensibus eliguntur Senatores lectores, ratione verò causarum criminalium duo alij Senatores lectores, siue Auditores singulis binis mensibus (quod iure optimo fieri infra *in glos.* 5. *huius* §. *demonstrauimus*) deputantur, vt vnusquisque in suam prouinciam facillime incumbere possit; cum non adeo immensa sit negotiorum moles, quin op-
16 timè quilibet ius petenti respondere possit. Est enim numerus Senatorum ipsorum ad iudicia ferenda pro ratione muneris personarum, & negotiorum qualitate accommodatus, & sufficiens, ac optime summaq; ratione constitutus; est etiam vnus fortior. *c. maioribus de præben. & dignit. auth. de con-* 17
*sang. & vter. frat.* §. *quia igitur collat.* 6. iunctis his quæ tradit Bal. *in auth. hoc amplius C de fideicom. vers. item quia dignitas. & in l* 2. §. *nouissimè ff. de orig. iur.* & Alber. *in proem ff.* § *discipuli, quàm si in classes, aut decurias foret diuisus.* Quis neget vnum corpus Senatus vnius animo regendum, sicuti ab vno Gubernatore vna nauis? Integrum sanè est 18
consilium, quod plurimorum consilijs comprobatur. *c. prudentiam in prin. & § illa quippe fuit, vbi glos ff. de off. deleg. c. extra conscientiam* 64. *distinct. c. nouimus de verb. sign. l.* 1. *ff. de off. quæst instit. de bar. in prin.* Dec. *cons.* 605. *num* 4. Boer. *decis.* 223. *num.* 4. Vrsill. ad Afflic. *decis.* 1. *num.* 1. *&* 2. & vbi ampliores homines, ibi amplissima veritas reuelatur, quia quod vni non occurrit, alteri se offert. *l. omnium C. de testib. c. in canonicis* 19. *distinct. c. de quibus* 29. *distinct. l. fin. C. de fideicom.* cum alijs traditis ab Osasch. *in proem decis. suarum. num.* 7. quò enim sunt plures, plura etiam vident, & in eis perspicatior est ratio ad discernendum, quam in vno, secundum Arist. *lib.* 3. *Polit c.* 7. *& lib.* 4. *c.* 14. *l. hac consultissima in fine C. qui testam. fac. poss.* pluribusq; iurisperitis adhibitis plenius res tractantur. *l. Diui fratres ff. de iur. patr.* ac facilius inuenitur, quod a pluribus quæritur. *c. fin.* 20. *distinc. d. c. extra conscientiam* 14. *d. distinct. l. fin. C. de fideicom.* Rimin. *iun. cons.* 12. *num.* 28 *b.* 1. Vrsill. *d. decis.* 1. *num.* 3. S. Thom. 2 2. *q.* 49. *art.* 3. *in corpore, & ad* 3 *in fine* D. Menoch. *de præsum pt. lib.* 2. *præsumpt.* 71. *num.* 6. *& seq.*

Et dum Senatus constitutus est ad iustitiæ admi- 19
nistrationem facti veritate attenta, veritas ipsa quantò magis conteritur, tantò clarior ex pulsis densissimis nebulis in lucem progreditur; ad instar aromatum, quæ magis redolent, quò magis conteruntur, vt egregie per Castrens. *in cons* 1 3. *lib.* 1. Crau. *cons.* 135. *num.* 18. Rol. *cons.* 13. *num.* 1. *lib.* 3. Et quod magis est, ibi salus, vbi multa consilia, *prouerb. c.* 11. *sapien. c* 6. Afflic. *in constit.* §. *nihil vero num.* 5. est enim consilium plurimorum magis rectum, secundum Anchar. *cons.* 157. *num* 3. & tradit Gran. *decis.* 76. *num.* 32. eam veram, & rectam dici opinionem, quæ plurimorum nititur testimonio: quemadmodum enim conuiuium teste Philosopho *Polit.* 3. *c.* 2. ad quod plures conferunt, melius est vna, & simplici mensa; sicutique ex scintillis multis lumen vnum accenditur, sic iudicia multorum meliora, & plurimorum mentibus solidius administrationi prospicitur, nam dum cum alijs vnà decernunt, atque consultant capiunt simul sufficientem 20
sensum; quod verissimum agnouit Bal. inquiens propter multitudinem sapientum, qui Principi assistunt, Principem non errare in iure, *in cons.* 129. *num.* 6. *lib.* 2. & cum sequitur Castr. *cons.* 164. *col antepen. in fine vers. nec est tolerabilis lib.* 2. Dicimus etiam, testes plures numero præualere testibus paucioribus, quia sincerior & validior probatio. *c. licet de prob.* & quæ singula non prosunt, simul vincta iuuant. *glos. in l.* 2. *ff. de excus. tut.* de qua re latissime per Sebast. Med. *de reg. iur. reg.* 3. Cæte- 21
rum firmior est multitudo, cùm difficilius corrumpatur. *d. l. hac consultissima in fine, & l iusiurandum C. de testib.* Bar. *in d. trac. sub num* 9 *in fine,* singuli enim teste Plin. in Panegir decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt; & Arist. *lib.* 3. *Polit. cap.* 2. in multitudine difficile est omnes labi, & errare. Sequi Liu. *lib. ab vrb.*

*vrb. con.* 3. inquiens plus multorum consilia vigere, & hoc obseruare Principes Mediolanenses, ait Mar. Lauden. *de Prin. conclus* 154 cùm agnoscerent illud optimum, perfectum, & absolutum, quod ex omnibus suis partibus in vnum esset maxime coniunctum.

22 Grauitatem etiam cœtus multorum præsefert *Ciceronis testimonio* 3. *de legibus*, cuius hæc sunt verba. *Senatori tria iussa sunt, vt adsit, nam grauitatem res habet, cùm frequens ordo est. Et Plin. ep.* 11. *lib.* 2. *conspectus augustissimus fuit præcipuè Senatorum frequentia. Quid enim expectari desiderariuè potest in eo iudicio, in quo præsit alter Cato, vel Cassius, vel Aristides? in quo tot grauissimorum, prudentissimorumq; virorum corona adsit? dum ab eis non solum spectatur, sed etiam perpenditur causa.*

23 Nec videtur verum illud, quod dicebatur, ingenium in diuersa distractum, optimam sui vigoris partem amittere: siquidem id contingere posset, vbi quis diuersis & separatis rebus operam, vno & eodem tempore daret: alioquin nihil vetat pluribus studijs intendi, dum vnius cura ad alterum muniat viam, vt, iuris ciuilis scientiam foro, iudicijsq; exercendis non mediocriter conducere omnibus notum est; in hoc enim legalis philosophiæ iudicandi munere, finis est veritas, & iustitia. *l.* 1. *ff. de iust. & iur.* cum simil. quæ ex diuersitate causarum & rationum illustrior fit, prout & campus si diuerso flosculorum genere vestitus & variatus, pulchrius arridet, vel vt ait Plin *lib.* 7. *ep.* 9. vt terræ varijs mutatisq; seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illac meditatione recoluntur: alia quippe alij res ornamento, & ad cęterarum cognitionem auxilio est. Præstat igitur hunc excelsum ordinem ita iustitiæ incumbere, vt nullo extraneo actu Patrum opera, officium, & diligentia interrumpatur, & alterius aut disciplinæ, aut negotiationis occupatione non detineatur; ad instar agricolæ, qui arua simul, vineta, oleas, & arbusta colere, pratis, pecoribus, & hortis, & aluearibus curam facilè quidem accommodare solet; ita vt nec impossibile sit, nec laboriosum nimis Senatum, vel Senatorem, modò causis feudalibus, modò criminalibus, possessorijs, & quæ contractus respiciunt, aut vltimas voluntates tangunt, aut finium regundorum rationes, operam præstare: omnia enim ad ius pertinent, & ad iustitiæ administrationem. Animus grauiori negotio fatigatus & onustus, alio leuiori delectatur & exoneratur, quia mutatio la-
24 boris, induciæ sunt quietis, secundum *S. August. de oper. Monach.* & vsus atque exercitatio, quemadmodum in actionibus corporeis, ita & in animi, & virtutis celeritatem quandam & facilitatem parat. Non ideo tutum videtur, si qui in classes diuisi, ita aliquam iurisprudentiæ partem amplectantur, vt reliquas omnes reijciant & seponant, sed ad easdem properandum est, & contendendum, vt aliarum comitatu quisque accedat instructior & paratior. Non etiam, quod aiunt Iurisconsulti, apprehensa possessione partis agri, totum agrum apprehensum censeri debet. *Natta cons.* 429. *in prin. lib.* 2 sed in hac iurisprudentiæ disciplina, licet campus latissimus se offerat, totus tamen, & per singulas partes est peragrandus, qui vniuersum velit obtinere; alioquin tantum censetur possessum, quantùm longo vsu fuerit præscriptum, quod etiam in bellicis & militaribus studijs acceptum videmus; nam is fortio. vir apparet, qui armis & equis, ac omni militiæ apparatu instructus sit, & ad omnia paratus.

Nec vim faciunt exempla aliorum locorum, & 25
prouinciarum allata, quoniam secundum *Plat.* 1. *de legib* Non possunt eædem leges omnibus reipub. formis esse accommodatæ, sed suæ quædam ac peculiares ferendæ, ita vt omnes naturalis æquitatis normam sequamur, vtpotè omnium legum lex & fondamentum, seu firmamentum. Comprobat hoc ipsum *Cicero* 1. *de Inuent.* dicens, vt prudentes & eruditi medici non eadem omnibus egrotis, sed alijs aliud, atque adeo contraria plerumque pharmaca applicant, sic sapientes legum conditores leges ipsas ad vsus & mores hominum, qui varij sunt, adoptare, & accommodare consueuerunt. Iam enim, vt dictum est, duo ęrant Senatus, sed ob curationem reipub. certiorem vnus, vt in re nautica, constitutus est nauis gubernator, qui in tempestatibus mutatis quandoque personis, locis, & temporibus ad artem suam confugiat, nauem vt integram securamque ad portum traducat. Rursus, quemadmodum lex communiter vna esse debet, ex definitione legis, *in l.* 1. *ff. de legib.* sic vnus semper esse debet Senatus, qui casibus nouiter contingentibus pro sua auctoritate summa prouideat, secundum sententiam Iuliani *in l.* 2. §. *si quid C. de vet. iur. enucl. optimus tex. in l. præcipimus* §. 1. *ibi, sacris iudicijs præsidentes, C. de app.*

Illud etiam, quod de Prætoribus dicebamus, qui 26
ad certas duntaxat causas erant allecti, facili negotio tollemus, auctoritate potissimum Cic. qui pluribus in locis manifeste docet, non vt, quot quæstiones essent totidem Prætores decernerentur, sed plures quæstiones apud eundem Prętorem fuisse exercitas, & in hoc Pomponium errasse.

Non etiam obesse potest aliud de multiplici con-
trarioq; in vna eademq; causa rescriptorum vitio, 27
quoniam dicebam ego, notissimum esse, rescripta referri ad ea quæ in precibus narrantur, *c. dilectos* § *ceterum de fide instrument. l.* 1. *C. de diu. rescrip.* & vbique scrib. vulgatum quoque illud, ob nimiam facti mutationem totum ius mutari. *Alber. in l. ex plagis* § *in diuo ff. ad l. aquil. Dec. cons.* 599. *num.* 6. Hinc ergo dari posse duo rescripta, aut contraria, aut varia dicendum est, ita vt in neutro erratum sit, quippè rectè se habebit primum rescriptum, iuxta ea quæ in precibus proponebantur: rectè & alterum contrarium, vel diuersum iuxta facti speciem in posterioribus narratam; Nonne Demosthenes aduersus Aristocratem sic ait? *Qui iudicant, curant se ex animi sui sententia iudicaturos. Ceterum formatur ea animi sententia ex ijs, quæ à reis audiuntur; quam sententiam dum iudices sequuntur piè atque religiosè faciunt. Quisquis enim neque odio, neque beneuolentia, neque alia iniusta causa percitus, contra animi sui sententiam non pronuntiat, religiosè iudicat. Neque enim qui ab oratore deceptus aliquid ignorauit, ignorantiæ pœnas dare debet: sed qui volens & sciens perperam pronuntiat, is execrationi est obnoxius. Quapropter in singulis concionibus præco diris deuouet non deceptos, sed qui phaleratis verbis vel Senatum, vel populum deceperunt.* Idem quoque ex Quintiliano declam. 266. *Non semper iudicum*, inquit, *culpa est, cum innocens damnatus erit: aliquando testis corrumpitur, aliquando parum diligenter causa defenditur, aliquando reo nocet, & ipsa fiducia. Non ergo id quòd obijciebatur vitio Se-*

natus

natui verti poterit, vel legi, vel constitutioni. Sed litigantium importunitati, & versutiæ, quibus per Cõstitutiones.& plura Senatus consulta accursum quoque erat. Ideo, cum Senatus non mutet rescripta, sed ipsum factum mutetur, & semper in ipsis rescriptis insit conditio illa, si preces veritate nituntur, *c. 2. de rescrip.* ea deficiente ipsa pro non data, & concessa dicantur. *l. fin. C. de diu. rescrip.* Cessat ergo obiectum, quod etiam alia ratione vix considerabile redditur si rescripta ipsa consideremus, quæ sub quadruplici solummodo specie cernuntur; Prima eorum, quæ de plano à Senatore Lectore, & Præside
28 tantùm expediuntur, vel super solius litigantis supplici libello, de quibus meminit *l. 1. ff de constit. prin. l. lenia ff de accus. & inscrip. l. Diuus Adrianus ff. de re iud. & l. ne satisdatio ff. rer. amot. iuncta l. ne quicquam §. de plano ff. de off. procons. & leg.* (inter quæ illa sunt etiam excitatoria rescripta, quæ ad maiorem iuris obseruantiam dari posse voluit *glos. in cap. 1. in verbo libere de rescrip.*) Vel super precibus, & responsis: hoc est nonnisi intimata parti supplicatione, & ea audita iuxta ordines anni 1580. Secunda eorum, quæ plenè super precibus in Senatu lectis, & de re, quæ à toto tribunali cognitionem, vel decretum desiderat, vt ait *Vlpian. in l. 2. §. 1. quis ordo in bon. poss. & in d. l. nequiquam*, decernuntur. Tertia eorum, quæ plenissime, vel ex hac Constitutione, & ordinibus, vel ex natura causæ, auditis etiam publicè aduocatis, non nisi recitata omnium, sententia emanant. Et hæ tres rescriptorum species ad partis postulationem. Quarta vero eorum est, quæ motu proprio, & ex officio per Senatum eduntur. Quinta addi potest species eorum quæ sunt de forma ex vetustissimo stylo Cancellariæ.

Quare si versemur circa primam speciem rescrip-
29 torum, in qua solummodo cadit obiectum, quis non videt eorum vsum frequentem quidem esse, sed nec totius Senatus, nec vnius classis occupatione egere? cum planariam duntaxat cognitionem desiderent, prout ait *tex. in l 4. C. de dilat.* Et quanquam aliquando ex præcantium importunitate, aut cautela, aut etiam ex obliuione quid contrarium emergat, illud nouum non est, sed apud Principes ac Summos Pontifices vsitatum, prout Imprecatores *Gratian.*
30 *Valentin & Theodos in l. 1. & C. de petit. bon. sublat. lib. 1.* rescripserunt, & habetur in *l. si quis obrepserit ff. ad l. Cornel. de fals. & habetur in c. ceterum de rescrip. in c. ex parte de off. deleg. in l. si quando C. de inoff. test. in c eccles. de elect & tradit glos. in c. 1. de constit.*, idem firmarunt *Anchar. cons. 313 in prin. Corn. in cons. 184. lib. 2. Rebuff. de rescrip. art. 2. glos. 3.* cum alijs per nos adductis hic §. 2. *par. 2. cap. fin.* (iura enim hæc & alia, à Scrib. declarata de obreptione, & subreptione loquuntur.) Idem etiam probat præfatio ad ordines illos Senatus anni 1580. Satis enim est si huic morbo per Præsidem occurratur, vt egre-
31 gie fecisse Iacobum Ricardum, de quo tunc recens extabat recordatio, dicebam; qui omnium rescriptorum, & precum in mente vestigia adeo retinebat, vt eo tempore vix aliquod contrarium (tantæ enim vir ille numquam satis laudatus memoriæ fuit) reperiretur: Quod etiam sub prudentissimo, religiosissimoque Mainoldo Præside obseruatum fuisse vidimus, dum illuuioni rescriptum aggeribus positis, illa recto tramite dilabi, & placidissimo cursu fluere cernebamus. Qui enim rectè ducit, vt rectè sequatur efficit teste *Plut. in Lycur.* 70. Non etiam obiectum illud, quod ad quosdam Senatores tantum conuersi debuerat, vniuersos tangere poterat, vt in puncto arguit *Fel. in c. ad audientiam 1. num. 1. ad finem de rescrip.* Siquidem Senator ille lector, ex tribus singulo mense designatis, aliorum decreta non videat, sed tantum quæ propria manu facit, & quæ etiam per Præsidem approbantur.

Neque improbandus est rescriptorum frequens vsus, cum hoc antiquitus constitutum fuerit, vt in casibus à lege non expressis, vel nihil respondeat Senator, quasi frustra petitum sit, quod iure concedi debuerat, vel si respondendum sit, excitandi magis iudicum animi, quam quicquam diffiniendi id fieret. In casibus vero a lege concessis, qui plures sunt, vt per *Gul. de Cuneo à Bal. relatum in l. nemo C. de iur. omn. iud.*, & in ijs præsertim quæ ad præcidendas lites, vel ad suspectos iudices amouendos, de quibus lex expresse meminit, in *aut. in med. lit. non fieri sac. iuss. vers. eam autem*, ita se gerat accuratè, vt optimum sit rescripta eiusmodi prodire, quod latius cõprobauimus nos *pract. quæst. cap. 43. sub num. 13. & 14. & fusius infra §. 10.* Idem etiam firmandum est, si agatur de corrigenda interlocutoriarum iniustitia, maxime euidenti, vti scripserunt *Aret cons. 106. nu. 10. post Bal. in l. fin. num. 46. ad finem C. de edic Diu. Adrian. Sollen. Pract. Pap. in form. sentent. interloc. §. 1. num. 4. & Menoch. de arb. iud. quæst. 70. num. 26.* Negari enim non potest, quin Senatus potissima sit cura, vt iudices omnes iustitiam administret, vt in eod. §. 10. infra, id autem per rescripta fit, quibus Iudices, ne à recto tramite deflectantur, retinentur, vel ab errore reuocantur. Quæ rescripta (de prima specie intelligo, aut etiam de alia ex vsu, & consuetudine cancellariæ) cum vnum tantum occupatum detineant Senatorem, integram classem cur fatigarent nulla ratio, nulla æquitas suadebat. Absurdum sanè videtur, si ad ea, quæ facere vnus commodè potest, plures adhibeantur. Non ergo melius prouisum fuisse dicebam, si in classes, aut decurias diuisus fuisset Senatus, quam vt nunc est, vnus dumtaxat relinqueretur, cum proinde obiecta non tollerentur, quæ non ex lege, aut præsenti Constitutione, quæ vnum duntaxat constituit Senatum oriebantur, sed vsu & hominum operatione. Propterea concludebam, homines tantùm legibus abutentes corrigendos fuisse, & multandos, atque summopere insistendum, vt ordines seruarentur. Quamuis etiam permulta fragilitati humanæ condonanda sint. Fateri itaque debemus Constitutionem nostram, quæ vnicum constituit Senatum iustissimam esse, atque ideo nullo modo mutari debuisse, ne arguaremur, quemadmodum Plut. Traianum his verbis arguit. *Insudare te scribis ad nouas quasdam leges conficiendas in- 32 tellexisse vellem potius te in antiquioribus seruandis occupatum fuisse, cum nihil prosint foruli legibus referti, si respub. pessimorum morum labe commaculetur.* Vt in morbis non sunt tentanda noua remedia, si veteribus possit ijs succurri: ita non est cogitandum de nouis legib. si reipub. incommodis medicina aliqua veteribus possit adhiberi. *Arist. lib. Pol. cap. 6.* affirmat, legum abrogationem eneruare rempub. & contemptum afferre Principis & consuetudinis. *Et D. August. cap. 118.* ipsa mutatio consuetudinis, etiamque aduenat vtilitate, nouitate perturbat, vel vt ait *Tacit. xv. annal.* super omnibus negotijs melius, atque rectius prouisum, & quæ vertuntur in deterius commutari contingat: cum nonnulli sint, secundum

cundum *Quintil. lib. III. instit.* qui, vt aliquid sui videantur afferre, etiam recta commutant. Itaque melius erit sequi exemplum *Dion. lib. 52. de Augusto* sic loquentis: *Positas semel leges constanter seruare, nec vllam earum immutare: nam quæ in suo statu eademque manent, etsi deteriora, tamen vtiliora sunt respub. ijs, quæ per innouationem, vel meliora inducuntur*. Idem quoque dixit *Alcibiades apud Thuc. lib. 6.* his verbis: *Eos hominum tutissime agere, qui præsentibus moribus, legibusque etiam si deteriores sint, minimum variantes rempub. administrant*. Et *lib. III. Cleon. apud eundem* ait. *Eam rempub. quæ malis quidem, sed tamen immotis legibus vtitur, præstantiorem esse illa quæ bonis quidem legibus vtitur, sed tamen mobilibus, & inconstantibus*. Approbat Cato, qui antiquum statum respub. quantum potuit commutari non patiebatur. Subscribit I. C. *in l. 1. §. 1. ff. de mun. & hon. & habetur in l. 3. §. præses, & l. honor §. honoribus eod. tit. & per Bar. in d. tract. de regim. ciuit. num. 12. Accedit Vlpian. in l. 2. ff. de const. prin* sententia talis: *In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, euidentem autem vtilitatem sic intellige, vt si lex aut consuetudo, nisi corrigeretur, paulatim esset correcturn ius natura, quod immutabiliter retinere oportet, secundum scribentes ibidem; & Valerium apud Liu. lib. 34. Non etiam ab institutis maiorum nostrorum recedendum esse temerè voluit. Tex. in c. 1. & in c. ne innitaris de constit. vbi Abb. & Fel. facit alius tex. in c. ita dominus 19. distin. & in l. testamenta omnia C. de testam. ibi: Mos namque retinendus est fidelissimæ vetustatis*. Idem firmat *Ægid. Rom. de regim. Prin. lib. 3. part. 2. cap. 31.* multis ostendens non licere mutare leges & consuetudines patriæ, quæ rectæ rationi non sunt contrariæ, etiam si quid incommodi habeant. *ex Arist. II. Polit.* nec illud *Exod. 23. Deut. 22.* omittam. *Non transferas terminos antiquos, quos statuerunt patres tui*. Fuit insuper apud Locros lex à Seleuco talis lata *Qui aduersus instituta maiorum, atque leges communium approbatas, nouarum rerum auctor esse vellet, ei laqueus orantis proponebatur, vt persuaderet*. Quod sane si nunc seruaretur, non tam multi nouarum rerum, & opinionum auctores euaderent. Scribit etiam *D. Menoch. lib. 5. præsump. 34. Nouarum rerum studiosos, valde suspectos esse. Neque credendum est sapientes harum Constit. compilatores commodorum suorum, aut voluptatum, aut gratiæ comparandæ causa posteris, qui nondum nati erant, blandiri, atque adulari voluisse, sed existimandum potius eos rectè consuluisse, omnem sapientiam suam ad vtilitatem posterorum, & veram gloriam, cuius omnis excellens animus auidus est, direxisse; ita vt ex vnico Senatu salus vna resp. sit constituta*.

## CAPVT III.

*Dominium quid.*

MErito igitur vnus tantùm in Dominio Mediolani siue Mediolanensi iurisdictione constitu-
33 tus est Senatus (promiscue namque dominium, & iurisdictio accipitur, teste *Bar. in l. qui furem ff. de stat. hom.*) siue nomen illud *Senatus*, accipiamus pro loco in quo conueniunt Senatores, vt infra *glos. 4. num. primo*, siue pro concilio, cœtu, vel numero patrum Senatorum; pro vtroque enim accipi potest ex sententia eiusdem *Bar. in rub. ff. de Senat.* quam sequitur *Nicol. Bellon. supput. iur. lib. 4. c. 10. n. 2.*

In Dominio Mediolanensi, siue prouincia Mediolanensi tantùm constitutus est Senatus, cui præ- 34
est, non autem in alia prouincia, ad instar Constitutionis publicatæ in vna prouincia, quæ non ligat existentes in alia, quamuis facta, & promulgata in Curia Regis, vel Imperatoris, vt multis probat *Osasch. decis. 141.* Et quemadmodum prouincia dicitur, quæ habet præsidem de per se, cui subsunt plura loca habentia plenum, & mixtum imperium, secundum *Neuiz. inter cons. Brun cons. 12. n. 78. post Alex. Claud. & Portugal.*, ita & dominium, sub quo plures ciuitates subsunt soli Senatui.

## CAP. IV.

*Prouincia Mediolanensis descriptio.*

COnstat autem Prouinciam Mediolanensem positam esse in ea parte Galliæ, quæ ab antiquis 35
Cisalpina dicta est, populi multitudine refertissima, agri bonitate, amœnitate, fecunditateq; insignis, & vberrima aeris temperie salubris, & præstantissima, cœli clementia, situque regionis vndique iucundissima latam, & diffusam, viridantissimamque planitiem continet, aquosam est enim, & pascuis apta, & à fluuijs irrigua: tumulis & collibus pinguibus, atque terrenis, vitibus etiam consitis circumdata, ac montibus septa. Hic vineæ largo pubescunt fœtu; hic prata amena, floridaque, ac nemora antiqua, & procera apparent. Agri sunt fertiles, pinguesque Campi, siluæ densæ, atque subucidæ, Fluminibus permultis munita est prouincia, ijsque nauigabilibus: Siquidem ab Oriente Abdua, a Meridie Padus, ab Occidente Ticinus, & Tanarus, in quem duodecim torrentes influunt, insigniores & maximi labuntur: Lambrus etiam, quasi λαμπρός, hoc est clarus, Orona, quod à montibus fluat, Terduplus, Sesites, Acconia, Athiso Cimbrorum cladi insignis apud Ocellum, seu domum Ocellanam, Hiria in quos alij plures fluuioli ac torrentes feruntur. Riuos, fontes, nilos, Euripos penè innumeros, omnesque piscosos itidem habet, quibus fertilissima planities, & arua cultorum industria irrigantur. Adsunt complures Lacus, quorum præcipui Verbanus, Larius, Lucanus, alijque minores, qui nomen adiacentibus oppidis dederunt, vel ab eis sumpserunt: Eupilis, nunc Hannonus, Brippius, Montunatus, nunc Monatus, Gauiratus, Ternatus, & Mergotius, ex quibus singulis vtilitas, & voluptas non modica desumitur. Vrbes insignes Mediolanense hoc Dominium plures habet, Mediolanum, Cremonam, Ticinum, Alexandriam, Nouariam, Nouocomum, Laudem Pompeiam, Dertonam, siue Tertonam, Viglenanum, Bobium, ac prouinciam Pontremolensem. Horum vnaquæque opportuno admodum situ posita dignoscitur, & territorium amplum, & fertile adeo complectitur; vt in vno quoque complura oppida, vici ampli, & insignes vbicunque cernantur, qui multas Europæ vrbes magnitudine, & pulchritudine superant. Hæc eadem prouincia omnium ferè Principum Italiæ finibus est circumdata: Finitima est enim Venetorum, Montisferrati, Pedemontium, Liguriæ, Heluetiæ, Rhetiæque ditioni: Fines etiam Placentiæ, Parmæ, Mantuæ, & Florentiæ at-

tingit. Feliciſſimum hoc Mediolani Dominium pluribus in locis nuncupat *Pariſ. de Putheo in tract. ſindic.*

36 Quàm celebris ſemper fuerit hæc prouincia, teſtantur complures Scriptores antiqui, & recentiores, nimirum Auſonius, Ammianus, Marcellinus, Antoninus, Blondonus, Bernardus, Arlunus, Benſellus, Cato, Charinus, Claudianus, Caſtillioneus, Cornelius Tacitus, Corius, Eutropius, Facius de Vbertis, Ferrarius, Gotifredus, Iacobus Viumphelingus, Iacobus Philippus Bergomenſis, Iſidorus, Lancinus, Liuius, Liutprandus, Leander, Merula vterque, Miletus, Marinonus, Morigia, Oroſius, Papias, Procopius, Plutarchus, Polybius, Paulus Diaconus, Plinij ambo, Strabo, Suetonius, Sempronius, & Trogus.

## *Gloſa ſecunda.*

Mediolanique reſideat.

### *SVMMARIVM.*

1 *Reſideat cur Mediolani Senatus, & num ſeq.*
2 *Metropolis vna duntaxat in vno quoque Regno, vel prouincia habenda. Quæ alias, quibus præpoſita eſt ciuitates, officijs deuincat. num. 3. Sit ampla & florens, hominum multitudine referta, ſit ingenijs fecunda. num. 4. In ea ius non minuatur, maxima adſit auctoritas, & vltimum ius adminiſtrandi exiſtat; Magiſtratus Regiaq; Maieſtatis ſedes habeatur. num. 5.*
6 *Habet vim totius Prouinciæ, Et Princeps ingrediens Metropolim cauſa apprehendendi poſſeſſionem, totius prouinciæ poſſeſſionem acquirit, non autem per ingreſſum aliarum vrbium.*
7 *Quemadmodum Præſes prouinciæ morari tenebatur in Metropoli, & in ea exercere omnem iuriſdictionem, ſic & Senatus, ne publica vacillet vtilitas.*
8 *Metropolis ſumma ope tuanda & defendenda.*
9 *Mediolanum vrbs Metropolis huius prouinciæ, & num. fin. A quo condita, & vnde ſit eius appellatio ducta. Eius ſitus, num. 10. In ea cum plures Imperatores conſediſſe & quos, num. 11.*
11 *Mediolani plurimæ leges in corpore iuris inſertæ ab Imperatoribus datæ leguntur.*
13 *Mediolanum olim Italiæ Metropolis & Illirici.*
14 *D. Ambroſij laus ſumma.*
15 *Vrbs ampliſſima Mediolanum. Eius rerum omnium copia & abundantia, num. 16.*
17 *Artificum Medielanenſium genera multa, frequentia, & excellentia.*
18 *Mediolanum vrbs inter ceteras totius Europæ primas in re mercantili partes obtinet, Emporiumq; Italiæ dicitur. Liberales diſciplinas in ea excultas. num. 19. Ipſius vrbis potentia. num. 20. Ædificia mirè ſplendida. num. 21. Religio. num. 22.*
23 *Reſidere cur Mediolani debeat Senatus, Reſidere dicitur, qui perpetuò in loco moratur, Accipitur etiam verbum reſidere, pro in loco ſolito ſedere. num. 24.*
25 *Suburbia ciuitatis appellatione continentur. Sed contra num 28. & 30.*
26 *Abſentes dici Cardinales ab electione Pontificis, qui extra ſunt Vrbem, vel continentia eius.*
27 *Præſidem & Senatores hactenus conſueuiſſe intra mœnia habitare.*
29 *Præſidis & Senatorum habitationem propè Curiam vel locum Senatus eſſe oportere.*
30 *Qui extra mœnia morantur non poſſe dici reſidere.*
31 *Senatoribus non licuiſſe abſque licentia ab eſſe.*
32 *Qui ſine cauſa abeſt, peccare, quia poterat dari caſus, vt is ſua præſentia, vel ſententia alios à malo, vel illicito conſilio diuerteret.*
33 *Qui iure delegationis, vel iuſſus abeſt, pro præſente habetur.*
34 *Prætoribus ſinè cauſa diſtrictum exire non licuiſſe, item & Senatoribus, & quibus abeſſent indictam fuiſſe pœnam.*
35 *Præſentia Senatorum neceſſaria.*
36 *Senatoribus quando, quibuſvè diebus abeſſe liceat.*
37 *Refectioni animorum aliquid tribuendum.*
38 *In ocio negotioſos fuiſſe Senatores quoſdam.*

## CAPVT I.

*Senatus Mediolani cur reſidere debeat.*

1 Mediolani reſideat, hoc eſt permaneat, moretur, optima ſane ratione, cum Mediolanum Vrbs in medio huius prouinciæ exiſtat, ſitq; Metropolis aliarum Vrbium, vt ait *Bal. conſ. 77. lib. 5.*
2 In vno enim quoque Regno, Repub aut Prouincia tradit *Liu. lib. 5. Decad.* 1. vnam duntaxat Metropolim, cuius iura non minuantur, eſſe oportere: quod etiam ſequutus eſt Imper. *in l. 1. de Metropoli Beryto, & habetur in l. 7. de off. Proconſ. Strabo lib. 5.* ſic ait. *At vero in Mediterraneis eſt. Capua Metropolis, re vera caput &c.*
3 Rectè Dion Chriſoſtomus orat. xxxviij. Metropoleos munus eſſe ait, alias, quibus præpoſita eſt, ciuitates officijs ſibi deuincire, & obligare. Ita .n. Nicomedienſes hortatur. Tentate igitur primas habere inter ciuitates: primùm quidem, vt illarum curam geratis, hic enim tanquam Metropoleos veſtrum peculiare officium. Eſaias cap. 1. Appellaberis ciuitas iuſtitiæ Metropolis fidelis Sion. Huic Dionyſius *in lib. de Reth.*
4 vbi de nobilitate natalium agit, quærit quæ ſit ciuitas & eorum Metropolis, aut ſi ſit ei, quæ primum dignitatis locum obtinet, in honore proxima: ſi ampla & florens, ſi frequenti hominum multitudine referta, ſi ingenijs fecunda &c. prout hanc noſtram eſſe paullo infra demonſtrabimus. Ex I. C. *in l. ſi duas §. decet ff. de excuſ.* colligitur tres fuiſſe ordines ciuitatum quædam enim erant maximè, quædam magnæ, ceteræ, vero paruæ. Maximè dicebantur in quibus erat forus maior cauſarum, & loca iudiciorum, cui ſuberant multæ aliæ ciuitates. Magnæ vero vocabantur ciuitates, quæ habebant merum imperium, non tamen alias ſub ſe ciuitates. Paruæ autem quæ ſolum iuriſdictione vtebantur. Illa ergo ciuitas maxima, Metropolitana gentium fuit dicta; quæ poſtea ſedes fuit Archiepiſcopi, quia ſub ſe haberet plures Epiſcopos. Hæc etiam probarunt *Bar. in d l. vnica num. 2. C. de Metrop. Bery. lib.* 11. vbi etiam *Aug. in princ.* iterum idem *Bar. in conſtit. qui ſint rebelles, in verbo Lombardia num. 7. Franc. Marc. deciſ. 366. num. 16. in fine, & num. 17. cum duob. ſeq. lib. 1.*

Phi-

5 Philippus Commineus, inquit, in ipsa Metropoli vrbe maximam auctoritatem adesse debere. & in ea constituendum vltimum ius administrandi, ac Magistratus, Regiæque Maiestatis sedes; quia tunc ciuitas ceteris nobilissima, & dignissima redditur, iuxta *l. quilibet C. de decur. lib.* 10. *vbi Bal.* Habetque Metropolis ipsa vim totius prouinciæ, vt per *Lãcell. Conrad. in templo Iud lib.* 1. *cap.* 7. *tit. de Præside, & Senat. num.* 25. Hinc sequitur, quod si Princeps ingrediatur in Metropolim vrbem prouinciæ causa apprehendendi possessionem prouinciæ cum apparatu iurisdictionali, iam acquirat quasi possessionẽ totius prouinciæ, vt tradit *Mart. Lauden. in tract. de*
6 *prin. num.* 217. quem sequuntur *Gram. decis* 71. *nu* 4. *Capic decis* 1. *num. xi. Cabed. decis.* 8. *p.* 2. non autem per ingressum aliarum vrbium *Vincen. Fran. decis.* 343 *p.* 2 Et quemadmodum Præses prouinciæ morari tenebatur in Metropoli, & in ea exercere omnem iurisdictionem secundum *Ias. in l.* 1. *nu.* 21. *ff. de off. eius* (licet posset pro libito in tota prouincia tribunal eligere, & mutare) *Salic. in l. si vt proponis C. quom. & quand ind.* ita etiam Senatus. Nimirum Præses, & Senatores omnes, ne publica vacillet vtilitas, vt dicit *tex. in l. humilioribus C. de suscep. præp. & arcar lib.* 10. residere in hac Metropoli tenebuntur. Scribit etiam Cicero ad M. Brutum Ep. 16. *Metropolim Regni in bellis ciuilibus, si fieri potest, occupandam, aut conseruandam.* Sic etiam sensit Seuerus lib 2. apud Herodianum his verbis: *Quare occupemus quamprimum Romam larem ipsum Imperij;*
7 *sin minus peccare, prout Pompeius, qui Romam deseruit, & Brutus in Italiam vocatus ex Græcia.* Hoc ipsum sequitur Liu. Decad. 1 lib. 9. *Dum ex Vmbris Romam petentibus ostendit Metropolim quemadmodum in primis ab hoste tentandam, & oppugnandam: sic à ciuibus tutandam, & defendendam.* Sic etiam Antigonus in Demetrio, teste Plut. 18. de vrbe Athenarum loquens. *Ciuitatem Mediolanum Regiam & Metropolitanam inter omnes ciuitates Lombardiæ Principatum obtinentem, ac habentem studium generale vocat Bald. cons.* 77. *lib.* 5. sed plura paullo infra. *Præceptum hoc de residendo non ita amarè, aut seuerè accipi debet, vt nunquam inde discedat, sed satis est, vt debitis temporibus resideat,* inquit Crot. *cons.* 146. *num.* 1. *lib.* 1. *sed vide infra num.* 3. *& seq.*

## CAPVT II.

*Mediolanum Vrbs qua.*

8 Optimo igitur iure dictum est, Mediolani resideat Senatus, cum hæc florentissima, celeberrimaque vrbs Metropolis, vt dictum est, & huius prouinciæ mater nostrorum maiorum beneficio, vt ait de Tyro *tex. in l. vnic. C. de Metrop. Beryto lib. xi.* fuerit, & nunc princeps ciuitas sit, ac veluti vmbilicus.

9 A quo condita, & vnde sit eius appellatio ducta, variè proditum est. Liuius Gallis tribuit, nonnulli, & verius Bellonceso, qui eam ex vico eximiæ dignitatis finitimo alpibus ædificarit. Quidam Mediolanum dictum putauere, quod inter duos amnes, ipsi lames vocant, vrbs posita sit, Abduam scilicet & Ticinum: alij ab animali media parte lanato in ipsis fundamentis inuento, cuius effigiem in fornice porticus mercatorum licet intueri. Cato prius Olanum ait dictam à Thuscorum duce: dein ab Insubrum Principe Medo adauctum, nomen accepisse Mediolani. Aliter Alciatus in Emblematis, aliter alij scribunt.

Vrbs Mediolanum opportuno admodum situ iacet, quo præter agri ipsius vberrimas fruges è Gallia Cisalpina res omnes tam ad vsum humanæ vitæ, 10
quam ad delitias vtiles comportari possunt. In hac quamplurimos Imperatores contra Gallos, atque 11
Germanos bellandi opportunitate ductos consedisse legimus. Sæpius etenim Cæsar constituit, frequenter Nerua, atque Traiano valdè placuit locus, vt Regiam ibi ædificarit. Habitauit hic etiam Adrianus, Magnentius, Gallus, Aureolus. Item Maximianus Herculeus, (qui Mediolanensis à quibusdã dicitur, & Did. Iulianus itidem Mediolanensis, ac Carus Manlius Aurelius, item & Geta) qui hanc vrbem mœnibus ornauit, murum secundum adiecit, eamque amplificauit, & ædem Herculi in ea posuit, quæ nunc Diuo Laurentio Martyri est dicata: iuxta quam columnis xvi. marmoreis domum sumptuosissimam Imperatorum vsui ædificauit, quam incendio periisse scribit Merula, vt solæ columnæ sint relictæ. Philippus Imperator Christianus hac in vrbe resedit, item Constans, ac Constantius: item Iouinianus, Honorius, Arcadius, Valens Valentinianus, Theodosius, (qui Mediolani morbo absumptus est) & Gratianus. Gallienum intra Mediolanum diem obiisse, multi quoque tradunt. Hinc Gelas. Papa Epist. 11. tom. 2. Epist Decret. *Risimus autem,* inquit, *quod prærogatiuam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator?* Diserte Mamertinus in Panegyrico ad Diocletianum, & Maximianum III. *Quid? illud Dij boni, quale pietas vestra spectaculum dedit, cum in Mediolanensi Palatio admissi, qui sacros vultus adoraturi erant, conspecti estis ambo, &c.* & paucis interiectis. *Ipsa etiam gentium domina Roma immodico vestræ propinquitatis elata gaudio, nosque è speculo suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propriùs expleret ad intuendum quominus, quantum potuit, accessit. Lumina siquidem Senatus sui misit beatissima illi per eos dies Mediolanensium Ciuitati; similitudinem maiestatis suæ libenter impartiens, vt ibi tunc esse sedes imperij videretur, quo vterque venerat Imperator.* Et in Panegyr. Incerti Constantino hæc habentur. *Præsertim cum tu dies aliquot Mediolani residens tempus tibi omnibus consulendi dedisses, vt de te sperarent.* Plura huiusmodi alia apud Ammian. Marcellinum.

Hoc ipsum etiam leges plurimæ, quæ ab his Imperatoribus latæ, & Mediolani datæ leguntur, apertissimè demonstrant, nimirum ab Arcadio & Hono- 12
rio *l. si quis C. de Episc. & cler. l. pon. C. de excus. tut. & curat l nominationes C. de app. l. si quis prouocatione ced & l. publicarum C. quor. appell. l.* 3. *C. quor. bon. l. momentanea C. vnde vi. l.* 2. *C. vti possidetis, l. nemo iudicum de oper. pub. l. ne splendidissimi eod. l. neminem C. de exhib. reis, & l.* 3. *ad l. Iuliam de ambitu.* Ab Arcadio solo *l. tunc conuenit C. de accus. & inscript. l. ante sententiam C. quor. appell.* Ab Honorio solo *l.* 1. *C. de abig.* A Gratiano, Valentiniano, & Theodosio *l.* 2. *C. de hæret. & manich. l.* 2. *in fine C. quan. mul. tut. off. fungi poss. l. codicillos C. quemad. testam aper. l. quotiens C. de Senatusconſ. refic. l. cum post sententiam*

*C. de app. & l. fin. de crim. sacril.* A Valentiniano & Valente *l. iudicibus C. de app. & l. 1. de exhib. reis.* Ab eisdem Valentiniano Valente, & Gratiano *l. 1. de ingrat. lib.* A Valentiniano, Theodosio, & Arcadio *l. vnica C. si de mem. poss. l. seruos ad l. Iuliam de vi pub. & l. vnusquisque ad l. Iuliam repetund.* A Diocletiano, & Maximiano *l. fin. C. de stat. defunct.* & à Constantino *l. si quis Imperatorem C. qui testam. fac. poss. l. nemo aruspicum de hær. & manich. & l. 4. C. de sepulchro viol.* permultas alias ead. in vrbe latas leges, reperies in Cod. Theodos.

13 Mediolanum Italiæ Metropolim probare videntur Athanasij verba in Apologia de fuga sua ad Cõstantium, quæ à Theodoreto referuntur lib. ij. cap. xv. *Nam nuper cum Ecclesiæ pace fruerentur, & populus in sinaxibus preces faceret, Episcopus Romæ Liberius, & Paulinus Metropoleos Italiæ à sedibus suis abducti, & in exilium acti sunt.* Nam Dionysium Mediolani Ecclesiæ præpositum fuisse tunc certum est, teste eod. Athanasio *in Ep. ad solit. vit. agen. Paulinus Episcopus Treuerorum, quæ Galliarum Metropolis est Dionysius Mediolani; quod & ipsius Metropolis est Italiæ, cui quidem metropoli magna pars Illirici subiecta erat; ita vt in Præfecti prætorio ipsius, Italiæ potestate fuerit, prisco, & Illustri exemplo legis Vatiniæ, quæ vt Suetonius in C. Iulio Cæs. c. 22. scribit, Illiricum cum Gallia Cisalpina in Cæsaris gratiam coniunxerat.* Nec certè mirum quippè imminet tractus ille. Ausonius in Aquileia:

*Itala ad Illiricos obiecta colonia montes.*

Atque ipsius Illirici Metropolis Mediolanum. *Ita Paulinus in D. Ambrosij vita.* Lætabatur Probus Præfectus, quod verbum eius impleretur in Ambrosio: dixerat enim proficiscenti, cum mandata ab eodem darentur, vt moris est: Vade, age, non vt Judex, sed vt Episcopus. Consularis enim Liguriæ & Æmiliæ fuit Ambrosius, & ex eo tribunali ad Episcopatus Mediolanensis solium conscendit: quod his lectissimis verbis docet Basilius scripta ad eum epistola. *Nunc Deus ex vrbe regia virum, cui*
14 *totius nationis administratio credita erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, dicendi facultate, & rebus, quæ ad ciuilem vitam pertinent, illustrem ad Christiani gregis curam pertraxit.* Iterum Paulinus loco supra citato, cum Ambrosius Sirmium ad creandum Episcopum Anemium perrexisset, ibiq; *Iustinæ tunc temporis potentia, & multitudine coadunata de Ecclesia pelleretur, vt non ab ipso, sed ab hæreticis Arrianis Episcopus ordinaretur, essetq; constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ à muliere excitabantur &c.* Non enim hæc Augusta permisisset, nisi sedis Mediolanensis auctoritas, vt Ambrosius, cui illa erat pertinaciter infensa electioni Episcopi in alia diœcesi præficeretur. Nam Arriani quoque, qui ab Illirico profecti; vt docet Maximi tyranni epistola ad Valentinianum Augustum, iam Occidentem insanæ prauitatis opinione infecerant, viro sanctissimo, quem hostili odio prosequebantur, restitissent. Hæc etiam pluribus probat Philippus Berterius Senatus Tholosania Præses in Pithanon Diatribis suis. Addimus nos in Absolutione illa Symmachi primum locum obtinuisse Laurentium Episcopum Mediolanensem; primus enim se subscripsit in eo concilio. Iordanus quoque de rebus Getic. testatur Mediolanum Liguriæ Metropolim, & quondam regiam vrbem fuisse.

15 Mediolanum amplectitur spatium ita vastum, vt inter amplissimas Europæ Vrbes connumeretur, eius enim interiorem ambitum latæ aquarum fossæ cingunt, per quas vndique nauigijs maxima annonæ copia defertur, marmora, ligna; materiæ omnes sumptu modico, & leui labore deuehuntur. Exterior vero ambitus mœnibus marmore & coctili latere extructis egregièq; fabricatis septus est, ac munitus. Extra vero mœnia quædam suburbia longa lataq; admodum instar vrbium habet. Amplissima est vrbs, & multitudine habitantium refertissima: nam si magnitudinem eius spectes, habitatoribus nequaquam compleri posse dices; si populum, tam numerosus est, vt non eo spatio, sed alio longè maiori contineri dubitari queat: ita enim hæc certare videas, vt neutra alteri cedat, hanc maiorem continere, illam innumerabilem.

Summam quoque profectò admirationem habet 16
rerum omnium, quæ sunt ad vsum mortalium vtiles, vt iam diximus, huius vrbis insignis abundantia copiaque vehuntur enim in hanc ex vniuersa terrarum orbe quæcunque tempora ipsa anni producunt, singulæ regiones ferunt.

Tam multa hic & tam diuersa artificum genera, 17
tanta horũ frequentia, & excellentia, vt referri difficillimè possit, laudari vero, & admirari iuremerito debeat, cũ longè excellant illis artificibus Atheniensibus, quos *Plut. in Pericle 27. & 28.* multis laudibus effert. Nam si spectemus Phrigiones, qui res ex serico, argento, & auro mirabili artificio conficiunt, pretiosas vestes, magnificam & lautam supellectilem acu pictam & intextam, ab his ferè solis in vniuersum orbem prodire cernes. Quid vero si aurum & argentum per Bracteatores elaboratum, in bracteolis, siue folijs, mox super serico netum & insertum, vel in minutissimum filum dispositum consideremus, vtique etiam, mirabile dictu, fateri necesse est, ad hanc ipsam ciuitatem, quasi Oceanum, in quo maria cetera decurrunt, omne ferè aurum & argentum factum & infectum ab India, & aliunde effossum, deferri, decurrereve, & mox elaboratum ad ipsam Indiam, & ad vniuersas orbis regiones hinc transmitti. Siquidem auri & argenti summa ingens elaborata pretij plusquam centum millia nummorum aureorũ singulo mense ab hac vrbe exeat. In hac etiã sola apprime viget ars illa mirabilis separandi aurũ ab argento, antiquis incognita: cũ dixerit Aurelianus, vt de eo Vopiscus refert, plùs auri esse in rerum natura, quàm argenti, sed aurum per varios bractearum, filorum, & liquationum vsus perire: argentum autem in suo vsu ma-
nere. Quid plura? hæc inter ceteras totius Euro- 18
pæ primas in re mercantili partes obtinet, & Emporium Italiæ dicitur. Quin etiam liberales disci-
plinæ hic excultæ fuerunt. Virgilius siquidem Me- 19
diolani illis operam dedit, & Lectorem hæc ciuitas Diuum Augustinum habuit.

Summam huius reipub potentiam arguit, quod 20
post frequentissimas hostium direptiones, quibus vniuersa diruta, soloq; æquata fuit, in vastam magnitudinem rursus semper creuerit, & propè quinquaginta millia æquestris ordinis virorum in bellum emiserit.

Habet ædificia mirè splendida, tam priuata, 21
quam publica; altas domos, habitationes conspicuas summo artificio constructas, ac varijs picturis interiori saltem in parte exornatas. Arcem portæ Iouis munitissimam, inexpugnabile, ac totius Europæ

ropæ propugnaculum, quæ nulla profectò vi capi vnquam potuit; quanquam per annonæ rerumque necessitatem & inopiam id aliquando contingerit. Ædem perauguſtam, quam Domum vocamus, immenſo sumptu, ac tam admirabili arte factam, vt nullum templum in orbe terrarum ſit, quod cum hoc templo conferri poſſit, ſiue magnitudinem & artificium, ſiue pretia marmorum & ornamentorum ſpectes: etenim non ſolum foris, intusq; cruſtis niuei marmoris intectum nitet, verum etiam mirabilibus ex marmore ſtatuis arte ſumma elaboratis eſt ornatum: inſunt namque pluſquam quatuor millia ſtatuarum. Alia plura nobilia fana ſunt, non rudi cæmento & informibus tegulis extructa, ſed marmore & plaſtice nitentia, & auro picturiſq; inſignibus radiantia (vt olim fuiſſe templa *Tacit. ſiue Quintil. in dialogo de orat. dixerunt*) in quibus cultus diuinus apprime elucet ex induſtria Sancti Caroli Borromæi Cardinalis. Vera ex prædictis dignoſcitur Procopij ſententia, qui ab hac vrbe Vrbem Romam facile ſuperari magnitudine,
22 ciuium copia, reliquis fortunæ bonis, dixit, ac (ſi acta Mediolanenſis Eccleſiæ iuſſu eiuſdem Sancti Caroli edita, & vſu recepta ſpectemus) religione. Et cum hic reſideat Senatus, ſumma etiam viget, & vbique in dominio iuſtitia.

## CAPVT III.

*Reſidere quis dicatur.*

23 RESidere autem dicitur, qui perpetuò in loco moratur, vt per *Archid. in c. licet de elect. in 6.* ita vt ab eo nunquam liceat diſcedere. *Card. poſt gloſ. in clem. 1. de for. comp. q. 12.* perpetuo vero accipi debet vtſupra *num.* 8 *in fine*; tum vt officio inſeruiat muniaq; obeat ſua. *Card. ibid. q. 13.* tum vt conſilio exiſtat, *l. quicunque C. de ep. & cler* ibi, reſidentibus Sacerdotibus, vt per *Alber. in diction. in verbo reſidentibus*, tum vt neceſſitatibus reipub. præſto ſit, iuxta illud *Cicer. de ſenect.* cuius in ſententia ſolum, ſed etiam in nutu ſedebat auctoritas, tum denique, vt vbi opus ſit, me leatur. *Id. Cicero in Saluſt.* omnia quæ commota fuerant pace & ocio con-
24 ſederunt. Accipitur etiam verbum reſidere pro in loco ſolito ſedere apud *Cicer. pro Roſc.* reſidere, deinde ſpatiari: & de finib. ſed reſideamus, inquit, ſi placet, itaque fecimus; quo in genere *Plin. in ep.* pluries etiam vtitur: ſed de hac ſignificatione latius *in gloſ.* 4.

## CAPVT IV.

*Reſidens in ſuburbijs, vel propè vrbem, an dicatur in vrbe reſidere?*

DVbia profectò quæſtio, vtrum reſidens in ſuburbijs, vel propè vrbem dicatur Mediolani reſidere: nam pro affirmatiua vrget primò, ſubur-
25 bia ciuitatis appellatione contineri. *l. ædificia, & l. continentibus ff. de verb. ſign.* cum latè traditis à *Menoch. de arb. iud. caſu* 155. & illa propè ciuitatem eſſe certum eſt, immo ſub ipſa comprehendi, etiam ſi via media ſit, ait *Bal. in c. Rodulphus num.* 8. *de reſcrip.* ita vt, qui propè vrbem eſt, præſens adeſſe dicatur, vt probat *tex. in l. præſens cum ſeq ff. de procur* Pro negatiua vero ſtringit admodum *l. abſentem ff de verb. ſign ibi, ſed ſi fortè extra continentia vrbis abeſt. tex. quo que in c. vbi periculum* §. 1. *de elect. in 6.*, vult abſentes dici Cardinales ab electione Pontificis, qui 26
extra ſunt vrbem vel continentia eius, deſeruiunt ea quæ paulo ſupra de verbo reſideri diximus, & quę idem *Menoch. dicto caſu* 155. *num.* 2. *& ſequen. ſcribit*. Rurſus in fauorabilibus, ſuburbia non contineri, tradit *Fel. poſt alios in d. c. Rodulphus num.* 7. *de reſcrip.* Poſtremo, dicitur, hactenus conſueuiſſe Præſidem 27
& Senatores intra mœnia habitare, non in ſuburbijs, quod etiam ſeruandum erit in poſterum, vt docet *Franc. Marc. deciſ.* 365. *num.* 30. *& eſt tex. in c. in eccleſijs de præb. in 6.*

Quinimo, cum olim ſuburbia non eſſent muris ſepta, ciuitas intra redefoſſa (hoc enim verbo vtimur) vel ambitum interiorem æſtuarij ſine fluminis, quod vulgo nauigium appellatur, ſolummodo 28
continebatur, nec ſuburbia tunc comprendi dixerim ex vſitato ſtylo notariorum, qui dum habitationem alicuius deſcribunt, vbi extra redefoſſa ſit, addunt verbum, foris, quaſi velint habitatorem huiuſmodi non intra ciuitatem, ſed extra eſſe; pro quorum ſententia facit *gloſ. in prin. de capit. ciu. lib. xi. & tot tit. ſi de curial. relic. curruns habit Maluer. vbi Bar. & Io. à Plat. lib.* 10. ſed ſi omne id, quod intra mœnia eſt, accipiamus pro ciuitate, negari non poterit, quin verius Mediolani reſideat ille 29
qui intra interiorem ambitum moratur, quàm qui in ſuburbijs, quin etiam paratior ſic cunctis ſe exibeat. Quod ſanè reipub. vtiliſſimum foret; ſcribit enim *Pompon. in l.* 2. §. *iuris ciuilis ff. de orig. iur. in hæc verba: Gaio Scipioni Naſicæ, qui optimus à Senatu appellatus eſt, publicè domum in ſacra via datam fuiſſe, quò facilius conſuli poſſet*. Plut. in Cicer. ib. ſic ait: *Domum quam è patrocinio habuit, fratri conceſſit, ipſe iuxta palatium habitans, ne qui eum ſalutatum irent, longitudine via grauarentur*. Et in vita Antiphonis oratoris in eo libello, cuius eſt inſcriptio. Vitæ decem oratorum, idem Plut. his vtitur verbis. *Atque is, cum ædes Corinthi iuxta forum ædificaſſet, his hanc inſcriptionem in veſtibulo addidit, poſſe ſe mœrore ac luctu oppreſſos verbis leuare. Cumque doloris cauſas didiciſſet, laborantes ſolabatur*. Ariſt. fuit præceptum lib. vi. Polit. cap. vij. vt qui litibus & controuerſijs ciuium definiendis præſunt, ædes notas cuius habeant, ac foro iudiciario vicinas pro ratione ſui muneris. In Romana Hiſtoria aduertimus, quoque, Tribunitiæ domus fores non interdiu, non item noctu ſolitas occludi, ceu planè portus quidam, ac refugium celebre, quo indigentibus ſemper, & facilè pateret aditus; loca retulimus in *gloſ. ſeruen. cap* 1. Qui ergo extra mœnia 30
moraretur, quamuis in ſuburbijs, diceretur abeſſe. Secundum *Abb. in c. inter vniuerſos de elect. Fel in c. omnis num.* 21. *de conſtit. vbi Dec. col.* 6. *& Fran. d. deciſ.* 132. *num.* 2. quod verbis expreſſis decreuit erectio illa Senatus anni 1499. in hunc modum. Volumus præterea, & ordinamus, præfatos Senatores noſtros, ſic in Senatu noſtro ordinatos in dicta ciuitate Mediolani reſidentiam facere, vt ſua valeât officia exercere, & ſubditis noſtris, prout de eis confidimus, iuſtitiam miniſtrare.

Qui ergo reſidere tenentur Mediolani, abeſſe 31
non

non etiam poterunt, saltem sine licentia, vel causa legitima, *l. filij libertorum in fine ff. ad municip. de incol.* ibi; *Senatores, qui liberum commeatum, Bal. in l. iurisperitos per illum tex. & glos. ff. de excus. tut. & in l. si quis Decurio C. de decur. lib.* 10. *vbi Luc. de Penna, Paris. de sind. tit. de excus. cons. Reg. post prin. & Cu-*
32 *ria Pisana lib. 2. cap.* 8. *vbi Azeued.* ait, perperam, & non sine peccato abesse, qui præsentia sua, consilio & sententia, aut auctoritate alios auertere posset à malo, & illicito consilio. *Idem repetit. lib. 3. cap. 2.*

Qui vero iure delegationis, vel iussus abest, pro præsente habetur *l. hac lege C. de prox. sacr. scrin. lib.*
33 *12. vbi glos. & Io. a Plat. & in l. nec ipsi C. de incol. lib. 10. num. 4. Bal. in l. si quis decurioni C. de decur. lib. 10. Alex. in l. diem functo ff. de off. assess. num. 33. Boer. decis. 17. & est tex. in l. si desertorem §. si ad diem ff. de re milit. & ibi glos.* quam singularem vocat *Bal. in l. si ea C. de cond. insert. Cassiod. variar. lib. 3. Ep. 21.* describit formulam dandi huius per Principem commeatus.

Prohibitionis ratio, ne abesse possint sine concilij licentia, ea est, quæ describitur in illa Senatus erec-
34 tione paullo ante citata, vel quæ de prætoribus ne inconsulti districtum exire possent, tradit *Alber. in l. nullus C. de off. rect. prou.* & ante eum *Bal. & Ang. in d. l. si quis decurio lib. 10 & est tex. cum glos. in l. dum in virum C. eod. vbi Bar. & Io. a Plat.* De hac re elegans est locus apud *Plin. lib. 10. ep. 8. & 9.* item apud *Liu. lib.* 36 qui ait vetitum fuisse, ne quis Senator ab vrbe abesset, & aliquando, ne quis vltra mille passuum à Roma se proriperet; quandoque etiam ex *eod. Liu. lib. 46.* cautum legimus, ne quis Senator longius ab vrbe Roma abiret, quàm vt vno die redire posset, neuè vno tempore quinque Senatores ab vrbe abessent. Quinimmo ex eod. Liuio post Cannensem cladem propter sollecitudinem curiæ, paucitatemque conuenientium ad publicum concilium, seueriore edicto opus fuisse dignoscimus: &, *eod. Liu. teste decad. 3. lib. 3.* Roscium Capitonem, vt eò frequentius Senatores conuenirent, certam pecuniæ quantitatem reliquisse distribuendam ijs, qui certis temporibus Senatui incumberent, sisterentq;. Peregrinationes quoque Senatoribus vetitas legimus apud Dion. in Augusto lib. LII. & Suet. cap. XLII. dicentem, *Sanxit ne quis Senatoris filius, nisi cõtubernalis, aut comes Magistratus peregrè proficisceretur*; quo in loco censet Lipsius, legendum fore, ne quis Senator, Senatorisue filius, ea ratione, vt si filiis id interdictum sit, multò magis Senatoribus ipsis. Iterum idem *Suet. cap. 23. & Dion. in Claudio. Sic quoque Tacit. Annal. lib. 12.*

*Dion. enim lib. LV. & Suet. cap. 35. in Octauio* tradunt, Augustum decreuisse, omnes omnino Senatores adesse oportere, nulla excusatione absentiæ admissa, pęnasque aduersus eos auxisse, qui nullam ob iustam causam in Senatum non venissent. Caium item Caligulam ita quosdam obiurgasse, qui vocati in Senatum non venissent, vt sibi ipsis mortem consciuerint. Scribit idem *Dion. lib. 40. sub Traiano*, cum quidam Senator cessauisset in Senatum venire, Prætor Licinius nepos ei multam indixit, quam tamen mox ei remissam *Plin. lib. 4. Ep. tradit.* Non omittendus est locus *Cicer. in Philipp. 1. Quid erat causa, cur in Senatum hesterno die tam acerbè cogerer? solus ne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, vt etiam ægrotos deferri oporteret?* alia apud *Gell. lib. 14. cap. 7. & eundem Cicer. lib. 21. Ep. 6. famil. Appian. lib. 1. Dion. d. lib. LV.* vbi de multa contumacibus indicta clarissime agunt, de qua re etiam per nos nos infra *glos. 4. cap. 3.*

Patet igitur præsentiam Senatorum ex præmissis 35
necessariam: Nec sanè laudandus erit ille, qui rerum suarum priuatarum nulla occasione prętermissa, muneris sui quasi oblitus, huc & illuc percurrit. Admittimus tamen Senatorem quandoque pro modico tempore abesse posse, vbi sciat quid arduum in
Senatu non esse tractandum; idque auctoritate *Spe-* 36
*cul. in tit. qui filij sint legit. vers. quid si mater*, dicentis, eum in domo residere, qui ad tempus recedit, hunc etiam tunc excusandum esse firmat *Nauarr. in manuali confess. cap. 23. tit. quæ lex humana §. 3. quod non obligant num. 49. & § 6. num. 55. Quod quousque eiusdem tit. Ang. in summa verbo Inobedientia in fine, & Alfons. de Castr. de pot. leg. pœn lib. 1. cap. 9.* plenè *per Paleotum de sacri consistorij consultationibus p. 5. q. 8.* & in ordine *pag. 45.* vbi tradit etiam, ad quid non venientes, vel sine causa recedentes teneãtur in foro conscientiæ. Nos etiam plenius infra *d. glos. 4.* vbi etiam causas iustas excusationis attulimus.

Diebus ijs quibus Senatus non cogitur, existima-
mus potissimum licere (sicuti illi destinati sunt) quã- 37
docunque ad animorum & corporum refectionem frui: id enim quod lege, quod more, quod exemplo, quod necessario, quod semper omnibus licuisset, fecisse eos Senatores patebit. Homines namque, quo plura, & grauiora negotia sustinent, eò maiore, si modo homines sunt, relaxatione animorum indi-
gent, testes sunt *Plin. ep. 35. lib. 9. & 10. & Seneca* 38
*de tranquil animi c. 15.* Nisi dicamus, vt ab assuetis nulla passio fit, ita datis quieti diebus minime tamen eos quiescere debere. Immo in villam secessisse plurimos Senatores vidimus, vt in ea solitudine grauioribus, ac difficilioribus studiis maiore animi attentione incumbere possent. Huius in otio negotii præclaram manifestamque reddebant rationem acerui illi scripturarum, quos in ea loca delatos, singuli Senatores ad vrbem redeuntes, visos & benè consideratos, reportare solebant.

§.

## *Glosa tertia.*

Præses, & Senatores.

*SVMMARIVM.*

1 *Grauissimum, & difficillimum esse de Praside, & Senatoribus verba facere, & num. 3.*

2 *Eadem facta claritate, vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur.*

3 *Describere, qualis esse debeat Princeps, onerosum, & prope superbum; laudare verè optimum Principem, vtile.*

5 *Laudanti magis, quàm carpenti fides adhibenda.*

6 *Senatum ex suis partibus constare, nimirum Praside, Senatoribus, & Secretarijs.*

7 *Prases caput est Senatorum, & totius consilij, ac maius imperium habet in prouincia post Principem.*

8 *Prasidis appellatio vnde deducta, & à quo ortum habuerit. num. seq.*

9 *Phrasis dicendi in erectione Senatus Ducis Sfortia, à Virgilio, & Plutarco desumpta.*

10 *Romani, non Prasidem Senatus, sed Principem dicebant; quod genus honoris prastantissimis tantùm tribuebatur.*

11 *Senatores ad munus Prasides semper fuisse delectos.*

12 *Prasidis munus praclarum, sed laboribus plenum, & cuilibet Senatori non idoneum. & num. seq. item num. 29.*

13 *Prasidis munus, & onera, qua pracipua. num. seq.*

14 *Quo maiori honore quis decoratur, grauiori etiam onere grauatur.*

15 *Prases munus suum prastare tenetur, alias peccat, prasertim quia stipendium accipit.*

16 *Labor non deterreat Prasidem, nam qua natura vel molesta sunt, vel horrenda; assetudine cohibentur. In munere Prasidis inest maxima philosophia pars, & laborum fructus. num. 17. Qui non gloria causa, sed virtute honores est adeptus, labores non reformidat quosuis. num. 22.*

18 *Imperatores, & Summos Pontifices noctes, & dies insudasse. & num. seq. Et quid in expediendis libellis, & petentium precibus egerint. num. 20.*

21 *Libellis Imperatores subscribebant se.*

23 *Non minus opere, diligentiaq; rebus communibus impendendum, quam apes fauo solent.*

24 *Ianitorum, aut scribarum vsus, qui diu, multumq; rogati vix tandem per litterulas respondere dignantur, impedimento esse non debet Prasidis, aut Principis audientia, sed venientibus offeret se, & petentibus comiter, benignèq; respondeat Prases, summa humanitate & loqui, & audire paratus, & num. seq.*

25 *Magna seruitus, magna fortuna. & num. 28.*

26 *Prasidis aspectum, quem multitudo litigantium sequatur, placere; presertim si quos potest, excipiat tunc Prases, benignèq; alloquatur, ac vnicuique eorum decenter se impartiatur.*

27 *Aditus ex facilitate, maxima etiam oriri reipub. commoda.*

28 *Dignitatis onera multa, & onus honorem sequitur.*

29 *Non oportere noctem integram dormire consiliarium, oportere vero prapositos rerum stantes mori.*

30 *Voluntarios labores appetimus, vt quietem alijs preparemus.*

31 *Honor, & gloria cum potestate vincta suauem laborem faciunt, & extudabilem.*

32 *In officio colendo sita est vita honestas omnis, in negligendo vero turpitudo.*

33 *Apprime Regium insudare laboribus, seruile vero amare delitias.*

34 *In laboribus modus aliquis etiam adhibendus.*

35 *Prasidis imaginem ex aliquorum gestis intueri posse.*

36 *Consilio, & auctoritate firmari Imperia.*

37 Francisci Marliani *primi Prasidis encomium.*

38 *Priuatorum quies, & reipub. salus oritur, cum lites & controuersia sedantur.*

39 Iacobus Philippus Saccus, *pater patria dictus num. 40. Propter Sfortiados his à Gallis proscriptus. num. 41. Plura in eum per Ducem, & Casarem collata fuerunt beneficia. num. 42. sua, & totius Senatus auctoritatis defensor acerrimus. num. 43.*

44 Marci Barbauariæ *laus.*

45 *Naturales impetus non nisi summa contentione reprimi possunt.*

46 *Sperandum optimè de eo, qui efferuescentem iram comprimere scit.*

47 Petri Pauli Arrigoni, *Elogium.*
*Praturam Cremonensem summa cum laude gessit: à muneribus omnibus abstinuit se: in improbos seuerus; inter ciues Cremonenses summa cum laudis testificatione lectos. num. 48. Placentinos populos Arrigoni fidei à Casare commissos, & ab ipsis ciuibus ciuitate donatus, clarior, non ditior in patriam rediţt. num. 49.* Pupillos, *viduas, carceri mancipatos, & alios miseratione dignos pracipuè fouit, eorumq; controuersias proni & peregrinorum ante ceteras terminandas curauit. num. 50. corruptores iuuentutis odio habuit. num. 51. Nullum certum tempus rebus agendis constituerat, sed omni hora faciles ad se aditus aperuit. num. 52. Gratia causa nihil omnino fecit. Senatus dignitatis defensor acerrimus fuit. num. 53. In mandandis Magistratibus cauit semper, vt digni eligerentur. num. 54. Excellentia titulo appellari meruit num. 55.*

56 Gabriel Casatus *humani, diuiniq; iuris cognitione praditus; Iustitia cultor eximius, virtute erumpere iniquitatem consueuerat.*

57 Io. Baptista Rainoldus *gracis, latinisq; litteris praditus. In sufficiendis in demortui locum competitoribus, vt idonei nominarentur, cauauit semper; acumine ingenij praditus: custos legum, & executor diligens. num. 58. Ne sapius ad se cum aduocatis, & causidicis veniendum esset, omni cura prouidebat. Pietate in Deum conspicuus. num. 59. sauiente peste, contagione agris, prasentia sua, & alio Christiani officij genere subuenit. num. 60.*

61 Iacobi Riccardi *vita. Magistratuum ipsius initia; memoria portentosa praditus fuit, ipsius in expediundis litigatoribus celeritas: & eis audiendis facilitas. num 62. & seq. Aduocatum neminem prasentibus clientibus obiurgauit. Ne aduocati publicè audirentur quantum potuit, cauet, In libellorum expeditione mirum ordinem tenuit. In coercendis delictis prudentissimus*

num.

*num. 63. reprehensus in quibusdam, sed malè num. 64.*

65 Bartolomeus Brugnolus *Iurisperitissimus, Regiaque Maiestati maximè acceptus.*

66 Iacobus Mainoldus *in munere suo assiduus, Iurisconsultissimus, insigni memoria praditus; incorruptus. Curauit semper ne contraria decreta ederentur. Munificè à R. M. donatus. num. 67. Auctor Comitis Fontium fuit, ne quis indicta causa damnaretur. num. 68. De quibus argueretur, sed perperam. Hic nullum tempus nisi in labore dedit quieti. num. 69.*

70 *Senator vnde dictus. Et qui Senator est, ita se gerat, vt laetetur veritate vocabuli. nu. 71. Senatores quot hactenus fuerint, & nunc sint. num. 72. Senatorum Romanorum numerus varius. num. 73.*

74 *Iuris duas esse partes publici, & priuati: publicum ius Magistratus respicere, atque ideo quantò maior omnium hominum æstimatio est alijs rebus, tantò diligentius publici viris habendam rationem esse, nimirum in ipsis magistratibus deligendis.*

75 *In omni repub summa res est Magistratus, pracipuus tamen Senatus, in quo tanquam in cardine salus reipub. vertitur.*

76 *Cath. Maiestas non prius quenquam in numerum Senatorum cooptare consueuit, quàm habita nominatione, tum à Gubernatore, tum à Senatu, tum denique habito voto super ipsis nominationibus à Regijs in supremo Italia Consiliarijs.*

77 *Quod institutum desumptum est ex Erectione Senatus, item ab Augusto, & ab Alexandro Seuero.*

78 *In Nominatione, qua fit à Senatu, quis ordo. Cur nominatio Senatui data num 79. Iurare tenebantur olim Senatores se electuros magis idoneos, quod nunc in Francia seruatur num. 80.*

81 *Electio Senatorum cur sit Regis.*

82 *Qui mos apud Romanos in deligendis Senatoribus.*

83 *Summa prudentissimi Regis moderatio, & ingeniũ in deligendis Senatoribus. qui neque sorte, & fortuna. neque suo ipsius iudicio, sed aliorum in deligendis Senatoribus vtitur.*

84 *Magnum virum esse oportere dicebat Alex. Seuerus, quem faceret Senatorem.*

85 *Senatoria dignitas culmen caterarum dignitatum.*

86 *Officium, quod in deligendis Senatoribus à Gubernatore, Preside, & Regijs supremis Consiliarijs per Reg. Maiest. requiritur, prastare ij summa fide tenentur, ne Rex decipiatur, & respub. damnum sentiat.*

87 *Nil difficilius esse, quam benè imperare, cum facilè Imperator decipiatur.*

88 *Non iuuat moderatum esse Gubernatorem malis vtentem remigibus.*

89 *Moderator prouincia facile decipi potest in propositione eligendorum.*

90 *Salubre consilium recensetur in ijs seligendis, qui R. M. proponendi, nominandiuè ducuntur.*

91 *Consiliarij Regij excusatione digni sunt, si nominationem iam factam de sibi non noto sequantur.*

92 *Senatores omni prorsus excusatione carere si minus idoneum proponant, nominentue.*

93 *Curandum esse, vt optimi honores accipiant, ideo proponendus examinari debet sollicitè ob honorem Senatus. & num seq.*

95 *Melius esse officijs, & administrationibus non peccaturos praficere, quàm damnare cum peccarint.*

96 *Qua perfecta nominationi soleant esse impedimento tam ex persona nominantium, quàm petitoris.*

97 *Non studijs priuatis, non ex commendatione, aut precibus paucorum legendum, proponendumue quenquam. In propositione nec aduersario, quod honestum, detrahendum, nec amicorum laudanda vitia, sed vnumquodque pondere verum indicandum. num. 98.*

99 *Crimina eorum, qui nominandi proponuntur, quãdo detegere liceat.*

100 *Paciscendum non esse de aliquo certo viro nominando. Ciceronis iudicium refellitur, dum voluit, in demortui locum alium virum bonum, minusque de fauore vllo in partem nobis aduersam suspectam eligendum esse. num. 101. Vota singulorum Senatorum non sunt captiuanda, mutuandaue pro amico, vel affine. num. 102. Nominatio legitima non est, qua concilio publico, & seruatis seruandis facta non sit, & mox in actis redacta. num. 103. Non prece potentium, aut minis facienda est nominatio. num. 104. Considerandum etiam, an obsit, vel prosit illi, qui nominandus est. num. 105. Neminem in nominatione contra ius incusandum. Improbatur que secreta quorumdam per libellos inquisitio. num. 106.*

107 *Tres nominationum modi.*

108 *Suffragia aperta an saluberiora. In tacitis suffragijs facile erat corrumpi viros improbos. num. 109. Si ambitus sileat, quari poterit in suffragijs, quid optimi viri sentiant. num. 110. Quanta vis erat in apertis suffragijs num. 111 Suffragia tacita viliora videri. num. 112. In suffragijs tacitis nihil est tam inaquale, quàm aqualitas ipsa num. 113. Sorte, qui in electione vsi fuerint. num. 114. Sors detrahebat ad parum idoneos, sed aqualitate sortis necesse vti est aliquando. num. 115. Nominatione facta de aliquo, eo inuito, alius nominari non poterit, quia variare non licet.*

116 *Omni vitio vacare debere, qui ad Senatoriam dignitatem ascensum petere vult.*

117 *Opertus infamia non est nominandus. Neque auarus, vbi etiam de auaritia multa num 118. Manus ergo habeat mundas, qui creari vult. num. 119. Non sit mendax. num. 120. Qui rebus suis malè prospicit, nunquam benè consulet alienis. num. 121 Arcebantur olim proscriptorum filij, & qui quastum turpem, & sordidum exercuerant. num. 122. Necnon adulteri, & periuri. num. 123. litibus voluntariè deditos non esse admittendos. num. 124. neque superbos num. 125. neque aliquo crimine accusati sunt, ipsa accusatione pendente. num. 126. neque fisci debitores. num. 127. neque qui prius de pracedenti à segesto officio rationem non reddiderint. num. 128. neque imperiti num. 129. neque qui simultates, & inimicitias habet eligendi sunt num. 130.*

131 *Ætas legitima in Senatore qua. In senibus virtutes corporis decrescunt, sola sapientia crescit. num. 133. Non atatis, sed prudentia habendam esse rationem. num. 134.*

132 *Senator in omnibus causis quasi pater consulat.*

135 *Virum, & eum vxoratum esse Reg. Maiest. proponendum. Corruptos sape prauitatibus vxorum maritos, sed in viro culpa, si fœmina modum excedat, num. 136. Nihil honestius consorte mentis leuamen, quàm assumere coniugem prosperis, dubijsque sociam. num. 137.*

138 *L. Rescripto ff. de mun. & honoribus extendendam esse*

278 *Cur primo loco nominatus vt plurimum eligatur.*

277 *Supremi Regij Consiliarij, quoties aliquem ex nominatis Reg. Maiest. proponant, vel primo loco nominatum collaudant, nisi eos penitus inhabiles agnouerint, non peccant, & num. seq.*

279 *Regia Maiestas postquam ea, quæ potuit, diligentia vsus est per suos consiliarios, eligendo aliquem non peccat, nisi sibi notum minus dignum eligeret; quia non potest à bono, iusto, & salutari discedere. num. 280.*

281 *Dictum vnius legalis viri iustam causam, iustiorem plurium præbet.*

284 *Si Rex imperitos, indignos, & minus idoneos præficit, sciens, aut scire debens tales esse, aut postquam sciuerit, si eos non deponit, cum possit absque vitæ periculo, & reipub. damno, peccat grauiter, & tenetur ad damnum.*

285 *Reges à rectè regendo vocati sunt. Et nu. 287. Rex velut bonus paterfamilias patrimonium in plures agricolas facilioris culturæ causa distribuere tenetur. num. 286. Deo assimilatur. num. 287.*

288 *Qui sit personarum acceptor. num. 288.*

289 *Minus idonei quando eligi possint.*

290 *P. Gregor. Tolos. deflet vsum eligendorum in Francia Senatorum.*

291 *Electio de minus idoneo prætermisso idoniori valida.*

292 *Familia eiusdē duos in Senatu esse, vtrum expediat.*

293 *Oriundos ex vnaquaque huius prouinciæ ciuitate in Senatorum numerum eligendos.*

294 *Honore, & labore omnes subditos participes fieri, exigit æqualitas.*

295 *Aduena, & Peregrinus quis dicatur. Qui tenuerint, aduenam, & peregrinum in consiliarium eligendum esse. num. sequen. qui vero contra, num. 308. & seq. Validissimum esse statutum illud, quo cauetur, prius ciues, quàm extraneos ad honores vocandos. num. 303. Quibus exemplis probetur, non esse exteros eligendos. num. 305. Prætor tenetur ciues, non exteros in tutores eligere. num. 316. Si maior pars eligat exterum, & minor pars ciuem, ciuis ceteris paribus præfertur. num. 317. Sic etiam in distributione annonæ, num. 319. & in præsentatione facta ad iuspatronatum ciuis præfertur. num. 319. Peregrinum non potuisse frui commodis ciuitatis Romanæ. num. 307. Non expedire, vt peregrinus sit consiliarius, vt arcana exteris pandat. num. 304. Eligendos esse Prætores, qui habent larem in orbe, & cur. num. 322.*

308 *Qui tenuerint peregrinum esse admittendum. Aduena, nimio affectu, quo ciuis, non ducitur; est enim à turba affinium, amicorumque immunis. nu 310. & 313. Nulli patriæ suæ administratio sine iussu Principis est permissa. n. 311. Prohibitum est iudici, vel assessori, ne in causa propria, vel ciuitatis suæ iudices sint, nu. 312 contra 321. Quibus exemplis constet peregrinos fuisse allectos. nu. 314. vide etiam nu. 322.*

297 *Patria magis obligat ciues, quàm peregrinos.*

298 *Ciuis legum, morumque ciuitatis minus ignarus, ideo aptior, & vtilitati publicæ magis profuturus. num. 299. Si aliquem peregrinum sibi proponendum videt, auertit se, & languescit in eo industria. num. 300.*

301 *Honor diuinum bonum est, & homines ad præclarè agendum impellit.*

302 *Virtutum præmia tribui merentibus conuenit.*

304 *Minus erraturum qui sibi magis notum deligit.*

306 *Princeps communis omnium, quos gignit respub. pater est. Itaque suus potius, & quos loco filiorum habet, quàm extraneos deligere, & subditos tanquā filios tractare tenetur.*

309 *Aptior est eligendus, non autem quærendum, an quis tali loco, vel ciuitate sit oriundus.*

315 *Originarius æqualis consilio, & prudentia, est tamen peregrino præferendus.*

320 *Qui amicos non habet, aut affines, eos sibi parat.*

324 *Senator est reipub. membrum. num. 324.*

325 *Consilia externa vsu infausta.*

326 *Clerici, & religiosi vtrum in Senatum legendi. Clerici non sunt de vniuersitate laicorum. num seq. Clericos non posse aliquam ciuitatem, seu locum temporalem habere, aut ad vniuersitatem causarum delegatos esse.*

329 *Dominus, qui tales sacerdotes ad officia præmissa admittit, mortaliter peccat, & forte sententiam excommunicationis incurrit. Multa causa recensentur, ex quibus non debent clerici ad munus seculare admitti. num. 330. Causa, propter quas possunt Clerici ad consiliarij officium elegi, vel ad aliud publicum seculare munus deputari. num. 331.*

332 *Equites vtrum inter Senatores liceat cooptare.*

333 *Inuitos non ambientes in rep. collocandos.*

334 *Princeps tamen neminem prorsus inuitum apud se retineat, licet de iure contumaces cogi possint, & pœna plecti.*

335 *Vtrum liceat oblatos honores recusare duæ sunt sententiæ.*

336 *Ad petendos honores antequam quis se accingat, quid cogitare debeat, & num. seq.*

338 *Honores vltrò delatos non esse acceptandos, si exhibeantur ab ijs, qui affectu rerum suarum ducti, spreta reipub. vera, rectaque administratione aliquem decorandum censent.*

*Exempla eorum, qui honores vel recusarunt, vel acceptarunt, referuntur etiam causæ recusationis, & acceptationis.*

340 *Iucundus honor vltrò delatus. Ideo munus oblatum suscipiendum esse propter charitatem, & alia.*

341 *Sexagenarios olim liberos à muneribus.*

342 *Magistratuum electiones fieri non debent in benè constituta repub. antequam aut occasio veniat, aut electi magistratum ineant.*

343 *De electo non esse disputandum, sed honorandus, quem princeps honorat.*

345 *Princeps eum, quem reperuit inhabilem, remouere tenetur.*

346 *Petitorum, siue candidatorum duo genera, aliqui rogati, aliqui vero voluntarij.*

347 *Cuique concessum fuisse magistratum petere, & qua ratione, & nu. 359. Petitores dicebantur candidati.*

348 *Senatus olim cognitio ne cuiquam indigno, aut contra leges magistratus mandarentur.*

349 *Candidatus tenebatur ante comitiorum diem nomen suum profiteri apud Magistratum illum, qui comitia habiturus erat.*

350 *Professio, quam facere tenebatur candidatus, qualis fuerit. Petitor vtebatur opera Saluatorum, Deductorum, & Sectatorum, & qui ij fuerint. num 351.*

352 *Populi conciliatio quatuor habebat partes, nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, & benignitatem, & horum effectus.*

354 *Candidatus, aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat; & quæ leges contra candidatos latæ fuerint.*

355 *Quæ honesto, malefloque petitori conferant. Noscat se ipsum, viresque suas ponderet, ne grauiori onere onustus succumbat. num. 356. grauiter enim errat, qui opus attentat vires excedens num. 352. Priuato sui commodo consulat petitor, & an valetudinem suam ad munus petitum suffecturam, dindicet; non ferè honores affectet. 358. Peti debet Magistratus sui ipsius primum, tum reipub. causa. num. 360. Peritus sit legum, & decretorum omnium, quæ officium petitum concernunt. num. 361. Vitam & mores componere debet petitor, & quomodo, & quæ vitare teneatur. num. 362.*

363 *Ad honoris augumentum non ambitione, sed labore conuenit peruenire.*

364 *Ambitus duplex, permissus, & reprobatus. Ambire est auaritiæ causa honores circumeundo supplicandoque affectari. num. 365. Ambitiosa diligentia quæ; item quæ ambitiosa decreta. num. 366. Ambitionis descriptio, eiusque effectus. num seq. Ambitiosus, quis dicatur; & quibus signis dignoscatur. num. 368. & sequenti. Uxorius ambitus fugiendus. num. 370.*

371 *Quando liceat honores appetere, & num. 372. & 374.*

373 *Manifesto periculo non debet quis se obijcere.*

375 *Quæ sint partes legitimi suffragatoris, laudatorisq; apud Principem.*

376 *Vera alicuius benefici suffragatoris commendatio per epistolas adfertur. & num. 376. Suffragator debet esse carus Prnicipi.*

378 *Petatur honor loco, & tempore.*

379 *Competitores nobis odio esse non debent.*

380 *Precibus petenda sunt officia, & reprehensam fuisse Catonis asperitatem.*

381 *A petitione supersedendum, vt alios petissimum consanguineos ad honores promoueat.*

382 *Petitor meminisse debet l. Sancimus C. ad l. Iuliam repetund.*

1 QVod præclarè ab illo linguæ latinæ doctissimo, & græcæ peritissimo vsurpatum est, Platonis verba in Romanam dictionem vertere se formidare; cùm ad explicandas eorum proprietates, & significationes nequaquam posset latina oratio aspirare: id mihi nunc in explicandis verbis huius glossæ contigisse videtur; nam dum eorum sensus cogitatione conquiro, & diligenter pondero, examinoq; adeò multa mihi se exibent de Præsidis, Senatorumq; officio, & auctoritate, dicenda; vt verear, licet pauca, ea me posse rectè complecti.

2 Potissimum, cùm ex sententia *Plin. ep. 24. lib. 6.* multum intersit, quid a quoque fiat: eadem enim facta claritate, vel obscuritate facientium aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur. Atque ideo me multi fortasse temeritatis, & arrogantiæ vitio redarguent. quod rem maximam, viribus

3 meis imparem, & hactenus ab alijs omissam, fuerim aggressus. Illud etiam addendum est, quæ ego scribo fieri posse, vt aliter à legentibus accipiantur, atque à me scribuntur: agendum est enim de Præside. & Senatoribus. Verum, cùm præsentibus in rebus aliquid audere a prudentissimis probetur, etiam si optatum exitum non assequamur; quid sentiam, aperiam. non egre ferens ab alijs melius sentientibus admoneri, emendariq; Agnosco etiam verissima esse, quæ *Plin. lib. 3. ep. 18.* tradit. Describ re qualis esse debeat Princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, & prope superbum. Laudare 4
vero optimum Principem, ac per hoc posteris, velut è specula lumen quod sequatur, ostendere, vtilitatis habet, arrogantiæ nihil. Et *Tacit hist. 1.* Suadere Principi quod oporteat multi laboris, assentatio erga Principem quemcunque sine affectu peragitur. *Plut. quoque in Lysandro.* † Laudanti 5
magis, quàm carpenti fides adhibenda; siquidem vituperare quàm laudare iucundius. Item ex eod. *Plin. lib. 9. ep. 29.* Satius esse vnum aliquid insigniter facere, quam plurima mediocriter; plurima verò mediocriter, si non possis vnum aliquid insigniter; quia si non ab aliquibus probabuntur, saltem varietas ipsa commendatur, vt in ratione conuiuiorum, id *Plin ep. 5. lib. 11.* contingere dixit. Propterea rem ipsam aggrediar.

## CAPVT I.

*Præses quis. Præsidis munus ceterorum grauissimum.*

SEnatus, consilium summum est, vt iam diximus, qui cum ex suis partibus constet, nimirum 6
Præside, & Senatoribus; sequitur vt Præses sit ipsorum Senatorum, & totius concilij caput. *l. quisquis C. ad l. Iuliam Maiest.* maiusq; imperium habeat omnibus in prouincia post Principem. *l. 3. ff.* 7
*de off. Præsid.* Dictus est Præses, quia Senatoribus præest, & pro Principe in Senatu assidet. *l. Æmilius Largus ff. de min. l. penult. ff. de his quæ in testam. delen. Tessaur. in præfat. decis. num. 22. optimus tex. in l. præcipimus §. 1. C. de app.* ibi Sacris iudicijs Præsidentes. Claro enim Præsidi & Senatus Principi nulla ciuilis muneris pars, prætermittenda est, quinimmo consilio omnibus, beneuolentia, diligentia præsto esse debet, summaq; cura singula intelligere tenetur, veluti Rector, & Præfectus nauium esset; alia enim ipse suis conficit manibus nonnulla per alios, quos velut instrumentis vtitur; atque in puppi sedens, omnibus quidquam agendi occasionem præbet.

Præsidis appellatio generalis est. *l. 1. ff. de off.* 8
*præs. Nouell. Iustin collat. 10. de Plebeis prat. tit. 13. & c. 1. de off. primic* & ab eo ductu, vel quia Præses ceteris præest, vt supra cum a præ & sideo nascatur significatio, & præses sit reliquis præstans, secundum illud Taciti Annal. III. Is proximum exercitum præsidebat, aut illud Cicer. Philipp. II. Qui huic vrbi, atque imperio præsidetis: vel quia præsit iurisdictioni. *d. l. 1. de off. præs.* vbi *Bar. Alex. in l. 2. in prin. ff. si quis in ius voc. non iner.* Cicero eadem Philipp. II. Senatus, qui quondam florens orbi terrarum præsidebat, vel quia prouinciam, Senatoresq; regat. *l. 2. C. de inoff. donat. l. ipse significas C. ad l. Cornel. de fals. in verbis prouinciam regit, & l. 3. C. de repud.* vel defendat, tueaturq; Tacit. histor. IV. Mineruam, præsidesq; imperij Deos precatus, vti cœpta prosperarent. Cic. pro Sex. Senatus reipub. custos, Præses, propugnator pro Domo sua, Vrbi & reipub. Præsides sunt penates patrij, hoc est præsidio. Virg. xi. Æneid.

*—— Heu mihi quantum*
*Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iuli.*

Cic. pro Syl. Ego tectus præsidio firmo amicorum;

 & Tus-

& Tuscul. 1. Is magnum sibi præsidium ad beatam vitam comparat. Vel quia Præses in Senatu adest, sedetq; *l. iubemus 14 in prin C. de sacr. san eccles. & d. l. pracipimus C. de appell.* Cicer. Verr. vij. templo præsident Dij. Postrem ò hæc appellatio ortum habuit à Senatus illa erectione anno 1499. his verbis. *Ordinamus insuper, quod in dicto Senatu & Dominio nostro Mediolanensi sit vnus Cancellarius, qui caput, & præsidens Senatus nostri, & iustitiæ nostræ habebitur*, clarius in secunda Senatus Erectione, in illis verbis. *Vtq; munus huius Senatoriæ dignitatis firmo semper clauo, nec ventis, fluctibus, ac procellis labefactetur, ac fluctuet: Ordinamus, quod vltra supranominatos Senatores, vnus sit Senator, qui Senatui præsit, & Senatus Præses appelletur; qui tanquam*
9 *alter Æolus, celsa sedens arce, cuncta insuper, vigiliq; oculo, ac recto libramine circumspiciens, molliat animos, & temperet iras.* Quæ dicendi phrasis desumpta videtur ex Virg. 1 Æneid.

*—— Celsa sedet Æolus arce,*
*Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.*

Huic non dissimile dictum apud Plut. in Solone 28. huiusmodi est. *Superiorem autem Senatum speculatorem rerum omnium, ac legum custodem voluit esse, ratus fore, vt duobus Senatibus veluti Anchoris firmata ciuitas, minus salo, ac fluctibus iactaretur, magisque ob eam causam sedatam, & quietam plebem habiturum.*

Et quidem præsidere maioris longe est auctoritatis, quam præesse; nam à præ & sedeo nascitur, quod sui natura præsefert excellentiam, & dignitatem. *l. omnia ff. de off. præsid.*

10 Romani vero non Præsidem Senatus, sed Principem dicebant, ex Plut. in Africano his verbis. *Sequentes censores alij Principem Senatus Africanum legerunt: quod genus honoris ijs tantum viris deferri consueuit, qui auctoritatem, & gloriam maximis in rempub. meritis, præstantissimisq; rebus gestis essent consequuti.* Et iterum *idem Plut. in T. Quint Flamin.* virum optimum, ac primarium Scipionem in Senatu Principem perscripsit. *Rursus in Paulo Æmilio* 23. Primus omnium, qui aderat Scipio Nasica, qui postea Princeps Senatus fuit, negotium suscepit. *Idem etiam in Tiberio, & Gracco* 8. Appius Claudius vir consularis, atque censorius, Principesq; Senatus, & magna per id tempus auctoritate excellens. Hoc ipsum firmat *Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. iv cap. xi.* nimirum, vt, qui ex censorijs viris, censuram antea gessissent, & antiquior superuiueret, Princeps Senatus eligeretur. Verum aliter *ex Liu. Decad. iij lib. vij.* inquiens, Senatus lectionem contentio inter censores de Principe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. Ceterum Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, vt qui primus censor, ijs qui viuerent, fuisset, eum Principem legerent, is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui Dij sortem legendi dedissent, ei liberum eosdem dedisse Deos, sed id suo arbitrio facturum, lecturumq; Q. Fabium Maximum, quem tum Principem Romanæ Ciuitatis esse, vel Annibale iudice victurus esset; cum diu certatum verbis contendente collega, lectus à Sempronio Princeps in Senatu Q. Fab. Max. Consl. quod etiam tradit *Plut. in Scipione, Zonaras lib. 2.* Vnus quidem Princeps Senatus per id tempus, neque enim perpetuus erat, omnibus dignitate, non potentia præstabat. Quicquid sit, grauissimis semper vir, licet non senior, censuram qui gessisset, Princeps delectus est: Et huiusmodi quoque Principem prouinciæ virum legendum esse dixit *Luc. de Penna in l. 3. C. de canil largit. num. 2. post Cassiod. Var. lib. 7. ep. 38.* alia per *Brisson. antiq. select. lib. 3. cap. 16.* Sic etiam Dion in Adriano de Seuero in hæc verba. *Sed indigebat prouincia Præside, & Gubernatore iusto, sapienti, & qui in dignitate fuisset, auctoritatemq; haberet: quæ omnia in eo erant. Hic res Bithynicorum tam priuatè, quàm publicè ita disposuit; vt nos omnes Bithynij in hanc vsque diem semper eius memoriam faciamus.* Locatus enim in medium, ait Theodor. Rex apud Cassiod. lib. iij. ep. xi. *cunctorum ad se trahit aspectum, & totius vita iudicium promulgat fama populorum. Imperatores etiam modestissimi non alia delectati sunt appellatione, quàm, vt Principes Senatus dicerentur.*

Senatores semper ad huius munus Præsidis fuisse delectos docet *d. l. 1. de off. Præsidis.* Singularum 11
etenim actionum certa cum sint officia, & munera; nulli dubium est, quin ea perfectius, faciliusque peritus morum, decretorumque præstare possit, & absoluere, quàm alius quispiam.

Munus autem, & officium Præsidis præclarum 12
quidem est, cum vt ait Apul. in Florida, in ea curia, vel nominari tantummodo summus honor est; sed & æque laboribus plenum, & cuilibet Senatori non idoneum; ex his quæ infra num. 269. & quia cuncta vigili oculo, vt dictum est, ac recto libramine circumspicere tenetur Præses, cui propterea occupationes publicæ totius Mediolanensis Dominij velut pedisæquæ semper assistunt, vt ait Cassiod in Variar. Præfat. quæ illius animum, & corpus continuo premunt, secundum veram quàm Cicero in Tuscul. 13
laboris tradit, definitionem, vt sit functio quædam, vel animæ, vel corporis grauioris operis, & muneris. Quicquid enim in Senatu fit, & per Senatores decernitur: Præsidis subscriptione muniendum est, vt ratum. firmumque sit; idque præuia precum omnium, aut supplicationum lectione, vel recitatione, decretorumque etiam accurata ponderatione. Accedat illa priuata omnium Audientia, quæ & foris, & domi quotidie exibenda est, & in qua difficillimum est omnibus posse placere; nihil enim penitus, quod alicuius, momenti credatur fieri in vniuersa hac amplissima prouincia potest, de quo ipse certior non reddatur. Quid de publica illa Aduocatorum Audientia merita causarum respiciente, & definitionem requirente? Quid de causis capitalibus, & alijs permagnis, tum in ipso Sanatu, tum in Excelso Secretiori Consilio, in quo Præses Senatus semper assidet? In summa omnium domos vigilia defendit Præses, aliorum otium Præsidis labor, omnium delitias ipsius industria, aliorum feriæ, & vacationes illius occupatio est; more Syderum, quæ irrequietos semper cursus suos explicant, nec illis vnquam licet subsistere.

14 Quo enim maiori dignitate, & honore quis decoratur, grauiori etiam onere grauatur, iuxta *l. 3 §. 1. vbi glos ff. quod met. caus c dilectus de pœn. c. qui Episcopatum 8. q. 1. l. omnem honorem C. quan. prouoc. non est necess. & c. vt debitus de app.* Hinc Charon in Palinuro apud Lucian. *Neque ob hoc arbitror quempiam horum, qui mecum simul vltimas sedes colunt, me esse beatiorem, non ipsos Iudices Minoë, Rhadamantum, & Aeacum, quanquam magna omnes emineant potestate; non ipsum Ditem, quanquam sce-* 14

piro potens sit, atque regna ista moderetur; sunt namque
& illis sui labores, suaq; molestiæ. Et maiores sanè, quo
& maiore regiminis sarcina præmuntur.
15 Neque labores præmissos, & molestias subterfu-
gere potest Præses, sed onus suum graue subire, &
quod sui muneris est, præstare tenetur l. 3. §. 1. de
recep. arb. c. qualiter & quando de accus. præsertim
quia stipendium accipit, c. rationi congruit cum glos.
de reg. iur. & c. rationes 100. distin. alias culpam me
retur; eò etiam impendi laborem & periculum de-
16 cet, vnde honos & emolumentum speretur: nihil
non aggressuros homines, si magna conatis, ma-
gna præmia proponantur; ex Liu. lib. 4. propterea
non est quod labor metum injiciat, quia generosos
animos labor nutrit, ex Seneca Ep. xxxi. & labor
omnia vincit. Virg. Georg. 1. Nullus enim, inquit
Dion Chrisostomus, orat. 3. adeo est mollis & vo-
luptuosus, qui non delectetur sua propria actione, etiam
si sit laboriosa. Vt minimè quidem nauclerus contrista-
tur laboribus in mari: minime etiam agricola operibus
circa agriculturam; minime quoque venator neque in
hac parte penis se viuere existimat, si ipsum plurimos
suscipere oporteat labores &c. & paullo post Labores
quidem semetipsos semper minores faciunt, & ad feren-
dum leuiores voluptates autem maiores, minusq; nocu-
uas, si post labores adhibeantur contra vero labores sem-
per difficiliores fiunt voluptatesq; languescunt, & infir-
miores. Hinc senior ille Bœotus dixit: Virorum est,
ô Alexander, magna facinora aggredi: sed qui præclarè
quiquam facit, necesse est. & pati. Immo teste Syne-
sio in lib. ad Arcad. de Regno. Regum corpus mini-
me labore tentatur. Quisquis enim palam laborem ca-
pessit, nequaquam labore vincitur; & paullo infra,
Dignitas onus quoddam videtur plumbo grauius. Cum
vero subuertit, & deprimit qui id humeris imposuerit,
nisi planè sit robustus. Animi autem robur vt natura
repromittit, si assidua exercitatione perficitur. Iulia-
nus, vt de eo testatur Amm. Marcell. lib. xxij. cap.
10. iudicialibus causis per speciem quietis intentus, ex-
quisita docilitate librans quib. modis suum cuique tri-
bueret. Quare non verendum est, quin Senator iam la-
boribus assuetus perfectè Præsidis officio fungatur: ea
enim, quæ natura, vel molesta sunt, vel horrenda, as-
suetudine cohibentur; quia labor ad laborem quemcunq;
reddit validiorem Inest etiam in ipso munere Præsidis,
17 quamuis laborioso, maxima philosophiæ pars, teste Plin.
Ep. ix. hæc de se ipso dicente: distringor officio, vt
maximo, sic molestissimo: sedeo pro tribunali, subnoto
libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illittera-
tissimas litteras: soleo nonnunquam (id ipsum quando
contingit) de his occupationibus apud Ephratem queri,
ille me consolatur, affirmat etiam esse hanc philosophiæ
& quidem pulcherrimam partem, agere negotium publi-
cum, cognoscere, iudicare, promere, & exercere iusti-
tiam, quæque ipsi doceant in vsu habere. Gloriosus verè;
vt Sap. iij. bonorum laborum fructus, quippe qui, vt
18 Prouer. xiij animas operantium, & manus fortium di-
uitias partae, statq; velox, vt Eccles. xxij. in opere suo
coram Regibus. Immo legitur in auth. de Monach.
§. cogitandum collat. 1. tantum aberrare creditur,
19 qui laboribus otium anteponit, quantum hallucinati,
qui rubiginem splendori præstare existimant; Propterea
de Traiano scribit Plin. in Panegyr. Tam assiduus in
tribunali, vt labore refici, ac reparari videretur. Quis
nostrum idem cura, idem sudoris sumit? quis adeo ex-
petitis honoribus aut deseruit, aut sufficit? Et sanè
æquum est tantum ceteris præstare consulibus ipsum, qui

consules facit; quippe etiam fortunæ videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. Antigonus filio suo dixit, non ignotas fili regnum nostrum esse splendidam seruitutem, Quod etiam firmauit August. de Ciuit. Dei cap. xiv. improbatur Modestus, immo Immodestus ille apud Ammian. Marcell. lib. 30. cap. 5. his verbis. At in Eois partibus alio externorum silentio intestina pernicies augebatur per Valentis amicos & proximos, apud quos honestate vtilitas erat antiquior. Nauabatur enim opera diligens, vt homo rigidus audire cupiens lites, à studio iudicandi reuocaretur, metu ne ita vt Iuliani temporibus defensione innocentia respirante, frangeretur potentiorum tumor, adsumpta licentia latius solutius euagari. Ob hæc & similia concordi consensu dehortantibus multis, maximeq; Modesto Præfecto prætorio. regionum arbitrio spadonum exposito, & subagreste ingenium nullis vetustatis lectionibus expolitum coacto vultu fallente, & adserente, quod infra imperiale culmen causarum essent minutiæ priuatarum; ille ad humiliandum celsitudinem potestatis negotiorum examina apprestanda esse arbitratus, vt monebat abstinuit penitus, laxauitq; &c Contra vero Author ille incertus Panegyrici Maximiano & Constantino dicti, dum quærelas profert pro demissa ab ipsis Imperatoria dignitate in hæc præfatur verba. Tale est imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu mærentibus facere voluisti. non quidem tu reipub. negligentias, aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus: sed consilij olim, vt res est, inter vos placiti constantia & pietate fraterna. Ne quem totius vitæ summarumq; rerum socium semper habuisses, in alicuius facti communitate desereres: ne vel illius videris quasi certæ nouæ laudi cederet. Verum longè diuersa in vos erat causa declinandi aut sustinendi laboris. Quanquam etsi totam excusationem ætatis afferret, sic quoque tibi Republicæ curis non erat abeundum. An si maximus quisque nauis gubernator est certissimus ad salutem, non est is optimus qui vsu peritissimus Imperatore? Aut te vnquam Constantine liberi nostri, nepotesq; patientur vel cum ad summam perueneris senectutem reipub. vela contrahere, quæ tam fœlicibus ventis etiam iuuenis impleueris? sed tamen vtcunque fas fuerit: eum principem, quem anni cogerent, aut valetudo deficeret, receptui canere: te vero in quo adhuc ista sunt integra, solidaq; vires, hic totius corporis vigor; hic Imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur. Legimus etiam Imperatores, & Summos Pontifices noctes, & dies insudasse in auth. vt iud. sine quoquo suffrag. in c. bona memoriæ cum glos. de postul. prælat. glos. 1. in proem. decret. ; ibi, noctes duxit insomnes & in proem. lib. vi. ibi, noctes quandoque transimus insomnes, & in c. ecclesia vestra cum glos. super verbo vigilijs de elect. Rectè & Tiberius, dum dicenti, sacras occupationes interpellaui, iussit, non sacras dicere, sed laboriosas. Mamer. in Panegyr. pro Maximiano; inquit: de tot vrbibus, nationibus & prouincijs cogitare noctes, omnesq; dies perpeti sollicitudine; & paullo post. Vt quod tempus autem incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis Et in Panegyr. pro consulatu Iuliano xiij pro omnium ocio die, noctuq; vigiletis, & cum Domini vocemini, libertati ciuium seruiatis. Prædictis accedat quod scribit Lamprid. de Alexandro Seuero, his verbis: Legitimo Senatui semper interfuit, & post meridianas horas subscriptioni, & lectioni epistolarum semper operam dedit; ita vt ab epistolis, & libellis, & à

me-

20 memoria semper assisterent. Nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta; librariis, & iis, qui scrinium gerebant; ita vt Alexander sua manu adderet, si quid esset addendum, sed ex eius sententia, quæ desertior habebatur. Post epistolas omnes simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus. Improbatur autem Carinus à Vopisco his verbis: *Fastidium subscribendi tantum habuit; vt impurum quendam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret, quem obiurgabat plerumque, quod benè suam imitaretur manum.* Non dissimile huic tradit Cedrenus de Michaele Imperat. in hæc verba. *Adeo in litteris componendis tardus erat, & syllabis conficiendis vt librum alius facilius perlegeret, quam ipse sui nominis elementa legeret.* Zonar. quoque refert egregium Pulcheriæ sororis commentum, quo Theodosium inconsideratè se rescriptis, & libellis subscribentem auerteret lib. III Annalium suorum. De subscriptione in
21 libellis meminit *l. non distinguemus §. cum quidam ff. de arb.* ibi: *libello cuiusdam id quærentis Antonius subscripsit. l. sacri affatus C. de diu. rescrip. l. omnium C. de testam., & l. si quis obrepserit ff. ad l. Aquil. in fine*, ibi: Si libello dato aduersarius tuus veritatem in precibus ab eo datis non adiecit, subscriptione vti non potest. *Dion. in Augusto*; Quidam Cæsari libellum porrexit, in quo scriptum erat. Caluus Theodorus Tarensis fur erat, quid tibi videtur? lecto eo nihil aliud subscripsit, quàm videtur. Scio tamen Specul. tenuisse *in tit. de rescrip. præsent. §. primo igitur excipitur, vers. item quod non est*, ibi: subscriptio, hoc de subscriptionem in desuetudinem abijsse præterquam in priuilegijs Sedis Apostolicæ; quod etiam sensit *Bar. in d. auth. vt diuin. iuss.* & tenuerunt *Alber. in d. l. Sancimus C. de diu. rescrip & Castrens. in l. si qua beneficia C. eod. Natta cons. 505 sub n 4. vers. secundo contra lib. 3. Pompon. Lat. in M Iulio Licinio Liciniano hæc scribit*: Litterarum enim adeo expers, vt nomen decretis vix subscriberi posset. Contra vero habemus
22 ex Plut. tum in Catone Censorino, tum Vticense, Censorinum consueuisse, neque militiæ, neque patrocinij labores quosuis repudiare. Vticensem vero omnium primum in Senatum venisse, vltimum abijsse, omniaque semper negotia posthabuisse, potiusquam abesset. Neque enim gloriæ causa, neque lucri, neque aliquo casu, vt plerique ad rempub. se consulerant; sed certo consilio vrbis, velut priuati cuiusdam negotia susceperant, rati non minus operæ, diligentiæque rebus communibus impendendũ, quàm opes fauo soleant. Scimus etiam Reges Aegyptios solitos frui præsentia, multorum doctrina præ ceteris eruditorum, vt eorum causa nihil turpe committerent. Mane autem summo surgens Rex omnes libellos legebat. *Tacit. quoque Annal.* 4. hæc scribit, Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatijs accipiens, ius ciuium, preces sociorum tractabat. *Et Plut. in Cleomene.* Qui vero Cleomenem adibant, cum tamen Rex dici simul, &
23 haberi vellet, non purpuram, non latumclauum, non tricliniorum, vt sellarum ingentes apparatus conspiciebant, non lictorum, aut ianitorum turbã, non scribarum multitudinem, qui diu, multumque rogati, vix tandem per literulas respondere dignantur, sed ipse breui tunica amictus, vltro se venientibus offerens. aderat, petentibus comiter, benignèq; respondens, summaq; humanitate. & loqui, & audire paratus. *Eutropius item lib. viij. sic de Traiano loquitur.* Amicis eum culpantibus, quod circa omnes nimis communis esset, respondit; talem se Imperatorem esse priuatis, qualem esse Imperatores priuatus optasset. *Seneca etiam lib. de consolat. ad Polyb.* sic ait. Multa tibi non licent, quæ humillimis, & in angulis iacentibus licent. Magna seruitus est magna fortuna. Non licet tibi quicquam arbitrio suo facere. Audienda sunt tot hominum 25
millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex orbe toto accurrentium congestus. *Et paullo post.* Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit: Et siderum modo, quo irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere. Et sanè inuigilare dies & noctes, qui alijs præest tenetur; ex quo nemo eum fortem ac potentem putarit, *teste Dion. Chrysost. orat. 3. pag. 21.* qui infirmior sit somno, re omnium mollissima: à quo constrictus sæpenumero absque vinculis, nec alteri, nec sibi ipsi auxilio esse potest: neque adiutorem vocare vllum ex his qui vellent auxiliari. *Et paullo post;* laboriosus & continens non solum ad regnandum maxime idoneus est: verum etiam suauius vitam transiget, quam ij qui contrarijs sunt moribus. Vigiliarum quidem & somni ex æquo milites participes sunt; partim quidem custodientes, partim quidem requiescentes. Dux autem magis vigilat, quam omnes qui custodiunt. Quod etiam plerique ex scriptoribus placuit. *Iulianus ep. 12. ad Basil. sic scribit*, Assidua cura reipub. molesta est ijs, qui negligentius in ea versantur. Atqui diligentia & industria vtantur, æqui sunt mea quidẽ sententia, & prudentes, omninoq; ad omnia idonei. Quare ipse mihi opportunitatẽ hanc comparaui, vt sine vlla reip. negligentia nonnihil quoq; spatij ad relaxationem animi summã &c. *Plut. enim de Caio Gracco scriptum reliquit:* Ipse Magistratum gerens indefesso studio, ac necubi deficiens præerat, tanta, ac tam admirabili vigilantia, & celeritate; vt ad singula duntaxat videretur intentus, adeòque ipse vnus omnia obibat, vt etiam acerbissimi inimici obstupescere cogerentur 26
virum per omnia efficacem, atque inuictum. Delectabat quoque Pop. Romano ipsius aspectus, semper enim illum turba ingens sequebatur operariorum, fabrorum, legatorum, magistratuum, militum, studiosorũ, quos omnes benignè alloquebatur, in humanitate grauitatem conseruans, seque vnicuique eorum decenter impartiens. *Lamprid. in Alexand. Seuero*, Moderationis tantæ fuit, vt nemo vnquam ab eius latere submoueretur, omnibus blandum, affabilemq; se præbens. *Plut. in Cicerone procons. creato* 74. Eius domus ianitore omnino libera: ipse cubans à nemine iussus est, sed matutina luce aut stans, aut circumambulans iuxtà cubilis sui locum, dexteram his dabat, qui ad se salutatum ingrederentur. Iracundè nullus iurgio lacessitus, aut damnatus improbè fertur &c. Alia plura infra *glos. vi. cap. iij.* Quid enim iucundius, quam Principis iustitiam, grauitatem, comitatem in secessu quoque, vbi hæc maxime includantur, inspicere? *inquit Plin. Ep. xxxi lib. vi.* plura siquidem reipub. commoda ex ijs ipsis oriuntur, *teste Plut. in Publicola* 8. *de Vin-*

28 *Vindicione, sic loquente.* Impulsus autem conscientia ad Valerium rem (nempè coniurationem aduersus rempub.) detulit, adductus maxima facilitate, & humanitate viri, quod ad eum indigentibus facilis esset aditus, eiusq; domus semper aperta, aures omnium sermonibus & querimonijs semper paterent, nec vnquam tenuis cuiusquam colloquium, aut necessitatem repudiauit. *Mamertinus, de Iuliano loquens,* ait. quos priuatus in familiaritatem recepit, eodem habet Imperator affectu, nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatij fores clausæ sunt. *Et Nazarius in Constantino.* Quid faciles aditus? quis aures patientissimas, quis benigna responsa dignè exequi possit? *Denique Antonius in Panegyrico Gratiani.* Laudabile est Imperatorem faciles interpellantibus præstare aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adire cunctantes, etiam querimonijs explicatis, ne quid adhuc sileatur interrogas. *Amplius, Ammianus Marcellinus de Iuliano.* Si nocturna lumina, inter quæ lucubrabat, potuissent voce vlla testari; profectò ostenderent inter hunc, & quosdam Principes multum interesse, quem nec aut voluptatibus, nec ad necessitatem quidem indulsisse naturæ.

29 Grauissimum itaque licet Præsidis sit munus, atque laboriosum; non tamen abijciendum, quoniam *vt Capitol. de Maximino refert.* Ego vero quò maior fuero, tantò plus laborabo. Diogenes cuidam eum admonenti, cur iam senex non quiesceret à laboribus, respondit. Quid si in stadio currerem, non oporteret iam metæ vicinum cursum remittere, sed magis intendere. *Inquit etiam D. Hieronymus in Ep.* Non est dignum, vt inde exigas honorem, vnde refugis laborem; sed honor grandis debet grandiori sollicitudine circumuallari, quia se frustra iactat habere dignitatem, cuius non exhibet operationem, & cui plus creditur, plus ab eo exigitur, *secundum S. Ambr. in sermone pastor.* Illud etiam Homeri Iliad. II. optimè deseruit. 30 Non oportere noctem integram dormire consiliarium virum, cui commissi populi, & tantæ rei curæ sunt. Hinc Tubero Traianum alloquens, *dixit*, neque somno, neque laboribus parcendum, sed oportere præpositos rerum stantes mori; id quod Vespasianum Augustum decedentem è vita dixisse quoque, *ait Dion. & Suetonius.* Dignitatis enim onera multa existunt, *ait Papinianus in l. 1. §. nec castrense ff. de coll. bon.* etiam voluntaria, quia voluntarios labores appetimus, vt quietem alijs præparemus, inquit *Iustin. in auth. vt Diu. iuss. subscrip. Marcell. lib. 29.* ait, nihil est aliud imperium, nisi cura salutis alienæ. *Consimile scribit Xiphil. lib. LVII. de Tiberio*, inquiens. Putabat non debere principem sui incommodi causa reipub. curam omittere. Aliquid etiam huiusmodi per *Plut. in Nicia 13* rumores in populo vulgauerat, Niciam laboriosè admodum, atque onerosè ob nimiam, quam pro ciuitate gestabat, sollicitudinem viuere; quippe qui in balneis etiam, atque inter cenandum, reipub. aliquid profuturum cogitare nonquam desisteret, & priuata etiam negocia propter publicorum munerum administrationem negligeret, nec somnum etiam capere propter curarum posset anxietatem, & hoc imbecillo, atque inualido corpore effectum: neque amicis congredi, neque vllam cum eis voluptatem capere posse; quorum etiam commoda, atque vtilitates reipub. causa contemnere cogeretur: non idem faciens, quod plerique consueuerunt, qui amicos ex publico ditantes, quæstui simul, ac ludibrio rempub. habent. Hæc palam dictare, atque vulgus iactare consueuerat: & profectò Niciæ vita talis erat, qualis ab illo prædicabatur. Hactenus *Plut. qui etiam de C. Cæsare 33. & 34.* ait, tam magnam in tolerandis supra corporis vires patientiam laboribus habuisse; vt cunctos stupore conficeret.

Prędicta omnia non etiam rationibus carent alijs. Siquidem Dionys. senior, interroganti cuidam, num ociosus esset; absit ne mihi tale quicquam contingat, respondit; 31 nam vt ait *Pindarus relatus à Plut. de tranq. animæ, honor, & gloria,* cum potestate iuncta suauem laborem faciunt, & facile exsudabilem. Quamuis labor, ait *Seneca ep. xxxi.* bonum non est, 32 est tamen laboris contemptio bonum, & in omni officio colendo sita est vitæ honestas omnis, in negligendo vero turpitudo, quia Hercules, *vt Polib. de Perseo scribit*, ignaua sacra, ab ignauis non recipit, neque contra fas vota exaudit: fas autem non est, neque eum, qui non iaculatur, signo potiri; neque eum, qui non permanet, vincere; neque eum, qui 33 nihil agit, bene agere; necesse est enim, vt in eo, qui alijs præest, insideat semper & maiestas, & vtilitatis publicæ cura, teste *Luc. de Penna in l. si quis. 5. C. de aquaduc. num. 1.* Insuper, seruile est amare delicias, apprimè vero regium insudare laboribus, inquit *Alex. ille magnus, vt de eo testatur Plut. in eius vita 89. Xiphil. de M. Ant. Philos.* Cum enim, inquit, esset amans laboris, tum vero diligenter applicabat animum ad omnia, quæ ad principatum pertinerent. Nihil dicere solebat, nihil scribere, aut facere negligenter; sed vel in minimis rebus diem sæpenumero consumere, quod existimaret, non decere Imperatorem properè quidquam agere. Si quid enim prætermisisset, non putabat se posse in ceteris calumniam effugere. Et tamen erat valetudine, vtque adeo infirma, vt &c. *& paullo infra adducit eum sic loquentem.* Etenim pro repub. perpetuos labores sustineo, qui tandiu hic longe ab Italia commoratus sum homo iam senex, imbecillis, vt neque cibum suauem, neque somnum vacuum curis possim capere.

Ceterum cum vera ratio aliquid faciendi tum hominum ipsorum, tum etiam rerum, ac temporum conditione nitatur; erit aliquis modus in munere 34 etiam graui adhibendus, ex *Plin. ep. xxxv lib. ix & Seneca de tranquill. animi cap. xv.* Danda est dicens, remissio animis, meliores, acrioresque quieti surgent &c.

Alia permulta recenseri possent à proposito nostro haud aliena, legentibus modo, non aliò festinantibus aut occupatis, omninò non inutilia: sed illud tantùm ad rem nostram facere præsertim putamus, si quot adhuc, & quales fuerint Senatus Mediolanensis Præsides, recitemus, vt in his, velut in 35 speculo, aut egregiè pictis tabulis veram Præsidis, & ad viuum expressam effigiem contemplari liceat; habeantq; futuri Præsides quos imitentur: quandoquidem excellens hominum virtus imitatione, non inuidia digna est.

CA-

## CAPVT II.

*Præsides Senatus Mediolanensis quot hactenus fuerint, & eorum encomia.*

36 DVabus potissimum rebus Imperium firmari cum intelligeret prudentissimus Dux Franciscus Sfortia II. consilio scilicet, & auctoritate, statim atque summam rerum Prouinciæ Mediolanensis Caroli V. benignitate, & Principum etiam omnium Italiæ consensu, fuit adeptus, quia propter assidua bella, & frequentes Principum mutationes iudiciorum ius habescere omnino videbatur, ac infirma iam erat; viros ornatissimos spectatæ fidei, sibi notissimos, quorum ope, & consilio in aduersis fuerat adiutus; in partem curarum suarum Senatus Mediolanensis titulo sibi asciuit xv Kal. Iunij anni MDXXII. eosque publici, priuatiq; iuris custodes esse voluit; vtq; de ciuium capite, & fortunis, controuersijsq; etiam grauioribus amplissima cum potestate decernere possent. Nihil enim ad reipublicæ fœlicitatem magis conferre cognoscebat, quam iura, legesque seruari, quibus & facinora prohiberentur, & vnicuique, quod suum est tribueretur.

37 Huic autem ordini ab eodem Duce datus est Præses FRANCISCVS MARLIANVS Mediolani antiquo, atque amplissimo genere ortus: ad eum enim dignitatis gradum ob præclara in Sfortiadam gentem merita, & egregiam virtutem, vt eiusdem Ducis rescripta testantur est euectus.

Iurisprudentiæ studium cum rerum omnium cognitione ita coniunxit; vt eum Ludouicus & Maximilianus Duces difficillimis reipub. temporibus ad maximas, arduasq; res administrandas adhibuerint. Tanti viri facilitatem in disserendo, argutiam in disceptando, in vtroque summum iudicium, omnes viris, rerumq; forensium studiosi non modo, sed totius Italiæ Principes amplectebantur.

38 Concordiam & pacem (dulcissima & pulcherrima nomina, ex quibus populorum quies, & reipub. salus) amplexus, publicarum discordiarum, & priuatarum litium pacificator dicebatur, nolens quenquam nec coram Senatu minus iuste vexari, nec coram alio quouis Magistratu, aut iudice cauillis opprimi. Litigandi enim vias mira dexteritate præcedebat, litigiosos vsque homines quamuis duros & indomitos compescens.

Hinc Senatus singulo quoquo die innumera litium certamina dirimere consueuerat. Assidebat namque Præses cum Senatoribus quatuor, loco designato, diebusq; statutis: Hos medio precum & supplicationum adhibant actores, audiebantur & rei; qui tamen de sola facti specie differere poterant; mox vbi de plano essent expediendæ causæ, vel planaria duntaxat discussione egerent, statim pronuntiabatur: si autem plenariam cognitionem requirerent, ad Senatum reijciebantur, coram quo, auditis etiam partium aduocatis finem accipiebant: ita vt singuli cognitionum siue audientiarum dies plures audirentur, terminarenturq; controuersiæ Nondum enim orto sole conueniebat Senatus, statimq; relata, vel perorata causa aliqua, velis intenectis, sententiæ singulorum assidentium audiebantur, decernebaturq;; mox ijs remotis, quid decretum fuisset, enunciabatur; idq, deinceps. Hoc autem prudentissimi huius Præsidis Marliani opus fuit, diu quoque expost amplexum, nunc vero fato nescio quo derelictum.

Tanta cura & studio ad reipub. priuatorumque omnium commoda incubuit, vt in tam frequenti populo, & tam ampla prouincia ne vnus quidem esset, qui non eum vnice diligeret, & veluti parentem veneraretur. Hic cum aliquot annos superuixisset, fato est functus: maximum tamen sui desiderium eius ætatis mortalibus, posteris vero virtutis memoriam reliquit sempiternam.

IACOBVS PHILIPPVS SACCVS Alexandriæ honesto loco natus, defuncto Marliano, ab eodem Francisco Sfortia lectus est in Præsidem In Senatu Montisferrati multa cum laude versatus antea fuerat, & à Maximiliano Duce Equestri, & Senatoria dignitate ornatus, mox imperij summis rebus præfectus, eodem munere à Francisco insignitus est. Ac dum bello, quod inter Europæ Principes gerebatur sæuissimum, tota prouincia præmeretur, Mediolanensibusq; ingens calamitas immineret, ita se gessit, vt huius præstantissimi viri opera cuncta sedata fuerint. 39

Missus enim ad Heluetios, vt eam gentem aduersus Gallos hostes concitaret, munus illud ita fideliter, prudenterq; obijt, vt ni aliter Deo visum esset, Imperij conseruatio illi vni referri potuisset accepta. 41
Hic homo adeo addictus Sfortiadis putabatur a Gallis, vt bis fuerit ab ijs proscriptus. Posteaueroquam Franciscus Sfortia Leonis X. Pontificis Max. & Cæsaris copijs auitum recepit principatum, incredibile est, quam egregiam illi opem nauauerit. Obsessi Mediolanenses, sublata per hostes omni facultate molendi frumenti tanta farinæ inopia in frumenti copia præmebantur, vt non procul à deditione abesse viderentur. Sed vnius Sacci opera est factum, vt conficiendi panis ratio reperiretur, non modo ad milites, verum etiam ad cunctum populum alendum; ita constantissime tolerata obsidio est, & hostium vires paullatim defecere. Postmodum ob repentinum Francisci Regis in Italiam aduentum cum maximis copijs, Dux suis diffidens rebus, cum se Cremonam recepisset, Cæsarianiq; Duces, qui contra Regem bellum gerebant, de discessu cogitarent, non solum stipendia questi, magna vi pecuniæ à Cremonensibus sine vlla eorum querimonia exacta, Ducibusq; distributa, eos à proposito reuocauit. At vero clarius enituit Sacci virtus, quo tempore Dux in arcem Mediolanensem inclusus; obsidionemq; plurium mensium passus, consumpto iam omni commeatu, capite periclitabatur; nam missus ad Cæsarianos, qui impediri non poterant, quominus castro potirentur, cum vix ossibus hærerent propugnatores, & honestissimis conditionibus cum eis transegit, & Cremonæ castrum, cui maxime inhiabant, ne dederetur, obtinuit; ac paullo post accepta quoque vrbe, tandin sustinuit bellum Sfortia, quoad Saccus iam renatus Princeps confutatis inimicorum calumnijs Carolo Cæsari eius innocentiam patefecit perspicue. Ita Princeps ille cum incredibili omnium non modo Italorum, sed etiam exterorum lætitia fuit restitutus. Haud ingratus extitit in Saccum Dux, eum enim & annuo prouentu mille aurerorum donauit, & Petra Maratiorum in agro Papiensi, & Pauono in Alexandrino cum am-

amplissima iurisdictione, quibus non modo illius filij ac nepotes, sed etiam propria stirpe sublata, ij fruerentur, quos ipse ad ea iura vocasset. Quæ omnia ab ipso Cæsare approbata fuerunt, & magis aucta.

Cum quandoque nonnulla paullo curiosius, & acuratius in quorumdam etiam pernitiem æstimarentur turbareturq; Senatus ne iure suo vti posset, hic dignitatis suæ totiusq; Senatus defensor acerrimus, legibus omnino non ex arbitrio agendum esse voluit, nec ab hoc proposito dimoueri potentia Gubernatoris, vel aliorum gratia potuit vnquam: Qui nimmo ita egit, vt gesta per Senatum probarentur à Cæsare transmissis exinde ordinibus Vormacensibus; Recta conscientia (cuius magna ius est ad res omnes) ducebatur, cum integerrimus vitæ esset, & excellentia ingenij sui potestatem reddidit præclariorem.

Tot animi dotibus insignis per quatuordecim annos amplissimo præfuit ordini; & patriæ tandem & bonis omnibus tam cari capitis desiderium reliquit extinctus.

44 MARCVS BARBAVARIA Mediolanensis, & claro sanguine ortus, & clarissimus Iurisconsultus in demortui Sacci locum suffectus est anno 1550. ab inuictissimo Cæsare Carolo V.

Prohibuit vitæ breuitas (nam ferè per biennium hoc obiuit munus) quominus tanti viri virtus magis eluceret, vt par erat. Sed qualis futurus esset, si vitam produxisset, egregium specimen breui eo tempore dedit. Nam summa in eo prudentia, & doctrina cum integritate coniuncta cernebatur; æquitati addictus iustitiam colebat, atque adiracundiam procliuis iras virtute compescuit: quod sanè illi immaturi obitus causa fuisse perhibetur: non enim reprimitur nisi contentione summa, & vi naturalis impetus. Quemadmodum enim qui ad-
45 uerso flumine, eodemq; rapido nauem remis impellit, aut nihil agit, aut id non nisi maxima defatigatione consequitur; ita cum vehementi, atque innata voluntatis, atque animi propensione difficillima est pugna.

Quæ corruptioribus institutis, & inconsiderata licentia in foro introducta fuerant, omnino sustulit. Omnibus aditum, facilesque aures præbuit, auaritiæ sordibus non coinquinatus, æqui, boniq; studiosus; nihil denique prætermisit, quod in optimo Præside desiderari posset. Neque mirum est eum,
46 qui animi fortitudine efferuescentem iram reprimere potuerat, ceteras animi perturbationes superasse, omniq; virtutis genere excelluisse. Senatus placita omnia, præcipuè vero quæ clariores & ampliores redderent hasce constitutiones suis locis adnotabant, dictitans, è repub. fore si typis mandarentur; fuissentq; eo auctore euulgata, nisi obijsset, Prid. non. Decembris anni CIↃ IↃ LII.

47 PETRVS PAVLVS ARRIGONVS Mediolani nobilissimo loco natus, post Barbauariæ obitum Præses est renuntiatus ab ipsomet Cæsare insequenti anno 1553. cum iam omnes honorum gradus percurrisset.

Cremonensem præturam Senator annis 1541. & 1542. magna cum laude, atque omnium admiratione gessit. Insubriæ principum placita, quæ tunc seruari cœperant à nemine perfringi permisit. Ita coluit abstinentiam, vt non modo pecunias aliquo colore oblatas, sed nec, vt aiunt sportulas quidem, aut honoraria Prætoribus debita ab vllo vnquam acceperit, quippe norat laudabile quidem esse vetitis rebus non pollui, sed multo laudabilius permissis abstinere.

In improbos adeo seuerus, vt eorum etiam arcana per idoneos homines scrutaretur.

Populi Cremonensis commoda summa semper prouidentia curauit; ea vero anno 1542. præcipuè innotuit; cum enim inopia rei frumentariæ vniuersa prouincia premeretur, quod eam locustarum phalanges miserandum in modum lacesserent, procul absuit illius cura Cremonensis ager ab ea labe, neque vnquam annona defecit.

Et cum nihil sit, quo quis magis populi beneuolentiam sibi conciliare possit, quam si in summa cibariorum egestate, pellendæ famis rationem ineat; ob ea merita totius ciuitatis honorificentissimo decreto, ad perpetuum eius virtutis monumentum, in ciuem lectus est, cum ea testificatione, quod nullus vnquam Prætor Cremonensibus præfuit, qui ei comparari posset.

Placentinos populos idem Carolus eius probatæ 49
prudentiæ, ac fidei post Petri Aloysij Farnesij necem tumultuantes, atque ob innatam animorum contumaciam, nondum belli malis victos, & penè indomitos, regendos commisit. Nec fefellit vir optimus de se conceptam opinionem. Omnes enim eorum discordias antiquis nixas radicibus, summa vsus lenitate, & prudentia, repente composuit, tumultus compressit, & partium repugnantes animos ad pacem, & concordiam reduxit. Sic pariter ceteras inuicti muneris partes peregit; vt cum Placentini, non modo Cremonensium exemplo, publico decreto ciuitate donarint, sed pacis etiam auctorem optimum, patriæq; parentem appellauerint.

His functis honoribus clarior, non ditior in patriam redijt, quemadmodum Bias optimis conuenire magistratibus censuit, vt rerum gestarum gloria inter Senatores omnes excellere videretur.

Nec iam locus capiebat hominem, nec tanta virtus Senatorij muneris terminis contineri poterat, cum ad omnium opinione destinatos honores prouidentia principis, gratusq; animus euexit, cunctorum hominum præiudicium secuti. Nam mox in supremo Italiæ consilio Regens designatus anno 1552. Senatus Præses, Barbauaria, tunc defuncto, declaratur.

Quem supremum magistratum, vt ceteros, pari virtute gessit. Pupillos, viduas carceri mancipatos, & alios miseratione dignos præcipue fouit, 50
atque tutatus est, eorumq; causas, & controuersias, prout & peregrinorum omnium ante ceteras terminandas curauit. Nam quos fortuna destituit, omni ope subleuandos esse censebat; vt iurisprudentiæ, & christianæ pietatis quam profitebatur, præceptis pareret, peregrinos autem in primis satisfaciendum putabat, ne pluribus sumptibus, & expensis, quam æquum esset grauarentur.

Corruptores iuuentutis ita oderat, vt Equitem Hierosolimitanum, quod minus honeste in publicis scholis se gereret, acriter publicè torqueri iusserit. Gratiæ causa nihil omnino faciebat. Ceteris omis- 51
sis hoc vnum satis sit referre. Rogarat Arrigonum Gubernator, vt nefarium quendam hominem, sibiq; in primis carum adiuuaret, negauit ille constanter: eius dicens criminibus quasi contagione quadam

ad id vſque temporis tres contaminari; quicquid ille deliquiſſet in poſterum vitari non poſſe, quin ad ipſum Gubernatorem duntaxat, atque ad ſe ipſum pertineret, quorum erant partes ea ſcelera pœnis multare.

52 Cuncta ad Præſidis munus ſpectantia quaſi propria, & priuata eſſent negotia diligentiſſimè peragebat, neque certum rebus conſtituens tempus noctu, atque interdiù publicis, priuatiſque ſemper negotiis intentus, vllam negligebat occaſionem, aut reipub. bene gerendæ, aut omnium ordinum beneuolentiæ conciliandæ.

Tunc etiam nuſquam melius, rectius, aut ſanctius leges interpraetari, aut iura populis dare, compertum eſt.

53 Senatus quoque dignitatem acerrimè tuebatur: quare (vt a maioribus accepimus) cum Cenſor aliquando Regius, qui tunc erat Mediolani, veniſſet in Senatum, ſederetque in ſella Præſidis, vt Senatuſconſultis contra morem intereſſet, idque iam aduentanti Arrigono innotuiſſet; domum illicò reuerſus eſt; quem deinde, vti iuſſerat, inſecuti ceteri Senatores, ibi Senatum habuerunt. Dignum ratus eſt, quam acceperat poteſtatem integram, & ſine labe retinere, poſteriſque relinquere.

54 Prouinciæ Moderatoribus in mandandis Magiſtratibus conſtanter contradicebat, vbi ad hoc fortunæ potius, quàm animi bonis impelli eos animaduertebat: ab eo enim fonte præcipua reipub. mala oriri non ignorabat, quod vtinam ſeruent ceteri.

Decoram geſtabat cæſariem, facie fuit liberali, vultu ſereno, ac placido, ingenio vbere, & perſpicuo, eloquentiæ ſtudio, atque eruditione præſtanti. In victu ſobrius, in facinoroſos acer, mitis in omnes bonos, ſuæ pecuniæ cum moderatione diſtributor liberalis, abſtinens alienis, & ſumma grauitate rebus in omnibus maxime conſpicuus.

55 Tanta quoque fuit ampliſſimi viri poteſtas, & auctoritas, vt excellentiæ titulo ab omnibus appellaretur, qui titulus ceteris exinde, qui ſubſecuti ſunt Præſidibus, eſt adeptus, quaſi vni duntaxat in prouincia dandus eſſet, qui ceteros excelleret, Moderatori ſcilicet prouinciæ.

Cauebat præcipue, ne quem læderet, quaſcumq; vitans offenſiones, ſciebat enim, nihil eſſe tam validum, cui ab infirmo quandoque periculum non immineat: at in cunctos, cum poterat, beneficia conferebat: bonos viros, ac doctrina præſtantes iuuare, atque honore proſequi conſueuerat. Atque ita ſe gerens, vberrimum ſuæ virtutis, vti exoptauerat, fructum tulit: Ciuium enim omnium beneuolentiā, & amorem conſequutus, patriæ quoque ſuæ pater appellari meruit. Mortuus eſt poſt annos tredecim, quibus præſederat Senatui anno.

56 GABRIEL CASATVS ex eadem Ciuitate honeſtis ortus maioribus eodèm anno à Philippo II. Rege Præſes creatus, Magiſtratum iniijt, & quadriennio fere geſſit.

Grauitatem quandam cum benignitate coniunctam vultu prætulit, illa cuiuſuis fortunæ, & conditionis homines ab iniuſtarum rerum petitione deterrebat; hæc vero cunctis carum, amabilemque reddebat. Itaque ius ſuum vnicuique tribuens, & ſeueritate in improbos vtebatur, & lenitate bonorum beneuolentiam alliciebat.

Tanta fuit humani, diuinique iuris cognitione præditus, vt nihil à Principe, nihil in repub. ſine ipſius prudentiſſimo conſilio eo tempore actum ſit: ſemper vero ad rerum omnium deliberationes adhiberetur.

Iuſtitiæ cultor eximius extitit, nec vnquam paſſus eſt quemquam, aduerſarii ſui potentia deprimi, aut iudicis æſtu, vel imperitia grauari. Illud etiam in ore ſæpiſsime habuit, Præſidem, & Senatores omnino teneri (prout in ſacris litteris habetur) virtute erumpere iniquitatem. Carceratorum inopiam ſubleuare conſueuerat: reos ne duriſsimo præmerentur longoque carcere pœnis debitis ſubiici, inſontes autem, & quorum innocentiæ lumen enituerat abſolui iubens. Hunc ſi quando per vrbem euntem ſequerentur Iudices, dimittebantur ſtatim, cōmonefacti etiam ne ab officio deficerent, ſed ſingulorum cauſas ſollicitè, certoq; conſilio ſuſciperent, abſoluerentque, nec illis vnquam impedimento fuit, quin legibus vterentur ſuis. Hinc petentibus dilationes (potiſsimum ad differendum vel ſubterfugiendum iudicium) indulgere difficile conſueuerat, ne ex iis ius alicuius læderetur.

Nobilium animos ad ſua deuinxerat certis quibuſdam fauoribus obſequia: atque eos ita in ordinē continebat, vt notum eſſet, inferioris ordinis quoque viros, ipſius protectione non eſſe deſtitutos, eaque ratione non eſſe conculcandos.

Initio Magiſtratus ſui ne quid perperam fieret, ordines vt appellāt cancellariæ cōſcribendos, edendoſque curauit, ac dum maiora expectabant ciues ſui, rerum habenas reliquit moriens.

IOANNES BAPTISTA RAINOLDVS ciuis pariter Mediolanenſis claris parentibus natus, dum Quæſtoribus ordinarijs præeſſet, Caſato ſucceſsit, ab eodem Philippo Rege præſes declaratus anno 1569. 57

Præſtanti fuit ingenio, & græcis, latiniſque litteris ſummopere præditus, ac iuris ſcientia præcipue ornatus, elegantiſsimis moribus, ſingulari humanitate inſignis. Linguarum ſtudio mirabilem quandam rerum ſcientiarum adoleſcens adhuc adiecerat neque vllam iuris, philoſophiæque partem neglexit, ſed integrè attigerat omnes, nullam prætericrat; animaduerterat enim earum rerum cognitionem opus eſſe, vel in primis, ſi tot petentium deſiderijs imparatus etiam ſatisfaciendum ſit, ſi conſultationibus reſpondendum, ſi calumnijs, ſi iniquitati eundum obuiam ſit; ſi audientiæ tot tempus impendendum. Nec illum certe ſua fefellit opinio: nam non modo aliis ſeſe in iis rebus ſolertem præbuit artificem, ſed quam ipſe ſibimet operam nauarit, & neceſſariam ſemper & reipub. peropportunam euentus nobis patefecit.

Quam ſibi legem tulerat, ſeruari ab alijs volebat; & in proponendis Catholico Regi Magiſtratuum competitoribus, vniuſcuiuſque ingenium, doctrināque examinabat, an complures diſciplinas, præſertim iuriſprudentiam calleret, an etiam præ labore defecturus, atque animo trepidaturus videretur. Ac crebro vſurpare ſolebat illud Scæuolæ clariſsimum dictum. Ius ciuile ſcilicet vigilantibus ſcriptum, eò pertinere; vt intelligant iuriſcandidati, eam ſcientiam non ſine ſummo ſtudio, & vigilantia percipi, & comparari poſſe.

Cum etiam in Senatus Cancellariæ demortuorū aliquorum locum ſufficiendus quiſpiam eſſet, petitorum examini rem aliquando cenſuit eſſe committendam; vt vnuſquiſque coram omnibus de ſe periculum

culum faceret, quique alios litteris antecelleret præferretur.

Iustitiæ, atque æquitatis cultor egregius, neminem vnquam indicta causa damnari passus est.

58 Leges quoque, iura municipalia, Principum placita, & Senatuscons. diligentissime seruanda curauit: de hisque librum edidit anno 1580.

Quicquid praua consuetudine in rerum capitaliũ quæstiones, aliarumque irrepserat controuersiarum iudicia, tolli iussit, peculiaribus propterea edictis promulgatis.

Et quos in foro Mediolanensi diu versatos, forensisque vsus cognitione præstantes esse audiebat, ad scribendum vehementer hortabatur, qua ratione lites, & controuersiæ terminari, quàm citissime possent. Summæ enim æquitatis esse censebat, resecari litigantium calumnias; eumque qui iudicio ius suum prosequitur, expensis superfluis, & tergiuersationibus non vexari; siue vincendum sit, siue succumbendum. Eo ingenii acumine præstitit, vt vel semel tantùm libellis, & quæ in iure afferebantur, perlectis, aut sanè dicentibus auditis, quo tenderent continuo intelligeret, & in quo quæstionis, quæ proponebatur, pondus, causaque tota consisteret. Quo fiebat, vt facillimè, nec sine iustitia cuncta decideret, atque innumera in dies negocia terminaret.

59 Ita etiam, ne litigatoribus ad se cum aduocatis, atque causidicis iterum, & sæpius veniendum esset, omni cura prouidebat; eorum impensis, & labori christiana pietate parcens. Quod vtinam cuncti seruarent Magistratus.

Singularem humanitatem, ne ceteras animi dotes desideres, grauitate temperauit, prudentiam vero cum abstinentia, & vitæ integritate coniunxit. Pietate potissimum in Deum conspicuus, quotidie sacris interfuit, antequam iret in Senatum: optimè callens, ante omnia superos colendos esse, & ab hoc initio res ceteras auspicari Christianum hominem debere. Neque serius propterea, sed plerumque primus omnium venire solitus erat.

60 Sed ea, quæ vir optimus egit, coorta, & seuiente in vrbe nostra pestilentia anno 1576. ceteras vitæ actiones facile superant, vt diiudicari non possit, maiori ne laude, an admiratione sint digna. Quantum etenim humana prouidentia, aut consilio assequi potuit, diligentissimè curauit, vt patriæ salubritas restitueretur. Ductus etiam sanctissimi Præsulis Caroli Borromei exemplo, ægros ab vrbe pulsos, ne contagione ceteros inficerent, nulli parcens periculo, ac labori, ceterisque omissis rebus omni officio, & charitate complexus est, vt etiam cum pluisset illa hyeme sexaginta ferè continuos dies, ocreis, & endromide indutus, per tuguria, & mapalia iacentes, atque horribili morbo tabescentes semel saltem in hebdomada inuiseret, atque solaretur; si quid deerat, christiana cum pietate tribuens: Sic non modo Senatui, sed singulis etiam ciuibus eum præesse tanquam parentem optimum fatebantur.

Quamobrem tantam omnium ordinum beneuolentiam, & gratiam sibi conciliauit, vt solus omnibus videretur placere: à munifico etiam Rege aureis quadringentis in singulos annos donatus est.

61 IACOBVS RICARDVS Laude Pompeia claro genere ortus, rei litterariæ studium, cum musices studio copulauit, eaque diu in magnorum virorum gratiam ad magistratus obeundos se insinuauit. Porrò Ciuitatis suæ apud prouinciæ Gubernatorem orator, siue legatus post aliquot annos Romam profectus, ab Antonio Perennoto Cardinali Granuelano delectus, ad ardua quædam Regis nostri negotia tractanda eo in munere ita se gessit, vt Prætor Mediolani confestim designatus fuerit. Verum antequam magistratum iniret, accersitu Regis in Hispaniam profecturus, dum classem Genuæ expectat, Senator renuntiatus, Mediolanum reuertitur; quod munus per aliquot annos integerrimè obiuit. Deinde Pręses Quęstorũ extraordinariorũ creatus, curã fisci, annonæ, & aquarum publicarum serio suscepit. Tandem decedente Raynoldo Senatus Præside ipse in eius locum suffectus, omnem omnium expectationem longè superauit. Nam super insignem eruditionem, ac vtriusque linguæ peritiam, singulari quoque & portentosa memoria præditus fuit, vsque eo, vt de quacunque re, vel se nel audiuisset, illius eiusdem quandocunque recordaretur, quare nulla sub eo Præside rescripta contraria visa fuerunt.

Libellis expediendis, & litigatoribus audiendis ita vacabat, vt qui libellos aspiceret, eum audientibus aures præbere posse negaret; qui vero redeuntes cerneret, tempus ad expeditionem libellorum superfuturum desperaret.

In audiendis litigatoribus benignè & exporrecta fronte hilarem cum grauitate se præbebat, inferioris sortis homines, & mulierculas præ verecundia labentes, & hæsitantes blandis verbis ad dicendum vltro prouocabat.

Promptos aditus ad se omnibus esse voluit, domo ferè iuxta curiam conducta, domesticosque obiurgabat, si quem reiecissent. Quinetiam si minus iusta, citra tamen improbitatem postulassent, eos humaniter admonebat, vt consultis peritioribus, & probatis viris iustiora peterent.

Aduocatos, & causidicos, vt quisque probitate, fide, scientia pollebat magnificè laudare consueuit; improbos vero & malis artibus ius extorquere conantes in ordinem redigebat: neminem tamen palam, vel præsentibus clientulis obiurgauit. Iniurias iis illatas acerrimè vlciscebatur.

Iurisconsultos semper in publico togatos esse decere dicebat.

Prohibuit, quantum potuit, ne veteri more causarum patroni siue Aduocati publicè in Senatu audirentur; ratus frustra tempus in ijs teri, & non necessariis propterea clientes premi sumptibus, cum sententię vt plurimum non ferantur nisi longo post tempore, & quando ea omnia quæ dicta sunt, animis exciderunt. Addebat & illud, incongruum sibi videri, Senatum ab aduocatorum acclamatione exigere id quod ipse tanquam fons consilii præstare tenebatur. Sic etiam merito, si Afflicto credimus, Clemens IV. Pontifex Maximus iurisprudentiæ culmen improbare consueuerat. Sed quod vsu receptum est, non ita facile tollitur: priores enim, & qui deinceps Senatui præfuere, & præcipue Brugnolus contrariam secuti sententiam, aliter seruauerunt. Neque nobis nunc in ea re decernendum existimamus, vtrum rectius. 62

In libellorum expeditione illud obseruare consueuit, vt mane allatos, deletis vel expunctis ijs, qui iniustas petitiones continebant, vespere ad cancellariam quam vocant remitteret, id vnum potissimũ spectans, ne rescripta expectantes, maxime aduenæ diuturna mora, grauibusque sumptibus fatigarentur;

tur. Dicebat, eos qui negotium longis cunctationibus differrent, magis oneri, quam præsidio esse.

Vtebatur aliquando neque ad illecebras, neque ad lassitudinem ambulationibus, cum erat otium, animum reficiens, corporisq; vires corroborans: publicis negotijs solutus caros admittere consueuit, quibuscum etiam ad sermonis delectationem hilariter honestèque epulabatur.

Illud omnium admirationem longè superare videtur, quod mortuo Danesio Filiodono supremo Cancellario, donec de successore deliberaretur, tantorum negociorum moles in eum incubuit, qui munus illud per annum, & eo amplius tanta prudentia sedulitate, ac probitate obiuit; vt nunquam ante id tempus prouincialium desiderijs ita satisfactum fuisse credatur: in id quippe totus incumbebat, vt quæ non concederentur, ex necessitate, non ex ipsius voluntate denegata cognoscerentur; Hinc erat vt etiam ij qui noti compotes non fiebant viri comitatem amare cogerentur. Stolidæ enim & inconsultæ rusticitatis esse dicebat, odium & inuidiam, quæ ex ipsa magistratus eminentia contrahuntur, nimio fastu, vel morum austeritate augere.

63 In coercendis delictis illud peculiare habuit, vt quos attrocioris criminis Reos esse constaret, quam citissime damnaret; In ijs quæ ob numerum delinquentium, vel ob aliam causam, existimationem publicam minui posse cernebat, insignioribus legitima pœna affectis, in ceteros extra ordinem animaduertendum curaret.

Sed & priuatorum famæ consuluit: nam si quis honesto loco natus ad auertendum, vel abolendum dedecus familiæ, aliquid durius in vxorem, vel filium commisisset, operam dedit, consulto Principe, vt rei alio quopiam titulo pœnas darent, ne quid in dedecus totius familiæ euulgaretur. Hic verò nobilitatis tantus æstimator, patricios ad ignominiosa delicta prolapsos multò acrius, quàm plebeios coercuit.

Magistratuum, & Præfecturarum coemptionem perosus, amicos suos ijs carere, quàm emere maluit. Quendam, qui grandi ære præturam Laudensem comparasse ferebatur, interrogauit, quanti ius dicturus esset.

Abstemius quidem ille fuit, sed eo magis à muneribus donisque quibuscunque se abstinuit.

Iudicia capitalia, cum culpa scribarum eluderentur comperuerat enim eosdem in scribendis accusationibus, dictisque testium recipiendis, fenestras relinquisse, & cancellos parasse, vt insontes sinistris aditibus, non iustè iudiciorum ratione includerentur, sontes verò debitas pœnas euaderent, eos ferè omnes ab officio submouit, alios verò probatæ vitæ illorum loco subrogauit.

64 Rempublicam rectè administrari posse negabat, nisi ij, qui summæ rerum præsunt, populorum studia & mores, procerumq; potentiam, consilia, affinitates, clientelas, & amicitias probè teneant. Plurimum enim refert scire quo quisque amico, æmulo, vel hoste vtatur, quæ amicitiæ, vel odij causæ, quibusuè adiutoribus vti possit. Vt igitur is omnium notitiam assequeretur, nonnullos primores blandè excipiebat: per quos quæcunque in ciuitate fiebant, vel tractabantur nullo negotio intelligebat. Eadem ratione in speciem hilaritatis à cœtu amicorum quosdam cognitæ dicacitatis non arcebat: & a fidissimis amicorum vbique exigebat, vt si quid prouisione, vel animaduersione dignum intellexissent ad se statim ex fide aut deferrent, aut perscriberent. Habebat & humilioris fortunæ homines, expertæ tamen probitatis, quibus ad arcana exploranda vtebatur; sed plurimum momenti ad eam rem accedebat ex ijs negocijs, quæ vti dixi, ab re suscipi videbantur, dum in ijs pertractandis altera pars alterius potentiam, mores, & gesta detegebat, vel dum alij sermones ex alijs serebantur, sæpissimè ab incantis eliciebat, quæ sciri plurimum reipub intererat; quæque aliunde resciri, vel nunquam, vel nisi dificillimè, & serò potuissent. Neque tantæ solertiæ leue compendium erat: nam sæpissimè grauissimis facinoribus, ne patrarentur, obuiam iuit, euocatis partium ducibus, ijsque factorum, & personarum habita ratione humaniter admonitis, vel temere obiurgatis, aliquando ex auctoritate moderatorum prouinciæ, per speciem honoris obligatis. Quod si quid mali erupisset, statim auctorem, causas, conscios, complices, & ministros sciebat: vnde sæpissimè contigit, vt cum Præfecti rerum capitalium alijq; latrunculatores patrato aliquo crimine, coniectura inimicitiæ, aliauè simili ducti, contra aliquos aciem direxissent, ipse veri, haud ignarus innocentes vexari non pateretur.

Aiunt, Cardinalem sine controuersia futurum fuisse, ni Innocentius ix. ipso initio Pontificatus obijsset; celebre sanè in aula Romana erat illius nomen.

Statura fuit procera, capillo subnigro, barba promissiore, recto grauiq; incessu, eaque totius oris venustate, vt omni imperio dignus videretur.

Decessit non sine veneni, vel fascinationis suspitione die 22. Nouembris 1596. annum agens quadragesimum septimum.

BARTOLOMEVS BRVGNOLVS Ticini humili loco natus post annum ferè a Philippo etiam II. Rege missus est ex Hispania Riccardo successor xviij. Kal. Ianuarias anni 1598. 65

Is quoque per omnes honores quasi continuata serie progressus ad hanc peruenit dignitatem. Anno enim 1588. Mediolani capitalium quæstionum Iudex constitutus tale de se specimen præbuit, vt paullo post Senator anno 1590. deinde in supremo Italiæ consilio Regens in Hispania anno 1591. & postremo Senatus Præses declaratus fit.

Omnibus sui temporis Iurisconsultis doctrina, & Iurisprudentiæ cognitione præstitit, (cum antea quoq; candidatus existens eruditus diceretur a Craueta *cons.647.*) & antequam ad honores emergeret, clarissimus causarũ patronus habitus est. Huius porrò iudicium tanti æstimabat sapientissimus ille Rex, vt in grauissimis quibuscunq; negotijs eum consulendum censeret, siue ea ad res Italicas, quibus ipse vti Regens consiliarius intererat semper, siue ad alias prouincias pertinerent. Immo ad cetera eiusdem Regis consiliæ vocatus accedebat, fortemq; & prudentem sententiam dicebat. Illud vero mirum, quod eum iam Præsidis munere fungentem idem Rex, priusquam aliquid deliberaretur, priuatim consulere quandoque codicillis missis consueuit, qui hodie quoque apud hæredes Ticini visuntur.

Admirabantur hunc omnes siue Senatusconsulta pronuntiantem, seu nodos causarum, controuersiarumvè captiones dirimentem, siue litium argutias subtiliter inquirentem, siue negotia publica

magno,

magno, & assiduo molimine tractantem: cum nihil esset in forensibus iudicijs arduum, aut in administratione reipub. anceps, & negotiosum, cuius non prima laus illi omni doctrina cumulatissimo deberetur. Cauendum esse dicebat ne amicitiæ, & propinquitati maior, quam par sit aditus pateret apud Senatum. Ob aeris Madriti regiæ sedis temperiem salubritatemq; morbo articulari, quo quandoque grauari consueuerat, subsanatus videbatur. Verum Mediolanum reuersus, iterum idem morbus eum inuasit, ita vt podagræ doloribus frequentissimè cruciaretur. Nec propterea suo muneri deerat, nam & decumbens supplices libellos, quæq; singuli Senatores, quorum eæ partes erant, decreuissent, recognoscebat quotidie, & si quid mutandum censuerat, si non sua, saltem Alexandri Besutij, qui à secretis illi erat, manu correcta, ipse obsignabat. Et cum posset, lectica plerumque a duobus mancipijs in curiam ferebatur, & referebatur domum litigatoribus eum sequentibus.

Morbo leuatum amicis dicere solitum ferunt, hæc incommoda valetudo nos monuit, ne animo nimium efferamur; sed potius, vt etiam atque etiam cogitemus quo pacto possimus bene mori. Morbi enim mortales nos esse admonent, cum mortis nuntij sint & administri.

In animo erat Constitutiones has interpretari, sed obijt vi. Non. Septembris anni 1603

IACOBVS MAINOLDVS Cremonæ nobilissimo genere natus Brugnolo successit post menses
66 ferè quindecim, a Philippo III. Præses renuntiatus, cum esset in Hispania 3. Kal. Decembris anni 1604.

In patria diu cum maxima integritatis laude versatus, legationis munus pro sua ciuitate apud Gregorium XIII. Pontificem Maximum obiuit, & benè, feliciterq; gessit, quicquid petierat consecutus. Deinde à Philippo II. in Senatum Mediolanensem lectus 3. Kal Nouembris anni 1593. breui ab omnibus eius virtute perspecta ad maiores honores emersit, post quatuor enim annos in supremo Italiæ concilio in Hispania Regens factus est, mox, vt iam dictum est Præses Senatus Mediolanensis creatus.

In rebus gerendis assiduitate conspicuus, nullum tempus vacuum labi patiebatur, atque animum tanta mole curarum grauatum, non otio, sed negocio recreare consueuerat, neque vnquam quiescebat, nisi cum cibo, & potu, vel somno reficeret corpus. Summo mane in Senatum se conferebat, hora ferè sexta cum domum rediret litigantes audiebat; ipse enim in victu sobrius, prandium omisit, semper sola contentus cœna, eaq; non tam opipare condita, quam reficiendis corporum viribus accommodata. Conuiuia ipse aliena raxus adijt, sua non crebra habuit ad vesperam supplicantium libellos, & preces, & Senatorum decreta recognoscebat; neque vnquam animi causa vagantem huc illuc per vrbem, vel extra quispiam aspexit. Immo cum Senatus non haberetur, his etiam in exercitationibus tempus terebat, quod mirum videbatur.

Summa in eo cernebatur in vultu, gestu, voce, & verbis non sine grauitate lenitas. In audiendis litigatoribus mitis, & placidus, ac tanta morum suauitate, facilitateq; præditus fuit, vt cunctorum beneuolentiam, amoremq; conciliaret. Mainoldum enim nemo vel semel alloquebatur, quin amaret continuò, atque obseruaret.

Tanta polluit iurisprudentiæ cognitione, vitæq; integritate, vt æqui, curisq; custos, & typus iustitiæ videretur.

Insigni viguit memoria, Riccardo non absimili: nam in vna quaque controuersia quodcunque semel petitum, aut decretum fuerat, ita tenuit, vt nunquam excideret. Itaque nulla vnquam sub eo Senatus consulta, quæ a singulis Senatoribus per mensium vices ad Præsidem feruntur inter se pugnantia sint edita: quod alias ob litigantium versutias, & artes, & infinitam penè multitudinem, non semel accidere solebat.

Festis diebus ad pascendum diuini verbi pabulo animum, sodalitium quoddam à Societatis Iesu patribus institutum frequentabat. In egentes munificus erat, quantum pecuniæ ex Præsidis munere quotannis percipiebat, tantundem in eos erogans; his nimirum rebus ea, quæ verè bona sunt, in omnem æternitatem comparari nouit.

Maxima cum charitate cum domesticis vixit, dictitans, ijs, quos diligas, minime irasci oportere.

Nullius precibus, aut gratia de recta iustitiæ ratione deflecti potuit vnquam, & nihil apud eum præpotentium hominum auctoritas, vel cognati sanguinis charitas vim habuit, valuitq;; sed id solum respexit, atque egit, quod cum æquitate coniunctum videbatur.

Catholico Regi ob virtutem, perspectamq; maximis in rebus prudentiam ita carus fuit, vt in eum, & fratres omnes innumera, atque ingentia beneficia contulerit.

Iam Præsidem in Italiam profecturum aureis mille ad itineris impensas, & præter consuetū stipendium quadringentis quotannis donec vixerit, 67
donauit v Kal. Iunias anni 1604. Iussitq; peculiari, & adhuc insueto rescripto eum nihilominus Regentis appellationem, & ceteras illius Magistratus prærogatiuas retinere, stipendiumq; percipere.

Horatium fratrem capitalium rerum Mediolani Iudicem constituit, quem Iustitiæ Capitaneum vocant xvi Kal Februarias anni 1600 Deinde in numerum Quæstorum extraordinariorum adscripsit anni 1610.

Iulio Cæsari aureos tercentum in annos singulos dum superstes fuerit, assignauit v. Kal. Septembris anni 1601. & Camillum denique Præfectum annonæ perpetuo Cremonæ renuntiauit vij. Idus Augusti anni 1604.

Auctor fuit Comiti fontium, ne quis indicta causa damnaretur, qui rem vtilem, non tuto consilio 68
fuerat aggressus grauiter in mutos animaduertens.

Ceterum in tanto viro ad omnia summa nato eruditionis, & bonarum artium studium in primis effulxit: qui a materna indole, (Hæc enim Partenia Gallarata clarissima fœmina fuit, latinis litteris, & philosophiæ ornata, studioq; poeticis præstans) non degenerans, poetas, virosque omnes in aliqua disciplina excellentes præcipue fouit. Priusquam ab honores eueheretur de Titulis Philippi Regis Catholici librum conscripsit satis eruditum, doctisque viris valdè probatum.

Illud vnum in Mainoldo quibusdam videbatur argui posse, quod sæpe oblatas quorumdam supplicantium petitiones, & libellos, nec reijceret, adscripto solo verbo, *nihil*, nec approbaret, sed longis cunctationibus negotium defferens petitores suspensos adeo teneret, vt aliqui interim iacturam rerum

rum ſuarum paterentur. Id verò grauius ab ijs accipiebatur, quod notum erat, eundem conſueuiſſe non ſolum ſupplices omnes libellos videre, ſed etiam diligenter legere, & illos vſque, qui communi etiam forma expediri conſueuerant: cum nihilominus potuerit eos ſtatim, atque perlegit, ſubſignare, vel petita concedendo, vel denegando, vt petitor, præſertim peregrinus rebus ſuis alia ratione conſulere, & à ſumptibus permultis ſe eximere, poſſet. Additabant illud accidiſſe, vt dum ſic expeditiones protraheret, ſupplicationum ingens cumulus fieret, per quod illud Plin. ſequebatur, vt in veteribus negocijs noua adcreſcerent, nec tamen priora peragerentur, tot nexibus. tot quaſi catenis maius in dies occupationum agmen extenderetur, vt huius viri animus multis nominibbus, multiſq; cauſis non laſſaretur modo, verum etiam confunderetur. Dum enim, vt idem Plin. ait, alibi longius extrahitur cognitio, ſatietate & tædio quodam iuſtitia cognoſcentium langueſcit.

Sed hæc leuia eſſe prudens quiſque fatebitur: neque enim fieri poteſt, vt omnibus placere poſſimus, & eò minus ſi maxima negociorum moles acceſſerit, ſi cum importuniſſimis agendum ſit, ſi ſe deceptum iri quis dubitet, cum etiam fruſtra petantur, quæ iure concedi debent. Cauebat itaque quantum poterat vir iuſtus, ne quicquam in præiudicium alterius ageretur; preſſa erat & decora cuntatio, nihil erat, quod non ſtatim ſciret. & tamen plerumque hæſitabat, dubitabatq; ob varietatem rationum in vtramque partem, quas acri, magnoque iudicio ab origine, cauſiſq; primis repetebat. diſcernebat, expendebatque mutæ erant litteræ, quæ illi hæſitanti reſpondere non poterat: audiendus itaque erat peritior, vel alius etiam. Hæc interim non ſui ipſius erat, ſed aliorum mora.

69 Amico illum monenti de ijs, quæ aduerſus illum per ora vulgus verſarentur, reſpondit. Si Præſes cuncta circumſpicere debet, nullamque iuris ciuilis partem prætermittere, ſed conſilio omnibus, beneuolentia, diligentiaq; prodeſſe, ac ſumma cura omnia inueſtigare. Et non ea tantum, quæ hac in vrbe, & in ſingulis huius prouinciæ ciuitatibus, aut vicis agitantur, ſed etiam quid quiſque cauſæ patronus, quid pars ſingula flagitet, quid mirum, ſi perſcrutor ſupplices mihi allatos libellos, & quandoque petentium improbitati occurro? Scio enim non in omnibus rebus, vel cauſis Senatus expectari iudicium: præcaueo propterea quantum poſſum, ne tribunalium ſcrinia multiplicitate reſcriptorum repleantur: neve reſcripta multiplices nouarum litium atque expenſarum fœtus edere poſſint. Nihil enim magis recti iudicis animus torqueri, aut in diuerſa trahi ſolet, quam ſi reſciptis inuictis contrarijſue aut inuicem aduerſantibus detineatur. Labores huic obſonium erant, vt Xenophon ait, *& dictum eſt alibi cum tempus nullum niſi in labore dederit quieti.*

Dilationes concedere facilè conſueuerat, non neſcius, ſatius eſſe peccare in tempore, quàm in ſententia. Licet ſollicitè obuiam litigantium argutiæ, & temeritati eundum ſit.

Domum inhabitauit in angulo vrbis iuxta pomerium litigatoribus acceſſu perincommodum hyemali præſertim, & æſtiuo tempore.

## CAPVT III.

*Senator vnde dictus.*

SEnator dictus eſt à ſenioribus, quaſi ſenium, & auctoritatem habens, teſte *Liuio lib* 1. *& Cicer. in Catil.* his verbis. *Senatus à Senibus appellatus eſt, quod in eis ſit conſilium, ratio, & ſententia*; ſic & Seneca *Declam.* 1. *& in fine lib.* 1. *de breu vita. Zonar. lib ij. Saluſt. in Catilin. Feſt lib.* 1. *Dion lib. LI. Eutrop.* vbi de Romulo verba facit. Cicero iterum de ſenec. *Conſilium, ratio, ſententia, quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum. Plut in Romulo. Ouid. in Faſt. lib. v. idem probat, l nuptæ ff. de Sen.* & ex Scribentibus noſtris ſcripſerunt *Luc. de Penna in l. Fabricenſes C. de decur. num.* 12. *Cattell. Cotta in memor. verbo Senatus, & Teſſaur. in præfat deciſ. ſub num.* 8. *circa finem.* 70

Dictus eſt etiam Senator à ſenos, ideſt ſenſus, 84. *diſtin. c. vlt. & c ſi quis vero* 86. *diſtin. Archidiac. in c. Eccleſia* 16. *q.* 1. *Ouid loco ſupra citato*

*Nec niſi poſt annos potuit tunc curia ſenos;*
*Nomen & ætatis mite Senatus habes.*

Vel, vt ait *Bar. in rub. de Senat.* ab aſſentiendo, quia Senatores iudicibus ſententiam dicebant, aut ſecundum *Luc. de Penna vbi ſupra*, vt propriè Senator ille ſit, qui de quo conſulitur ſententiam dat.

Aut à ſinendo, quia facultatem eligendi concedebat, non enim abſque ipſius Senatus ſententia vllus Magiſtratus creari poterat ex *Liuio de bello Punico lib. vij.*

Vel dicitur Senator, quaſi ſanator, dum vulnera, & curas reipub. ſanat, vt ait idem *Luc. de Penna in d. l. omnes C. de cur. lib. x. nu.* 12.

Illa tamen etymologia admittenda eſt, quæ omnes vocabuli partes explicat, *Arg* §. *ab hoſtibus inſtit. quib. mo. iuſ. pat. pot. ſol. & l. plebi* §. *pignus de verb. ſign. ſic etiam Bar. in l. omnes populi num.* 59. *de iuſt. & iur*

Qui Senator eſt, audiat igitur quæ *Caſſiod. ep lib.* 1. ait: *Sumpſiſti nomen ex meritis, cuſtodi, vt ſemper læteris veritate vocabuli; nam cum omnis appellatio ad delineandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt, nomen alienum portare, & aliud dici, quod poſſis in moribus inueniri.* & *ep.* 28 *lib.* 2. *Vocabulum Principis nulla ſorde maculaſti, ſeruans dignitatem nominis exercitatione virtutis.* Et *S. Ambroſius lib. de dign Sacerd. cap.* 3. *Quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus, vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane. Horat. lib.* 1. *ep.* 17. 71

*—— aut virtus nomen inane eſt.*
*Aut decus, & precium rectè petit experiens vir.*

*Seneca lib.* 1. *de clem. cap.* 9 *Agmen nobilium non inania nomina proferentium ſed eorum, qui imaginibus ſuis decori ſint. Zeno in l. neminem* 64. *C. de Decur. Ne tamen indulti honoris inane nomen retinere videantur, dignitatum titulis potiantur per ſubſtitutos.* Et ſcitè Syneſius Epiſcopus *ep.* 136. *conqueritur, quod ſua ætate nihil præter nudum nomen Athenæ haberent*, Senatoribus autem noſtris illud iure dici poteſt, quod Senatus Seuero, vt apud Xiphil nempe: *Omnes rectè faciunt omnia, propterea quod vos rectiſſime imperatis.*

CA-

## CAPVT IV.

*Numerus Senatorum*:

72 SEnatores olim permultos fuiſſe docet erectio Senatus: decem enim ſeptem numero cõtinebatur Senatus, prælatis duobus, quatuor militaribus cæteris verò iuriſperitis vndecim conſtitutis; ita tamen, vt ex iam electis ſi deficeret, vnus tantùm prælatus, & tres militares viri, qui cum alijs ſuperſtitibus, numero quindecim tantùm, vltra Secretarium Præſidem eſſent. Exinde autem ſub Duce Sfortia II fuerunt viginti ſeptem, Prælati quinque, Equites nouem, Iuriſconſulti treſdecim: verum expoſt is numerus diminutus ad vigintiquatuor duntaxat, vt per *Teſſaur. in d. præfat. ſub num. 23. in fine*. Nunc autem quatuordecim ſunt vltra Præſidem, omneſq; iuriſconſulti, Hiſpani tres, reliqui autem prouinciæ Mediolanenſis, quorum duo Præturam gerunt, alter Cremonæ, alter vero Papiæ; adeout duodecim tantùm in Senatu ſedeant. Qui numerus in quouis magno auditorio ſufficiens eſt, vt in Rota Romana Duodecim ergo Senatores vna cum ipſo Præſide Senatum conſtituunt. Vnde quemadmodum Sol per Zodiacum circulum inuectus terrenis omnibus, generationis, alimenti, vitæque ſuam cuique portionem tribuit, ex diuerſis anni partium temperamentis, optima rerum omnium moderatione conſtituta; ita etiam iuſtitia per hos duodecim viros prodiens, omnibus æque, quod ſuum eſt, & pœnam, & præmium ingerens, tribuit.

73 Senatus Romani numerus varius fuit ex *Plin. Halycarnaſſ. Plut. Appiano. Dione, & alijs ſupra in principio huius §. relatis, & per P. Gregor. Toloſ. in ſyntag. iur. vniuerſ. p. 3. lib. 47. cap. 25. num. 2. & 3.*

Cenſueram ego ſingulorum Senatorum ortus, nomina, & cognomina, qui ab ipſa vſque Senatus antiquiſſima origine hactenus fuerint, deſcribere; idque etiam libentiſſime nullis irretitus impenſis, nulloque perterritus labore, vt Senatorum omnium familiæ habitus honor innoteſceret, me præſtare poſſe confidebam; ſed auctoritas eorum, quæ ad hoc ipſum munus explendum mihi omnino erat neceſſaria defuit. Quæ igitur animo complexus ſum licet factis non expleuerim accipiant omnes; quamuis clarorum virorum memoriam debitam carere, perireque, aut ſi omnino non pereant neglectam iacere dolendum ſit, & neſcio quæ mala temporum noſtrorum inuſam ia ſors, quod ea nobis inuidere videtur rariora, & præſtantiora quæ ſunt.

## CAPVT V.

*Senatores à quibus nominentur, approbentur, & legantur.*

74 IVris duas eſſe partes, publici, & priuati conſtat ex *l. 1. ff. de iuſt. & iur.* eamq; maiorem, quæ ius publicum reſpicit, in Magiſtratibus conſiſtentem, §. *ius publicum eiuſdẽ l. ſi quidem*, non ad vnius, vel alterius ſalutem, ſed totius populi omniumq; gentium hæc pertineat. Atque ideo quantò maior eſt hominum omnium æſtimatio alijs rebus, tantò diligentius publici iuris habenda ſit ratio; nimirum in Magiſtratibus, ipſiſq; Senatoribus deligendis. Summa 75
res eſt in omni repub. Magiſtratus, præcipuus tamen Senatus, in quo tanquam in cardine ſalus reipub. vertitur. Quod veriſſimum agnoſcens P. Rex noſter, non prius quenquam in numerum Sena- 76
torum cooptare conſueuit, quam ante ſit, vbi de deligendo hiſpano agatur à Gubernatore, vbi vero de alio ex ditione Mediolanenſi, & ab ipſo Gubernatore, & à Senatu nominatus non ſolum, verum etiam à Regijs ſuis Conſiliarijs in ſupremo Italiæ pro idoneo probatus; confert *l. nominationes C. de decur. lib. 10. & c. cuncta ſanctorum 16. q. vlt.* cum not. per *Anchar. in c. nullis de elect. lib. 6.* Supremum illud Conſilium ex I. C. ab eod. Gubernatore, & Senatu nominatis tres duntaxat (horum enim quiſque tres nominat) ſecernit, quorum nomina ipſi Regi, qui vtplurimum vnum ex ijs, & in ordine primum legit Senatorem. Inſtitutum deſumptum ab 77
Auguſto, de quo ſcribunt *Suet. cap. 35. & Dion. lib. 54.* vt priorem lectionem permiſerit Senatorum arbitrio; poſteriorem vero ſuo, & Agrippæ iudicio reſeruauerit. Eo quoque vſi ſunt alij. De Theodoſio enim Symachus *Ep. 59. lib. 10.* ſic ſcribit. *De notione, & more commonitus. Magiſtratuum nomina, quibus varias functiones deſignationum tempore ampliſſimus ordo mandauit, ad æternitatis veſtræ profero notionem, vt muneribus exibendis, aut ſubeundis faſcibus deſtinatos cognitio Imperialis accipiat.* Tacitus autem iiij. Annal. his vtitur. *Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres ſimul nominari, ex quis vnus legeretur vetuſto more.* De Alex. Seuero Lamprid. ſic ait. *Sanatorem nunquam ſine omnium Senatorum, qui aderant fecit; ita vt per ſententias omnium crearet, teſtimonia dicerent ſummi viri, ac, ſi fefelliſſent vel teſtes, vel qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reijceretur locum, ciuium condemnatione adhibita.*

Quod tres nominarentur, & vnus ex tribus eligeretur; oſtendit locus Taciti paullo ante citatus, & alius eiuſdem Annal. iij. *Proximi Senatus die Tiberius M. Lepidum, & Iunium Bleſum nominauit, ex queis proconſul Africæ legeretur.*

In Senatus Erectione illa anni 1499. ſic ſcriptum eſt. *Si officium aliquod vacare contingerit, iuramento prius per ceteros Senatores de eligendo tres, quos cognouerint magis idoneos ad tale officium obtinendum in manibus Cancellarij; vel Præſidentis, & per ipſum Cancellarium, vel Præſidentem in manibus immediate ſequentis ſolemniter præſtito: eligent dicti Senatores noſtri tres, quos ad tale officium ſufficientiores, & & idoneos magis eſſe cognouerint, & electionem, ſeu nominationem, ſic per eos factam, nobis tranſmittere tenebuntur. Noſque vnum ex ipſis nominatis, & electis ad dictum officium confirmabimus, & deputabimus, qui dicto Senatui noſtro literas noſtras ſuæ confirmationis, & collationis dicti officij tenebitur præſentare.* Et paullo poſt. *In iſta tamen nominatione, & electione officium Cancellarij præfati intelligimus minime comprehenſum. Idem de officijs Senatorum Vltramontanorum, quæ, cum tempus vacationis, occurrerit, plenariæ diſpoſitioni noſtræ reſeruamus abſque aliqua nominatione.*

Cum ergo in demortui alicuius Senatoris locum quis nominandus ſit, candidatorum eorum, quos 78
idoneos credit, Præſes nomina edit patribus, eos etiam

etiam monens, si alios habeant, qui nominari mereantur, vt proponant. Mox singulos eo ordine, quo descripti sunt in notula, probant, vel improbant his verbis, *Placet*, vel *non Placet*, ita vt tres ex ijs, qui a pluribus probati fuerint, vel plura suffragia habuerint, pro nominatis habeantur; omnia sanè summa cum ratione constituta.

79 Nominatio ceteris Senatoribus data est, ne minus idoneus ad eum gradum temere irrumpere possit. Non enim credibile est, ab ijs eum probari, qui alias non etiam sit a plurimis alijs probatus, vt supra *glos.* 1. *cap.* 2. *Melius namque omnibus, quàm singulis creditur &c.* vt ait *Plin. in Panegyr. & Cassiod. var. lib. xij.* teste, dignus est principali iudicio promoueri, qui a multis meruit approbari, vni enim acceptum fuisse interdum gratia est, multis placuisse iudicium. Pertinet etiam, vt est apud *Tacit. Annal. xij.* ad vtilitatem reipub. pertinet ad Principis honorem, vt ad hunc ordinem alij non referantur, quàm quos innocentissimos Senatus habeat. Vir enim virum legit *Tranq. in Aug. cap. 33.* & quisque artis suæ iudex est aptissimus.

80 Iuramentum de nominando magis idoneo præstari in Francia testatur *Ian. Langlaus semestr. lib. 7. cap. 10. pag. 373. & seq.* Nec id nouum esse dignoscitur inuentum, cum apud Romanos illud quoque vsui fuerit in Sacerdotum gentilium creatione. *Cic. in Bruto;* qua in cogitatione & cooptatum me in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium meæ dignitatis fecerat. *Tranquill. in Claud.* in cooptandis per collegia Sacerdotibus, neminem, nisi iuratus, nominauit. Deseruit *Nouell. Iustin. 137. & c. constitutus de app.* Alex. Seuerus in loco mox deducto in verbis testimonia dicerent, idem seruasse in deligendis Senatoribus perspicuum est; non enim, qui iurati non essent, testimonia dicebant, quocunque honore ij perfulgerent, *l. iusiurandum C. de testib.* cum alijs per nos deductis *prac. quæst. cap. 1. num. 126.* & clarius ex subsequentibus, si fefellissent, vel testes, vel ij, qui sententias dicebant, *Alexandrum eos postea in vltimum locum reiecisse &c.* quasi falsi rei habiti sint. Non igitur grauatè ferre Senator debet, quod in defuncti Senatoris locum aliquem nominaturus, sacramento rogetur, inquit *Langlaus vbi supra.* Cum in simili negotio tantus Princeps, quamuis solutus legibus iniuratus nemini vnquam suffragium dederit. Illud etiam receptum est, quoties aliquid fidei, aut religioni alicuius tribuitur; non nisi a iurato explicandum sit, *glos. in §. sed iste instit. de act. Asin. de execut. §. 8. cap. 124. & alijs seq. multis.* Non etiam Iudices apud Romanos dabantur nisi à iuratis prætoribus. *Cicero in orat. pro Aul. Cluen. Tacit. Annal. lib. xx. & alibi per nos.* Id tamen apud Senatum nostrum in vsu non est.

81 Lectio Senatoris est ipsius Regis vt diximus, quia Magistratuum omnium creatio ad eum pertinet. *l. 1. §. cum vrbem ff. de off. pref. vrb. l. 1. ff. de constit. prin. Dec. in l. 1. ad finem ff. de iur. om. iud. Iser. in Constit. Neapol. proœm.* & ibi *Afflic. q. 3. Cassan. in consuet. Burgun. rub. 1. num. 101. cum sequent. Conar. pract. quæst. c. 1. num. 10. conclus. 10. Valasc. de iur. emph. q. 8. num. 21. cum seq.* omnes etenim potestates temporales ab eo in suo procedunt *§. sed & quid instit. de iur. nat. gent. & ciu. c. nisi de vsu pallij. c. proposuit de concess. preb. cum simil.* & tradit *Bar. in l. 1. C. de dign. vbi Io. de Plat. lib. 10. Auil. in c. pretorum glos. acordabo num. 2. & Menoch. de arb. iud. cent. 6. 640. casu.*

Priscus is etiam mos fuit, teste Festo, qui sic ait. *Præteriti Senatores quondam in opprobrio non erant, quod* 82 *vt Reges sibi legebant, sublegebantq; quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos Consules quoque, & Tribuni militum singulari potestate coniunctissimos quosque patriciorum sibi, & deinde plebeiorum legebant, donec potestas Tribunitia interuenit, qua sancitum est, vt Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in Senatum legerent: quo factum est, vt qui præteriti essent, & loco moti, haberentur ignominiosi. Quorum quidem Festi verborum is est sensus, vt Censores, siue Dictator, ad quos spectabat munus legendi Senatum, Schedulam haberent in qua Senatorum nomina descripta erant, quam quinto quoque anno legerent; & vbi legendo mentio alicuius fieret, qui antea in Senatu non fuisset, in Senatorem nouum eum electum intelligebatur: si vero ex ijs aliquis antea descriptus silentio præteriretur, eum à Senatu expunctum esse dignoscebatur,* vt ex Liuio lib. xxiij. in hæc verba. *Neque enim post L. Æmilium, & C. Flaminium Censores, Senatus lectus fuerat, cum tantum Senatorum aduersæ pugnæ ad hoc sui quemq; casus per quinquennium absumpsissent;* & paucis interiectis. *Nam neque Senatu motorum quemquam ex ijs quos C. Flaminius, & L. Æmilius Censores in Senatum legissent, transcribi tantum, recitariq; eos iussurum; ne penes vnum hominem iudicium, arbitriumq; de fama & moribus Senatoris fuerit, & ita in demortuorum locum sublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Recitato vetere Senatu inde primum Fabius Buteonus Dictator in demortuum locum legit, qui post L. Æmilium, & C. Flaminium Censores curulem Magistratum cœpissent, nec dum in Senatum lecti essent, vt quisque eorum primus creatus erat, tum legit, qui Æediles trib. pleb. Quæstoresvè fuerant, tum ex ijs, qui Magistratum cœperant, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberet, ac ciuicam coronam accepisset, ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione omnium in Senatu lectis, extemplo Magistratui se abdicauit.* Iterum Liu. lib. xxxviij. *Censores Romæ T. Quintius Flaminius, & M. Claudius Marcellus Senatum perlegerunt. Princeps in Senatu tertium lectus Scipio Africanus, quatuor soli prateriti sunt.* Et lib. xxxiiij. *Cos. quem & priores censores legerant, legerunt, treis omnino Senatores, neminem curuli honore vsum, præterierunt.* Item lib. xl. *Censores fideli concordia Senatum legerunt. Princeps electus est ipse M. Æmilius Lepidus Pontifex Maximus, tres eiecti de Senatu. Retinuit quosdam Lepidus à collega præteritos. Hunc igitur morem in deligendis Senatoribus extitisse antiquitùs patet, vt Reges prius, mox Censores, siue Dictator Senatores legerent. Roma vero oppressa variatum est, vt supra de Augusto. & Seuero,* & fusius infra cap 31. Prędictis addas locum Taciti Annalium tum iiij. *Pariter congruens crediderim recensere ceteras quoque reipub. partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint: quando Tiberio mutatis in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia, & priuatorum maxima apud patres tractabantur, dabaturq; primoribus disserere, & in adulationem lapsos, cohibebat, ipse; mandabatq; honores, nobilitatemq; maiorum, claritudinem militiæ &c.* tum xij. *Silanus insidiarum nescius, ac fortè eo anno prætor, repente per edictum Vitellij ordine Senatorio mouetur, quanquam lecto pridem Senatu, lustroq; condito &c.*

## CAPVT VI.

*Curandum omnino esse, ne indignus, aut minus idoneus R. M. in Præsidis vel Senatoris demortui locum nominetur, proponaturue.*

83 NOminatio igitur cum lectioni præcedere debeat ex laudabili, sicuti diximus, instituto; prudentissimi, sapientissimique Regis nostri moderationem, & ingenium considerare licet; qui neque sorte, & fortuna in Senatu constituendo, neque suo tantùm iudicio sibi vtendum censuerit: cum maximi momenti rem si sorti, & fortunæ committeret, imprudentiæ videretur esse: Si suo vnius iudicio, arrogantiæ, sors etiam excluditur omnino, iudiciū vero in hoc honore decernendo, & aliorum, & suū constituitur. Aliorum autem cum præcedat, & illud sibi vt plurimum P. Rex proposuerit, maxima semper erit à Gubernatore, per Senatores omnes, & supremos illos Consiliarios cautio adhibenda, ne quispiam indignus, vel qui veluti lydio lapide probatus non sit, in sacrum istum ordinem nominetur; is enim ordo vitio omni vacare non tantùm debet, sed ceteris omnibus prælucere, specimenque humanitatis, prudentiæ, æquitatis, temperantiæ, & virtutum omnium vt sit, necesse est, ex *Cicer. III. de legib. Alioque graue pondus inuidiæ est splendere purpura claritate, & morum lampada non lucere*; vt ex *Cassiod. & Sacra Scriptura. Lamprid.* eo quem præcedenti citauimus loco, de hac re agens, summæ
84 laudi tribuit. *Alex. Seuero*, qui Senatores nonnisi ad summorum in palatio virorum fecit, dicens, *magnum virum esse oportere quem faceret Senatorem*. Est enim Senatoria dignitas culmen ceterarum digni-
85 tatum. *l. ius Senatorum C de dign.* Hinc *Dion. in Adriano*, difficile faciebat Senatores, vt, cum *Attutiū ex præf. c. prat.* faceret Senatorem, nihil amplius se habere, quod in eum conferre posset, ostenderit. Cogitare itaque debet, & qui nominant, & qui nominantur, hunc Magistratum omnium in Ciuitate, tota prouincia summorum Magistratuum esse præstantissimum, & à paucis Magistratus probari, &
86 eligi regium esse, vt ex *Salust. de repub. ordin.* Enitendum etiam eò magis erit ipsi Gubernatori, ceterisque alijs, vt officium secundum susceptam fidem (quod ab eis in nominatione per Rege exigitur) in-
87 tegre præstent, ne cogatur idem Rex cum Diocletiano (vt de eo tradit Vopiscus in Aureliano) dicere, *nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Colligunt se quatuor, vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt quid probandū sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. Facit Iudices, quos fieri non oportet, amouet à Repub. quos debet obtinere. Quid multa?* vt Diocletianus ipse dicebat, *bonus, cautus, optimus venditur Imperator*. Hæc Diocletiani verba sunt, quocirca inserui, vt prudentia sua sciret, nihil esse difficilius bono Principe. Hactenus Vopiscus, cui adstipulatur Capitol. in Gordiano iuniore his verbis. *Miser est Imperator, apud quem vera reticentur, qui cum ipse ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita, vel à pluribus robo-*
88 *rata confirmet*. Aut dicat cum alio. *Quid enim iuuat moderatum esse Gubernatorem, prauis vtentem remigibus?* Hæc facillime accidere in his prouinciis, quæ longissime absunt à suis Principibus, nulli dubium est. Notos enim illi, quos eligant, non habent, sed alienam fidem, à quibus quandoque decipiuntur, sequētes, clitellas bobus, vt in prouerbio est, aliquando imponunt. Ex quibus ea postea mala oriuntur, quibus nostra hæc hactenus ideo caruit, quia de integerrimorum virorum Consilio Potentissimus Rex, Duxque noster hæc munera conferre consueuit.

Possunt etiam illa in Gubernatore aliquando locum habere, qui de vita, & moribus candidatorum, 89
& potentium (quia ipse domi clausus est) non instructus, facile errare potest a falso suffragatore deceptus, nisi vsus fuerit illis cautelis, quibus Alex. Seuerus, vt apud Lamprid. sic enim ait: *De omnibus* 90
*hominibus per fideles homines suos semper quæsiuit, & per eos, quos nemo nescit, hoc agere: cum diceret, omnes præda corrumpi posse*. Et paullo post. *Et quia de publicis dispositionibus mentio contingit, vbi aliquos voluisset rectores prouinciis dare, vel præpositos facere procuratores, idest rationales ordinare, nomina eorum proponebat; hortans populum, vt si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam capitis*. Dicebatque graue esse, cum id Christiani, & Iudei facerent, in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, (vt habetur *in c. electio 1. q. 1.*) non fieri in prouinciarum Rectoribus, quibus & fortunę hominum committerentur, & capita. Supremi autem illi Consiliarii Regii digni quoque sunt excusatione, si nominationem iam factam de sibi non noto 91
homine sequantur, aut de antea noto, qui postea mores, vitam, voluntatemq; mutarit: aliquid enim tempori, locorumque distantiæ est proculdubio tribuendum. Senatores verò omni prorsus excusatione carent, si minus idoneum proponant; illis enim ex natura officij sui omnia ferè nota sunt *c. postquam* 92
*de elect.* multi etiam sunt, & ideo minus erraturi, secundum *Gemin. in c. cū in illis §. 1. col. 1. & col. fi. de prob. in 6. Alba cons. 183. n. 1.* Propterea omni cura, & diligentia vti debebunt in nominatione, & vt viri probatissimi, moribus splendidi, exploratæ scientiæ insignes, ac magis ad tale onus subeundum idonei proponantur, vti docent *Cur. Pisan. lib. 1. cap. 12. Iust. Lips in polit ad 3. lib. cap. 4. D Ambros. offic. cap. 8. 11. & 24. lib. 2.*, & alij grauissimi viri, inter quos Isocrat. ait: *Curandum esse, vt optimi honores accipiant. Plut. de tranquil. animæ ineptum vocat eum, qui ad rempublicam adsciscat eos, qui sibi ab ea temperare nequeāt, & non eos potius, qui gerendæ reipub. facultatem habeant, quique sint idonei. Eutrop. de M. Ant. Pio* sic ait: *Viros æquissimos ad ministrandam Rempub. quærens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans*, & *Theodorus Rex apud Cassiod. ep. 14.* inquit: 93
*Admittendum Reuerendo cœtui examinari debere sollicitè ob honorem Senatus*. Item *Constan. Imper. ad Verinum in l. omnes C. de his qui ven. at. impet.* His vtitur, testibus idoneis, aduocatis, morum suorum instituta, probitatemque animi, & testimonium vitæ honestioris edoceant. Quod antea Numam seruasse legimus, vt Plut. de eo in hunc modum scribit: *Interdum quoque, & ipse inspectans, & ex operibus ciuium mores coniectans, alios ad honores, & secreta consilia promouebat*. Idem quoque fecisse Seuerum testatur *Capitol. in Albino*, his verbis. *Denique eum COS. designauit (Albinum scilicet) quod vtique nisi de optimo viro non fecisset, homo in deligendis magistratibus diligens*. Hoc institutum seruandum esse per Principem

in perscrutandis moribus, scientia, & prudentia eorum, quos ad hunc sacrum ordinem est promoturus, docet *Osasch. in praem. decis. suarum sub n. 3. Plinius quoque in Panegyr.* dixit: *Quamuis tunc verissime vi-*
94 *deatur, meruerit quis honorem vel ne, cum eum adeptus est, nam Magistratus virum arguit. Prudenter tamen diiudicandi, & examinandi prius sunt ij, quibus honores commendantur*, & Tacitus tum *III. Annal. Cor-*
95 *nelius Dolabella* addidit, *ne quis vita probosus, & opertus infamia prouinciam sortiretur, idque Princeps diiudicaret, nam à legibus delicta puniri; quanto fore mitius in ipsos, melius in socios prouideri ne peccaretur*; *tum in Agricola, melius esse officijs, & administrationibus non peccaturos praeficere, quam damnare cùm peccarint. Turpius enim eijcitur, quam non admittitur hospes: meliusque est in tempore occurrere, quàm post exitum vindicare; ac iura sua intacta seruare, quàm post vulneratam causam remedium quaerere*; hoc enim prudentis proprium esse dixit *tex. in l. 1. C. quan. lib. se in seru. vind. & in l. fin. C de semp. in integr rest.* Quid plura? initia Senatus respiciant ij, quibus nominatio est demandata. *Zonaras enim lib. 2.* his verbis vtitur. *Romulus ex ijs, qui tum amplitudine generis, tum prudentia, tum etiam instituto vitae clariores essent, designauit consiliarios, eosque patricios nominauit: eorum autem conuentum Senatum appellauit. Cassiod. Ep. xiij. lib. III.* egregiè. *Quicquid*, inquit, *humani generis flos est, habere curiam decere: quia sicut arx decus est ciuium, ita illa ornamentum sit ceterorum ordinum*. Quibus consentit Nazarius, ita in panegyr. Constantini scribens. *Sensisti Roma te tandem arcem omnium gentium, & terrarum esse Reginam; cum ex omnibus prouincijs optimates viros curia sua pigneraueris, vt Senatus dignitas non nomine, quàm re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret*. Voluit etiã Agapetus diaconus in admonitorio ad Iustinianũ Imperatorẽ, *vt cũ Terrarum orbis à Deo concreditum sit Regnum, caueat Rex ne aliquo vtatur ex prauis ad rerum administrationes; quae enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddes Deo, quia peccandi facultatem ipsis indulseris*. Magna igitur & diligenti cum perscrutatione magistratuum promotiones fiant oportet.

## CAPVT VII.

*Nominationem quaminus aequam, vel suspectam reddant.*

PErmulta sunt, quae perfectae nominationi impedimento esse solent, & ea profectò tam ex
96 persona nominantium, quam petitoris. Siquidem suspitio, vtilitas, gratia, odium, affinitas suffragia, sors denique rectum, quod Cath Maiestas a suis cõsiliariis requirit iudicium, peruertere solent. Tacitus namque in Agricola voluit, non studiis priuatis, nec ex commendatione, aut ex precibus amicorum
97 legendum esse quemquam. *Plut. in Fabio Maximo* refert, eundem vehementer accusasse duces, qui ad gratiam, non pro meritis honores impartirentur. Docet *D. Gregor. in c. eslote 1. q. 1.* nec precibus, nec potentia conferenda esse officia, quia iudicare dignè nequeunt, qui odium, vel gratiam sequuntur. D. item Hieronymus ad Pommachium sic ait, *nec boni aduersariorũ si honestũ quid habuerint, detrahendũ,*
98 *nec amicorum laudanda vitia, & vnumquodq; non personarum, sed rerum pondere iudicandum esse. Facit l. nec quicquam §. obseruare ff. de off. procons. & leg. c. nulli in fine. & c. ecclesias 29. distinc. & l. sancimus C. ad l. Iuliam repet. in prin.* cum his, quae *Lucas de Penna tradit in l. 2. col. 2. de prox. sacr. scrin. lib. 12.* Quam 99
uis, crimina eorum, qui nominandi proponuntur, nonnunquam detegere liceat, vt doctissimè per Cardinalem Paleotum *de sacr. Consist consult. p. 2. q. 2.* Iterum *D. Gregor. in homel.* & moralibus, personam hominis accipere est hominem, non quia homo, sed propter aliquid, quod circa ipsum est honorare. *Et D. Hieronym. ad Fabian.* multa nos cogit facere affectus, dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis, & animae perdimus creatorem.

Suspecta est Iulii Caesaris solertia, qui, vt de eo testatur *Suet cap. xxiij.* consueuerat omnes magis- 100
tratus obligare, & è competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quàm qui sibi pepigissent. *Liuius idipsum 1 ab vrbe condita* docet in verbis, centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati, facti haud dubia regis in parte, cuius beneficio in curiam venerant.

Claudicat Ciceronis iudicium ad M. Brutum ep. 101
7. dum monet in demortui lo um, alium statim virum bonum, minusque de fauore vllo in partem nobis aduersam suspectam eligendum esse; hocque vt suae factionis hominum vires augendo, vis, ac libertatem aliorum deprimeret. Et tamen Senatores omnes, veluti concilii membra vnicum corpus constituunt, quod ideo vnius tantùm animo regendum est, ne si quas partes ab eo seiungas, vel seces; seiunctae languescant. & corrumpantur. Rursus vir quidem bonus, sed & inter bonos optimus, aliisque virtutibus praeditus, ad id munus necessariis est eligendus.

Damnandi etiam essent ij Senatores, qui aliorum 102
Senatorum domos peterent, singulorum captiuantes. mutuantesue sententias, aut suffragia pro amico, vel affine; nam ex Cicerone, Senatus dici non potest, in quo non sit omnium Senatorum libera, omnique vinculo soluta voluntas.

Nominatio illa non etiam legitima dici potest,
quae concilio publico facta non sit, quae non legiti- 103
mo numero, non seruatis seruandis, & in actis non redacta per *tex. in l. nominationes C de appell. Nouell. 123. cap. 1. & l. 2. C. de decur. lib. 10. cap quia propter de elect. & l. illa cuncta l. 3. ff. de decret. ab ord. fac.*

Non prece potentium vt supra num. 97 aut mi- 104
nis facienda est nominatio, vt egregie per *Gul. Bened. in C. Raynutius de testam. in verbis & vxorem nomine Andelasiam sub num. 88. & seq.*, & minus odio, quis arceri debet; Achilles enim apud Homerum ita ait Patroclo. Etenim ita natura comparatum est, vt prorsus indignè feramus, ac vehementissimè conturbemur, quoties quis hoc ipso, quod antecellit potestate, alium premio fraudare velit: praesertim parem genere, conditione, fama, virtute. Imitetur candidatus *Dion. Chrysostom. orat 45.* haec de se dicentem. *Nonne cum Senatores deligentur, alij quidem suos introduxerunt amicos, effeceruntque vt habeant fautores adiutoresque ad qua vellent. Ego autem horum nihil feci, neque collocutus sum, tale vt se mihi adiungerent, aut alteri alicui? Maximè enim volebam vt neque alius quispiam talem introduceret consuetudinem, neue respub. per factiones gereretur, neque eligentes distraherentur in partes.*

Adhaec etiam deseruiunt quae de liberalitate *Cic. de off. 1.* scribit in haec verba: *Liberalitate, & beneficentia* 105

*centia nihil est natura hominis accomodatius. Videndum est primum, ne obsit, vel illi, cui datur, vel alijs, sunt enim multi cupidi splendoris, & gloriæ, qui alijs eripiunt, quod alijs largiantur, & sic alijs nocent, vt alijs liberales existant &c. Senec. de benef. lib. 2.* sic quoque ait: *Sunt quædam nocua impetrantibus, quæ non dare, vel denegare beneficium est. Æstimamus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium &c.*

105 Præmissis autem omnibus occurrendum omnino erit per Præsidem, vt optime de hac re loquens scribit *Ian. Langlaus Semestr. lib. 7. cap. xi. pag. 412. & seq.* in hæc verba: *Sanè sicut regius cognitor sartam, ac tectam tueri Curiæ amplitudinem debet, & quam maxime possit eniti, ne indignus quisquam, quique inculpata vita non sit, in eam irrepat: ita similiter modis omnibus obsistere, ne cuipiam calumnia fiat. Non igitur clancularijs maleuolorum delationibus, aut potius insusurrationibus, qui publicæ vtilitatis obtentu, confictis criminationibus aduersariorum famam proscindentes, non aliud, quam priuatas simultates vlcisci cupiunt, aurem suã accommodabit. Nec etiam cartulas criminum iudices ab ignotis conscriptas, sibique traditas, quibus ad impediendam cuiusquam dignitatem vtatur, me iudice accipiet.* Siquidem hæ famosi magis libelli, quam accusatorii speciem habent: vt non abre dixerit *Fel. in c. inquisitionis de accus. post glos. Archidiac. & Dominic. in summa 5. q. 1.* nihil eas mouere iudicem debere, nec sic quidem, vt quæstionem de his habendam decernat. Quò fit, vt probare non possim procacia illa scripta ad impediendam Iani Bonuicini classis vnius inquisitoriæ ducis dignissimi cooptationem cognitori regio clanculum data, anno septuagesimo secundo supra sesquimillesimum, dum de illo allegendo in Senatum nostrum ageretur. Nemini enim dubium fuit, quin commentitia illa omnia essent, & ab inimicis Bonuicini virtuti, & gloriæ inuidentibus composita, vt idcirco laceranda, vel flãmis exurenda protinus fuerint. Famosa siquidem, vt est apud Constantinum Cæsarem in *l. famosa C. de fam. libell. Scriptio libellorum, quæ nomine accusatoris caret minime examinanda est, sed penitus abolenda. Nã qui accusatoris nomine confidat, libera potius intentione, quàm captiosa, atque occulta conscriptione, alterius debet vitam in iudicium vocare.* In quam propemodũ sententiam Constantius huius filius in *l. libellis eod. tit. Libellis*, inquit, *quos famosos vocant, si fieri possit abolendis inclitus pater noster prouidit, & huiusmodi libellos ne in cognitionem quidem suam, vel publicam iussit admitti. Non igitur vita cuiusquam, non dignitas concussa his machinis vacillabit, nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus. l. nemo prorsus eod. tit. de fam. libell.* Memini, cum huius quæstionis iacta sunt fundamenta, requisitum authorem, nec intelligi potuisse: Quod Iacobus Budæus cognitor Regius, ad quem huiusmodi scriptionum fasciculus peruenerat, diceret, se nominis illius oblitum, nec epistolam ad se de ea re scriptam adseruasse, quam mox vbi legisset, in trichnio forte repertam infantulus vix dum epteuis, vt fit, discerpserat. Ea quæstione tametsi Bonuicini famæ, & nomini nihil detractum sit; cooptationi tamen eius duorum circiter mensium mora allata est: quod sine tædio, reique suæ familiaris aliquo detrimento fieri non potuit. Id vero, qua ratione sarciri queat, non video; cum nec is, qui hoc sibi periculum crearit, sciat, nec vbi gentium degat, & si sciat, delationis, aut scriptionis fidem facere non possit. Vt sic in posterum si huiusmodi quicquam emergat cautius agẽdum putem. Nam & Regia constitutione 63. in cõstituentibus ordinum huius Regni Aureliæ habitis lata anno millesimo quingentesimo sexagesimo peracto, publico & capitali iudicio tam regii procognitores, quàm qui cognitoriam operam Regiæ clientelæ fiduciariis in imis subselliis præbent, denuntiatoris, & instigatoris nomen absoluto reo id postulanti edere coguntur, vt ei sumptuum, damnorumq; & vlteriorum accessionum nomine lege agere in eũ liceat, ad quem ea res pertineat? Quod quidem persanctè constitutum apparet, ne cuius priuatas inimicitias vlcisci volenti impune sit aduersario suo, quãuis insonti, & innoxio negotium facessere publici actoris nomine mutuato, & adumbrato. *l. non est ignorandum C. de admin. tut.* Nam & quid æquius, quàm ei, qui talem calumniam perpessus sit, susurronis, & instigatoris nomen edi, vt quodcunque dispendium ex hac causa sustinuerit, ille de proprio resarciat. *l. cum sæpe C. de erogat. milit. ruin. Aufred. decis. Tholos. 7.* Cum etiam dixerit Martianus *in l. 1. § fin. ff. ad Sen. Cons. Turpill.* in Turpilianum S. C. incidere, & qui accusatorem summitut, aut instigat, aut qui mandat alicui, & instruit eum ad accusationem capitalem dando probationes, allegando accusationes: & merito. Nam diffidendo crimini, quod mouet, & eximendo se periculo calumniæ, vel desertionis, merito calumniantis, & desistentis pœnæ subiici debuit; nisi subornatus accusator probauerit crimen, quod intendere suscepit. Nec interest, per se mandarit accusationem, an per alium. Quamuis hunc, qui hoc ministerio vsus est ad mandandum accusationem, non ex verbis, sed ex sententia S. C. puniri Papinianus responderit. *d. l. 1.* Sed an is, qui huiusmodi negotium clanculum exhibuerit, falsumque, & ementitum crimen (submisso cognitore regio) insonti cuiquam obtestauerit iisdem exactis, litis iacturam sustinebit? An vero nouo iudicio opus sit? & magis est, vt de ea re noua controuersia moueatur. Nam & non in absimili specie receptum est, tutorem, vel curatorem, qui pupilli, vel adolescentis nomine calumniosam litem instituerit, proprio quidem nomine condemnari oportere: ne sub prætextu eiusmodi nominis propter suas simultates, securè lites suas exercere posse existimet: Ita tamen, vt ea condemnatio iisdem exactis non proferatur, sed alia lis intendatur *Io. Faber dicta l. non est ignotum. Imbertus instit. forens. lib. 3. §. 1.* Hactenus Langlæus.

Quid vero de eo, qui non ex cartula, sed proprio ore falsum, & ementitum crimen impegerit ei, qui nominandus proponitur, vt tunc suffragiis ceterorum careat? Senatorum is sane grauiori aliqua pœna esset coercendus, & officio etiam exuendus,

## CAPVT VIII.

*Nominatio utrum suffragijs, tacitis, an vero apertis, aut sorte facienda.*

107 SVnt etiam perpendendi nominationum modi, qui tres mihi videntur, duo penitus contrarij, omnes vero periculosi, nimirum suffragia aperta, suffragia tacita, & sors. Siquidem *Plato existimauit de legib. Dialog. ix.* in apertis omnia salubriora esse: quod & *Cic. iij. de legib. vers. Proximum est his*, firmauit in hæc verba. *Ego in ista sum sententia, qua te*
108 *fuisse semper scio, nihil ut sit in suffragijs voce melius*; & paullo post. *Sic à me lex est recitata de suffragijs optimatibus nota. Plebi libere sunto; qua lex hanc sententiam continet, ut leges omnes tollat, qua tangunt omni ratione suffragium. Facile enim erat, corrumpi viros improbos in tacitis suffragijs. Pudore enim quodam*
109 *mala non pronuntiat &c.* secus secreto sequuntur. Præterea, ut idem Cic. subdit. *Vt omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quari in suffragijs, quid optimi viri sentiant.* Et rursus,
110 *suffragandi nimia libido in non bonis caussis eripienda fuit petentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus quid quisque sentiret tabella, vitiosum occultaret suffragium*; & alibi de amicitia, *videtis*, inquit, *in tabella iam ante, quanta sit facta labes. Primò, Gabinia lege, biennio autem post Cassia, videre iam videor P. R à Senatu disiunctum, multitudinisq; arbitrio res maximas agi.* & pro Rabirio. *Tabella est, qua dat facultatem, occultat & libidinem. In tabellis enim quisque scribens sententiam suam mittebat, ita ut alter alterius, & omnes omnium sententias ignorarent. Maior etiam pars*, ut ait Plin. Dec. iij. lib. ij. *vincere plerumque solet.*

Quanta in apertis suffragijs vis sit, dignoscere
111 licet ex his quæ *Plut. in Cæsare 14.* scribit, de coniuratione Catilinæ in hæc verba loquens. *Cæsarem cum perorasset, tantam præseferre dignitatem, ut non modo eos, quibus post se dicendum erat; verum etiam illos, qui ante dixerant, repudiantes priora, ad suam transtulerit sententiam, donec res ad Catonem, Catulumq; peruenit, quibus enixissime resistentibus &c.*

112 In tantis suffragijs liberiorem tamen agendi modum aperiri multi existimarunt, qui nec precibus, nec minis deflecti soleat, & inimicitiarum causas, & altercationes inter collegas tollat: cum constare non possit hunc, vel illum magis suffragia dedisse fauorabilia, quàm aduersa. Hinc leges illæ tabellarum vindices libertatis appellatæ à *Cicerone in orat. ij. de lege Agraria, & iij de legib.* At suffragia huiusmodi non probarunt alij. *Plin. enim Ep. xx. lib. 3.* sic ait. *Audiebat Senatus grauitate censoria, ita sapius digni, quàm vitiosi praualebant, qua nunc immodico fauore corrupta ad tacita suffragia, quasi ad remedium recurrerunt: quod interim planè remedium fuit; erat enim nouum & subitum: sed vereor ne procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur: est enim periculum, ne tacitis suffragijs impudentia irrepat. Nam quoto cuique eadem honestatis cura secretò, qua palam;*
113 *multi famam, conscientiam pauci verentur.* Rursus Ep ij lib. ij. *numerantur enim*, inquit, *sententia, non ponderantur, nec aliud in publico consilio fieri potest, in quo nihil est tam inequale, quàm aqualitas ipsa. Nam cum sit impar prudentia, par omnium ius est. Periculosa* 114
*ergo hac, ut diximus suffragia. Nec securior est sors ipsa.* Inquit enim Plut. in Coloten. *Consilia & factum Nestoris non facile probo, qui ex illis nouem principibus, cum deberet praestantiores deligere suo arbitratu, fortuna temeritati rem permisserit, sortesq; coniecerit in vrnam.* Clarissimo Dion de Augusto, ait enim, *quod cum ipse censeret ordinem Senatorum à Cæsare adeo auctum perpurgare, & pristino nitori restituere, & id praestare cœpisset. Cumq; P. & Cn. Lentulum Cos. præfectum morum in quinquennium Senatum legere instituisset, ne mouendis Senatoribus in odium incurreret, iurauisse, quibus plurimum confideret, delecturum. Atque ideo xxx. creauit, iussitq; ciuium nomina edere, quos maxime idoneos ad Senatoria munera obeunda ducerent. Ita ut ex his quinque sorte unus in Senatum cooptaretur. Si vero nomen alicuius, qui non adesset, primum exiret, res iterum reuocabatur ad sortem. Sed cum ita aliquot diebus res acta esset, reliquos ipse Augustus arbitratu suo legit propter fraudem. Et xxx. virum quorumdam, & Quaestorum, quibus tabellas tradiderat, quas nominibus inscriptis quinque illorum ciuium in vrnam conijcerent, ut deinde manibus pueri educerentur.* Mox Licinium Regulum, narrat Dion, grauiter conquestum esse de sortis iniustitia, qua se dignitate Senatoria spoliarit, eamq; filio suo, & quibusdam alijs nullo modo secum comparandis detulerit. Et enumeratis stipendijs, veste lacera, in curia, ut cicatrices ostenderet, corpus denudasse.

Scimus etiam sorte electos fuisse nonnullos alios, ut 1. *Regum* 10. & *Act.* 1. *Tacit. Annal. iij.* qui sic ait. *Variè habita, & sape mutata huius rei forma. Nam Augustus permisit Senatui deligere prafectos, dein ambitu suffragiorum suspecto, sortes ducebantur ex numero pratorum, qui praessent, neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos.* Iterum idem Tacit. iiij. 115
Histor. *Hinc inter Heluidium, & Eprium acre iurgium. Priscus eligi nominatim à Magistratibus iuratis. Marcellus vrnam postulabat, qua consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli studium proprium robur excitabat, ne alijs electis posthabitus crederetur. Paullatimque per altercationem ad continuas & infestas orationes prouecti sunt. Quarente Heluidio. Quid ita Marcellus iudicium Magistratuum pauesceret? esse illi pecuniam & eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeret. Sorte, & vrna mores non discerni: suffragia, & existimationem Senatus reperta, ut unusquisque vitam, famamq; penetrarent &c.* Et paullo post. *Marcellus Consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla, qua sortem legationibus posuissent, ne ambitioni, aut inimicitijs locus foret. Rursus decet legatos sorte lectos iuxta patrum morem.* Platonis est consilium de legib. dialogo vi. *tale, aqualitati sortis uti etiam necesse est ad multorum indignationem penitus euitandum. Qua in re Deum precibus inuocare oportet, ut sors ad id quod est iustissimum dirigatur. Sic igitur necessario vtrisque aqualitatibus uti debemus: sed in rebus admodum paucissimis, ea aqualitate, cui fortuna opus est.*

Senatus Mediolanensis suffragijs apertis vtitur, licet sciam eundem etiam aliquando ad tacita deuenisse. Aperta tamen liberiora sunt, ut supra.

Facta nominatione, vbi ipse electus consentire velit, non poterunt Electores iam electum præterire, & alium nominare. *c. cum inter vbi glos. verbo, & subscriptam de elect. l. nemo ff. de reg. iur. c. quia propter eod. tit. de elect. glos. in c. quanto 63. distinct.* vtuntur

tur enim Senatores in nominatione auctoritate sibi concessa à Reg. Mai. ergo variare non possunt. *Ang. cons 220. num. 5.*

Quæri insuper poterit, num S. Cath. M. præcipere possit Senatui, vt hunc vel illum nominet? Qua in re videas quæ scribit *Decian. resp. 18. lib. 4.*

## CAPVT IX.

*Nominationi indignum quæ vitia faciant.*

116 EXploratum illud est, omni vitio vacare debere, qui ad Senatoriam dignitatem ascensum petere vult. Verum cum fragilitati humanæ aliquid tribuendum sit, nec in nominatione ea seueritate vti oporteat, qua olim Censores vsos fuisse dignoscimus; non absurdum fore duximus ea primùm recensere, quæ aliquem indignum penitus nominatione reddere valeant, mox de alijs, quæ & bona, & mala esse possint differrere. Sunt enim actus alij indifferentes, alij differentes secundum Philosophum, nimirum qui sui natura omnino mali, alij vero, qui vt diximus & boni, & mali sunt.

Cornelius Dolabella apud Tacitum Annal. iij. eius sententiæ fuit, ne quis probosus, & opertus infamia prouinciam sortiretur; sic etiam Cicero pro

117 Cluentio, vt quia melius sit iam diximus, *supra num. 95.* officijs, & administrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare cum peccarint; qui autem turpi iudicio damnarentur, habetur *in iii. de his qui not. infam.*

118 Grauissima etiam in candidato crimina sunt auaritia, & mendacium à quocunque viro fugienda, potissimum consiliario, vt ait *Cic. ij. de offic.* cum ipsa auaritia sit quæ omnia venalia habere edoceat, fidem, & probitatem euertat, & omnium malorum radix sit, ex *Salust. in Catil. Iustiniano in auth. vt iud. sine quoquo suffrag. in prin.* his verbis. *Est quoque hac sacrorum eloquiorum mirabile, & verum: quod auaritia omnium sit mater malorum, maxime quando non priuatarum, sed iudicum inhaeret animabus.* Insatiabilis est ebrietas, omnis iniustitiæ fomes est, & crudeles facit eos, qui ei seruiunt, inquit *S. Chrysost. super Math. 28.* Hæc enim quamuis latenter oriatur in mente, patenter tamen punctiones peccatorum omnium producit in operatione, secundum *D. Gregor. in moral. scribit etiam D. Bernardus lib. 3. de consider. ad Eugen.* Tales quærendos esse ministros, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina puniant. *Ioannes Andrea scribit in c. quanto de iur.* Consiliarium Principis debere esse purum, vndique iustum, optimum, & contentum ijs, quæ sibi à Principe, vel a fisco dantur, alias repellendum, aliumq; eius loco subrogandum, vt *in d. auth. sine quoquo suffragio § hac enim. §. sic igitur, & §. Immo quoque.* Ergo si iam electus eijciendus est quantò melius erit si non proponatur vt eligi debeat, vt supra *Cicero pro Quintio.* Nullum est officium tam sanctum, atque solemne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat. Deam quandam describunt poetæ potentia maleficam, per humana acta debacchantem Atam nomine stygij Iouis filiarum maximam, humanis rebus exitum dirum inducens, & hæc est auaritia, quæ etiam Demosthenem fascinauit aureo calice accepto viginti talentis, cuius facinoris causa quinquaginta talentis multatus est. Plura de hac re per *Specul. de instrum. edit. §. 4 vers. idem cum. Tessaur. in præfat. decis. num. 29. D. Ambrosium ij. de off. cap. xxiv. sextus sunt in c. cum omnis auaritia 1. q. 1. glos. in c. idolatria in verbo auaritia 18. q. 1. alia glos. in verbo cupiditas in proem. Decret. & in c. auaritia de præb. multa per Mars. sing. 19. Io. à Plat. in l. vnica C. de superex. sub. lib. 10. Ian. Langlaus plenè Semestr. lib. 6. cap. 1. & 2.* Non est omittenda celebris *D. Augustini in lib. 3. de lib. arb. doctrina huiusmodi.* Auaritia dicitur non in solo argento, vnde nomen duxisse resonat, sed in omnibus rebus, quæ inconsideratè capiuntur intelligenda est. Vbicunque omnino plus vult quisque, quàm satis, hæc autem auaritia cupiditas est; cupiditas vero improba voluntas est, ergo propterea omnium malorum causa est. Propter auaritiam, inquit *Dion. Chrysost. orat. 17.* multi neque aures habent, neque intelligunt ea quæ dicuntur. Munera in munerib. publicis qui accipiunt, morte multantur apud *Plat. lib. de legib. xij.* quia hoc periculosum ciuibus, ignominiosum vero Magistratui secundum *Arist. Pol. cap. vij. extat. lex xij. tab. & in C. & ff.* Magistratus præmium est honos, vlterius aliquid qui appetit, Tyrannus fit: neque quisquam Reipub. consulet, qui compendij sui rationem habet. Inquit *Demosth. in orat. de repub. ordin* aut si iusiurandum suum pecunia vendit. *Gell. nest. Att lib. 20. cap. 1.*

Manus igitur mundas habeat qui creari Senator 119 vult, non solum ante iudicium sed etiam post, & à nemine nihil penitus accipiat. Habetur enim in sacro Euangelio. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Et Propheta ait. *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere.* Isaię 1. *Veh qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Psalmo 81. *Iudicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem iustificate.* Eccl. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum.* Hinc Plut. in Timoleonis & Æmilij comparatione sic ait. *Neque hoc dico, qui reprehendendum Timoleonem putem, quia domum, quia prædium à Siracusanis acceperit, haud enim accipere turpe est, sed non accipere melius.* Quo nomine commendatur ab Horatio Lollius *serm. 4. od. 9.* Et Victorinus Vrbis Romanæ sub Commodo præfectus, de quo scripsit Dion in Commodo, quod cum aliquando præesset Germaniæ, domi remotis arbitris legato suo persuadere conatus sit, ne se pecunia corrumpi sineret: cumq; ille non pareret, in tribunal conscendit, iurauitq; in eo nunquam se accepisse munera, neque quandiu viueret accepturum: mox præcepit illi, vt se eodem iureiurando obstringeret: cumque legatus peierare nollet; iussit vt se abdicaret Magistratu, Gratulatur Q. Fratri M. Cicero *Ep. lib. 1.* quod in Asia summo cum Imperio sic fuerit, vt nihil penitus acceperit, alios recenset *Langlaus Semestr. lib. 6. dicto cap. 1.* vbi de hoc copiose. Qui enim semel acceperit largitionibus iam corruptus dicitur, ex *Demosth. in orat. de fals. leg.* & aliqua per *Stobaeum huiusmodi serm. 55. Gell. lib 3. cap. 1.*

*Vix retinet gladium firmiter vncta manus.*

Propterea apud Nipasin Philosofantium sedem auaros a scientiæ studio arceri Indi statuere sapientes. Quod D. Paulus arctius insequitur, vetans cum auaro commercium, & cum illo sumere cibum *Corint. 1. c. iij. Iuuen. Satyr. iiij. Horat. Satyr. 1. Lucan. lib. 3. & 7.* ac alij plures hoc ipsum sequuntur. *Cassiod. quo-*

que

*quæ car. lib. 1. Ep. 4.* sic ait. *Quid nam fuit illi difficile custodire, qui se à rebus alienis decreueras abstinere.* Non ergo auarus sit candidatus, non acceptor munerum, non donorum auidus, si senator creari velit. Consiliarij namq; & alij, qui ius nominandi habent, non possunt auarum nominare ex consilio Moysi tradito. Prouide tibi de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus veritas sit, & qui oderint auaritiam.

Nigidius apud Gellium ait. *Vir bonus præstare debet ne mentiatur, prudens, ne mendacium dicat.* Absit
120 igitur mendacium à candidato, veritatem vero retineat, ex mox citato consilio Moysi tradito, & ex sententia *Plin. d. ep. 2. lib. 3.* de Arriano Maturo, plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia præstat; his addas quæ *Afflic. in d. rub. 45. num. 53.* sic etiam voluit *Rol. in cons. 12. num. 98. & 99. lib. 3.* inquiens. *Et vos Illustrissimi Principes, qui Principatus vestros à Deo habetis, quia omnis potestas à Deo data est, & qui estis debitores Iustitiæ: Si habetis aliquos consiliarios libenter accedentes Placentiam, vel Laudem, sed non Veronam, & qui iam iam vos exhortari videantur ad concedenda rescripta contra ius, & faciendum indebita, & iniusta, & ab omni libramine dissona; eos expellite à Curijs vestris tamquam lupos rapaces, canes rabidos, & viperas pestilentes: quoniam non vtuntur vero officio prudentum officialium, sed prauorum hominum studentium animas proprias, & vestras ad gehennam ducere, nam scripsum est, cum fatuis consilium non habeas.* Curent igitur Principes veri consiliarios ætate prouectos, nobiles, timentes Deum, prudentes, peritos in legibus, rectos, & iustitiæ deditos habere, qui remoto omni timore audeant ipsis dicere, quæ iustitia patitur; hæc Rol. Veritatem in Senatore necessariam esse *Tessaur. docet in d. præfat. num. 28. Dec. in l. 2. C. de eden. Neuiz. in Sylu. nup lib. 5. num. 112. cum sequentibus.* Idem tenuit *Plin. in Panegyr.* dum voluit tria requiri in consiliario fidem, libertatem, & veritatem, & in *Ep. xi. lib. ij.* inquiens, *Cornutus Tertullus consul designatus, vir egregius, & pro veritate firmissimus.* Item lib. 5. Ep. 5. de C. Iannio loquens. *Erat natura acutus, vsu exercitatus, veritate promptissimus.* Item ep. 1. lib 5. *non conuenire aliud palàm, aliud agere secreto,* cuius generis multa per Stobæum serm. 62. item serm. 59. & quatuor sequen. Ait quoque *Iustinus Philos. tantum posse Magistratus, fungentes, qui veritati gloriam anteponunt, quantum in solitudine latrones.*

Isocrates ad Democritum sic nos docet. De re-
121 bus suis consulturus aliquem, vide primum quo pacto res suas administrauerit. Qui enim rebus suis malè prospicit nunquam benè consulet in alienis; & nulli cupidius alienis inhiant, quam qui sua sine iudicio per summam licentiam luxumq; dissipant.

Arcebantur olim etiam proscriptorum filij, nec
122 non qui quæstum turpem, & sordidum exercuerant. Sic Cicero in Verrinis Claudium Pulchrum Prætorem ex S. C. Halesinis de S. C. cooptando conscripsit.

123 Iacobus Rænardus *lib. var. v. cap. vij.* explicans carmina Persij satyr. iiij.

*——— viso si palles improbe nummo.*
*Si facis in penem quicquid tibi venit amarum.*
*Si Puteal multa cautus vibice flagellas,*
*Ne quicquam bibulas populo donaueris aures;*

inquit, sensus est, frustra candidatus te populo commendas si auarus es (vt etiam voluit in terminis *Afflic. in constit. rub. 45. sub num. 52. vers. septimo requiritur*) si adulter es, si periurus es. Necquicquam populo donaueris aures bibulas, hoc est, qui tui commendationem sic possint imbibere, vt eius in comitijs velit populus meminisse; alia *Dion. lib. 52.* De periuro, & quibus pœnis coerceatur scripsimus nos *pract. 9. cap. 11.* Cato L. Quintium Flaminium Senatu eiecit, ob turpitudinem pro Lucio adolescente.

Arcendos etiam censemus litibus voluntariè deditos, siquidem credibile erit, eos collitigantium 124
causas grauiores efficere cum dignitatis summum gradum assequuti fuerint, non etiam eos moueri ad partes litigantes componendum, prout tenentur vt infra *glos. 6. cap. 9. num 136.* interest enim nostra litibus non vexari, ait *tex. in l. minoribus xxv. annis ff. de minor.* & refert *Specul. tit. de homicid. §. illud autem,* sequiturq; *Corn. cons. 283. col. pen. & fin. lib. 4.* Inquit etiam D. August. in quodam sermone suo, nil ita simile esse actibus dæmonum, quam litigare; & huic simile multa cumulat *Bernard. de Bustis in 1. par. Rosarij sermone 9. Hinc D. Paulus ad Timoth. c. 2.* voluit seruos Dei non oportere litigare, pro quo est *tex. in c. sicut 2. q. 7.* litigantes enim mali appellantur, ex quo viri boni lites execrantur ait *tex in l item §. 2. de alien. iud. mut. caus. fac.* comprobant *Ias. in l. filio pater num. 1. ff. de leg. 1. & Corn. in cons. 283. col. pen. lib. 4.* & dicitur *Prouerb. xvi.* homo peruersus suscitat lites. *Item cap. xvij.* semper iurgia quærit malus. Qui meditatur discordias, diligit rixas; huiusmodi litigiosos fugiendos esse tanquam pestem admonet *tex. in c. negotiatorem 87. dist.* cum alijs adductis per *And. Sic. in cons. 32. lib. 4.* Timore quoque litis & eius execrationem cautum est, ne Imperator hæres in testamento fiat, ita *tex. in l. pen. ff. de her. instit.* Non improbatur autem vir bonus & iustus, qui ex causa lites prosequitur, vt dicunt *Bal. in c. 1. in fine per illum tex. vt lit. pen. & in l. fin. col. 3. C. de adit. Diui Adrian. tollen. & Oldr. cons. 183.*

Superbus quoque indignus erit nominatione;
siquidem scriptum sit, Tarquinium execratione postrema hoc damnatum esse maledicto: cum enim hominem libidine præcipitem, auaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocauerunt superbum, & putauerunt sufficere conuitium. 125

Vino deditos arcendos esse dixerim, ferunt enim Inuictissimum Carolum V. Imperatorem, cum centurionem quendam inter prandium sobrium vidisset, mox a prandio ebrium, dixisse se vehementer odisse hominem, qui dum sitiat paruis cyathis, cum sitim restrinxerit, vti proculis maximis consueuisset notabatq; hominum ebriosorum peruersitatem, quod medium satietatis, quem natura nouit, ignoraret. Significabat enim prudentissimus Imperator vinolentorum hominum operam, non modo inutilem sibi esse, sed infœlicem quoque.

Qui de aliquo crimine accusatur, nominari non 126
debet accusatione ipsa pendente, secundum *l. reus ff. de mun. & hon. tex. & rub. in l. vnic. C. de reis postul. lib. 10.*

Item *Constitut. nostra infra tit. de iur. & priuil fisci. c. nullus,* vult, vt nullus stipendiatus a Principe vectigalia conducere possit, quod ad filios, fratres, generos, ascendentes, & descendentes eorum extendit, sub pœna confiscationis bonorum, & indignationis Principis, ergo fortius debitores admitti non 127
debent pro Senatoribus, Scribit enim *Vlpian in l. rescrip-*

*rescripto §. debitores ff de muner. & hon.* Debitores rerum publicarum ad honores inuitari non posse, nisi prius reipub plenè satisfecerint. Sic etiam Imperat. Antoninus in *l. 1. C. de debit. ciuit. lib.* 10. Atq; Callistratus conductores Vectigalium fisci municipalia iura subire non posse: seque vltrò ad ea offerentes a Præside, vel procuratore Cæsaris prohiberi. *l. semper §. conductores ff. de iure immunit.* Hac etiam ratione apud Venetos, vt *P. Bembus hist. Venet. lib.* 5. testatur, fisci debitoribus antiqua lege Magistratus nullos mandari posse, constitutum est; quod antiquius apud Athenienses decretum fuisse, ostendit *Demosth. in orat. apud Androtionem*; & *Pausanias in Atticis lib.* 1. Istud extendendum esse de iure ad patrem, vel filios, ac alios de quibus in ea *Constit. nostra de iur. & priu. fisci*, multis probat *Langlaus Semestr. lib. 7. cap. 11. pag.* 297.

128 Qui prius de præcedenti à se gesto officio rationem non reddiderit, nominandus non est: reddit autem rationem, si liberationem sui sindicatus exhibuerit, secundum *Bar. in l. 1. C. vt omn. iud. tam ciuil. Catald. de sind. q. 96. Auil. in c. prætorum 4. vers. iustitia num.* 14.

Diximus infra, improbo viro Magistratum committere perinde periculosum esse, sicuti insanienti gladium.

129 Ignarus quoque, & Imperitus non est in summum hunc Senatoris gradum cooptandus, vt pariter infra scripsimus; neque ij, quos vt aduertit *Plut. in Polit.* omnem comparandarum diuitiarum sollicitudinem adhibere comperimus, admittendi erunt; & ij minus, qui bona amicorum subripere, negare credita, clientes prodere, falso testimonium dicere consueuerunt, huiusmodi inquit *Plut.* futurus erit consiliarius perfidus, iudex irreligiosus, ac omnino in omnibus malus.

Non etiam sæuis, aut natura pauidis nimis essent conferendi summi dignitatis gradus. Si enim omnia obstinate agunt, nec flecti vnquam possunt; ij vero omnium admittunt petitiones, neque contradicere sciunt, immodicus pudor iudices auertit à iustitia, & in consultatione sedentibus obturat os, multaq; cogit tum facere, tum dicere inconsulte, vti docuit *id. Plut. in lib. de vitiosa verecundia.*

130 Si qui de rebus dubijs iudicaturi sunt, teste *Salust. in coniur. Catil.* ab ira, & odio vacui esse debent; non erit ergo nominandus, qui cum multis simultates, & inimicitias habeat, etiam si cum Senatore. Vix enim fieri poterit, vt non aliquo modo auctoritate, & potentia sua aduersus offensos sibi non vtatur. Iulianus Imperator, vt est apud Marcellinum *lib.* 23. in causa Thalasij inimici sui ideo iudex sedere noluit, antequam cum eo redijsset in gratiam. *Euseb.* vt est apud *Stob. serm. 44. de Magistratu*, sic non obscure est locutus. Magistratum gerens, ne reminiscaris inimicitiarum, & dissentionum, si quæ tibi prius cum aliquibus intercesserunt: non enim ad Magistratum euectus es, vt te ipsum vlciscereris; verum vt imperio tuo subditos, etiam ab aliorum insidijs securos, atque tutos custodires: & vt custos esses recti, & magnæ Deæ Iustitiæ minister, ac interpres. *Rursum.* Inter inimicos iudex constitutus, ius examina, & sententiam ad eius momentum inclina; iustitia enim, & præfectus ei, genius, digniores sunt, maiorisq; haberi verentur, quam vt inimicitiæ gratificeris. *Et iterum.* Si constitutus in Magistratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorem conditionem te ipsum das, & grauitate, & sanctitate, quæ requiritur in iudice, te ipsum priuabis apud conscios tibi: quod inimicitiæ indulgens, & pro sanctissimis nominibus, & pro iudice inquam, ac Magistratu causam agentium, hostis eorum turpissimo nomine appellandus sit. Quæ sanè rectissima, sanctissimaq; consilia vtrum amplexurus sit, vel non nominandus cum ignoremus; rectius erit hunc præterire. Scripsimus etiam infra, quosdam ad Magistratus vocatos, non prius eos assequutos fuisse, quam cum collega in gratiam redierint; vt est scriptum apud *Liu. lib. vij. Dec. iij. de M. Liuio: & Q. Fabio Maximo.*

Hosce si quis deligat, nouam portenti speciem, de qua *Ammian. Marcell. lib. xviij. cap. ij.* apparuisse dicemus, talem. In oppido Pistoriensi propè horam diei tertiam spectantibus multis asinus tribunali ascenso rugiens audiebatur, destinatius rugiens. In eligendis autem ad Magistratus dignioribus maximum esse in tenendo principatu, summæq; in omnibus rebus prudentiæ testatur *Xiphilin. in Macrino.*

Quibus autem ex causis Censores aliquem Senatu mouerint, reperies infra hic *glos. 6. cap. 32. num. 272. & seq. alijs*; & plenius hac *glos. cap. 15. num. 181. & sequent.*

## CAPVT X.

*Ætas legitima in Senatore quæ.*

AGgrediamur nunc reliqua, quæ petitoris personam respiciunt. Et primò animaduertendum est, vt is, qui ad Senatoriam dignitatem acciri debet, virili, & integra sit ætate, quæ plurimum decoris, grauitatis, & auctoritatis Senatorio muneri adiungere solet, quam sane ætatem in Ioue Olimpio, quo augustior esset eius forma, Phidias mirificè expressisse dicitur: prout etiam ethymologia ipsa vocabuli, & Senatoris appellatio, quam supra *cap.* 3. interpretati sumus, atq; viri proprietas hoc ipsum manifestissimè probare videtur ex *Virgil. in Bucoli.* 131

*Hinc vbi te firmata virum iam fecerit ætas.*

Quæ in homine quinta est, & virilis dicitur, vt multis ostendit *Gram. decis. 34. num. 4. & 5.* & huiusmodi officijs admodum apta, ex *Liu. lib.* 4. vbi docet: *eos tantum, qui annum quintum, & quadragesimum compleuissent, in numero Senatorum delectos fuisse.* Idem habetur ex Dion. in Traiano, hæc de eo dicente, *secundum, & quadragesimum annum agebat, in qua ætate ei omnia suppetebant, vt neque per iuuentutem stultè, ac temerè aggrederetur, neque item per Senectutem languescente corpore segnis, ac timidus à magnis rebus retardaretur.* Iterum Dion. in Adriano, *nec Tribunum, nisi plena barba, aut eius ætatis, quæ prudentia, & armis tribunatus implere et facere voluit*; tradit etiam Tacit. 4. annal. *Tiberium in Senatu oratione monuisse, ne quis mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret eandem ætatem.* Id autem egregiè indicat idem Tacitus exemplo Bruttidij de quo Annal. iij. sic inquit. *Bruttidium artibus honestis copiosum, etsi rectum iter peregeret ad summa quaque iturum festinatio extimulabat, dum æquales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes antetre parat. Quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spretis, quæ tarda cum*

*secu-*

*securitate, prematura, vel cum exitio properant*. Pro senibus tenet *Afflic. rub. 45. n. 55*. Rursus Tacitus xi. Annal. *Iisdem diebus in numerum patriciorum asciuit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant*, probat Arist. ij. Reth. cum aliis relatis per *Maiorag. de Senatu Romano cap. 4*. Idque ea ratione, quam tradit *Lucret. lib. iij.* his verbis.

*Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas,*
*Consilium quoque maius, & auctior est animi vis.*

& habetur in *l. fi. C. de his qui ven. ætat. impetrauer. in l. cum filio §. fi. ff. de leg. ij. & instit. de legit. agnat. tut. in prin.* prudentiam cum ætate haberi. Aliam addamus rationem, quæ in grauitate consistit, & quæ
132 ex ætate nanciscitur, ex *notat. per Bald. in l. exemplo C. de prob.* necesse est enim, vt Senator in omnibus causis quasi pater consulat, & nihil ab eo immaturum, nihil properum, nihil asperum emergat, vt Tacitus Imperator dixit, à quo quidem (teste Vopisco in ipsius Taciti vita) nulla vnquam neque grauior, neque prudentior in eo sacrario dicta sententia est. Hinc *D. Menoch. de arb. iud. lib. 2. cent. 6. casu 40.* in fine dixit, *nostro in Senatu Mediolanensi, quod sciam, nullus est creatus Senator, qui non expleuerit xxx. annũ. Et quamquam liberum sit Reg. Maiestati arbitrium cuiusuis ætatis creare Senatorem*; attamen, si quòd sentio, licet dicere, huius sum sententiæ, vt non nisi annos quadraginta natus creari debeat Senator, cum verè soleant homines hac ætate esse prudentes; quemadmodum egregiè testatur *Dionis. Halycarnass. lib. ij. antiq. Rom.* dùm de Numa Pompilio Romanorum Rege creato ita scribit. *Id consilium vbi placuit, elegerunt Numam Pompilium Pomponij viri apud Sabinos Illustrioris filium quadragenarium, quæ ætas est prudentissima, & dignitate forma planè regia*. Et paulo post idem D. Menoch. *Est etiam hæc ætas apta satis perferre laborem, qui non mediocris est in munere Senatorio*. Hinc etiam Tacit. 1. annal. de Agrippa loquens dixit, *non ætate, neque rerum experientia tantæ moli parem, Tiberium verò Neronem maturum annis*. Et Cagnol. *in ep. de vita & regim. boni prin. sub num 155. Principi Sabaudiæ dicta, docet Senatorem ætate prouectum creandum esse*. Et quamuis habeatur in sacris litteris, in antiquis sapientia, & in multo tempore prudentia, volueritque Lycurg. ex illis tantùm senioribus; qui sexagesimum annum transegissent, deligendos esse; non tamen debent esse senio confecti, & ad munus ipsum obeundum non apti, ex D. Hier. sententia ad nepot. his verbis: *Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt*
133 *cæteræ virtutes. Sed ij tantùm sunt adscribendi, in quibus licet iuniores, sit senectus venerabilis, & cana prudentia, cùm etiam presbiter dicatur senior, licèt non ætate grauis c. 1. xxi. distinct.* Multa per dictum *Auil. in c. prætorum glos. accordada à num. 16. vsque ad finem*, legimus etiam in Vopisco de Probo, quandoque non ætatis, sed prudentiæ habitam fuisse rationem; nam adducit tum Valerianum sic de Probo dicentem:
134 *Sed ego in te non expecto ætatem, cum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas*; tũ Gallenum hæc proferentẽ; *habeo tamen Aurelium Probum, quo laborante possum esse securus, inter cætera felix esset nostra respub., si qualis Carus est, aut plerique vestrum plures haberem in actibus collocatos*. Inquit etiam *Petrus Crin. in ep. ad Theobaldum militem*: *Multos videmus iuniorum super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deest ætati virtutibus compensare: quia iuxta Apostolum, ne quis contemnat adolescentiam bonæ indolis*. Senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum comparata. *Cicero in Catone Maiore. Non cani*, inquit, *non rugæ repentè auctoritatem adferunt: sed rectè acta ætas auctoritatis fructus præbet extremos*. Et *Ammian. Marcell.* probat eum qui virtute senior quàm ætate inquiens: *Ridiculum quippe est, ex annorum numero quenquam æstimari*; vt non iniuria stomachari videatur *Horatius* in illum

*Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis.*

Atque ideo non mirum videri debet, si legamus Senatoriam dignitatem fuisse concessam iis, qui vigesimum tantum annum excessissent. Apud *D. Menoch. d. casu 540. num. 11.* vbi ostendit Ant. Tessaur. æt. suæ annorum xxiij. in Senatorum numero cooptatum fuisse, prout ipse in initio suarum decision. *num. 25.* testatur. In Francia ætas Senatoria est tantummodo annorum xxv. vt per Ian. Langlæum *semestr. lib. 7. cap. 10.* qui de hoc copiosè; eadem etiam in Senatu Veneto locum obtinet. Quamuis mihi persuaderi non possim ea immatura ætate reperiri posse homines doctrina, & forensium negotiorum peritia pellentes. Si enim, vt inquit Iustinian. in *constit. de iud. Nouell. 82.* forensium rerum peritiam non habeant, sed aliunde emendicent rectè iudicandi formulam, qui in Senatorium ordine alleguntur: quomodo non maximam ea res labem reipub. non inferat? si disceptandarum litium potestas non eis tradatur, qui per se scient quid facto opus sit, sed cogantur ab aliis sciscitari, & perdiscere, quæ in iudicando eos proloqui oporteat. Arguit Maynerius *decis. Tholos. 76.* morem illum iam apud Francos relatum, & magis quod soleat Rex veniam ætatis in anticipando Senatorio ordine concedere, & inter cetera illud refert.

*Nam malè conscripti tractant decreta Senatus,*
*Qui nondum primas deseruere nuces.*

Et paulo post. Constitutio enim requirit, vt destinati ad huiusmodi prouisiones anno ætatis decimo quinto, aut decimo sexto gradum petere, & deinde statim in numerum aduocatorum parlamenti recipi debeant. Hinc itaque fit, vt postquam iuramentũ, & reliqua solemnia præstiterunt, quadriennium instar eorum, qui celeribus equis vtuntur, maturè absoluant, & deinde incontinenti per supplicem libellum eo nomine exhibitum solitas prouisiones impetrent. Qui postea recepti, tanta mala pariunt, vt nisi Deus prouiderit, atque curiæ nostræ modum clementer largiatur, quo pristinam suam auctoritatem recuperet, extrema pernities, & ruina instare videatur. Illud etiam temporis nostri iniuria fit, vt patres marsupia aureis plena habentes, regia officia filiis maturè comparent, eaque ratione multis ad dignitates portæ aperiantur, quibus aliis præclusæ erant: haudque fiat, vt abesse aliquid profanum possit a iudiciariis mentibus: ita vt pro Principi sub quodam sacerdotio seruiatur, quemadmodum Rex Theodorus apud Cassiod. expetebat *var. lib. 1. Ep. 12.* Hactenus Maynardus.

Denique hi senes non sunt eligendi, qui ad onus sustinendum non sunt idonei, vt optimè per Tessaur. *in præfat. decis. num. 25. D. Menoch. d. casu 540. in fine, & Senec. loco de quo infra cap. xi. num. 121. & Dion. in Traiano vt supra n. 94.*, vt sunt quibus vix deseruiunt oculi, qui curuati, & animata sepulchra videntur. Illud etiam non est hoc loco omittendum, quod si certa ætas a lege Senatorum munus inire volenti

esset

esset præfinita, annus cœptus pro completo, & perfecto habebitur, dicente *Vlpiano in l. ad rempub. §. 1. ff de mun. & hon.* Hoc enim in honoribus fauoris causa constitutum est, vt pro plenis inchoatos accipiamus. Spectata ergo virtus huiusmodi legibus subiecta non est, canique honoris infulis adultam cingere dignus est cæsariem, quisquis meritorum laude ætatis præiudicia superauit; inquit, *Cassiod. var. lib. 3. ep. 3.*

## CAPVT XI.

*Vxorem qui habet, esse ad Senatoriam dignitatem Regiæ Maiestati proponendum.*

135 SI vir eligendus est, vt vxorem habeat necesse est, sic enim importat verbum hoc vir ex *Virg. ij. Æneid.*

——— *Matresque, virosque*

Et apud Comicos mi vir, idest mi marito, non enim alienas curabit vxores, aut mulieres alias, vt *Tacit. xij. Annal. in prin.* scribit, *quæ ad se per speciem necessitudinis crebro ventilando quem polliciat, admittet.* Hinc ex Cicer. & Lamprid. cap. sequen. in fine, *dabantur Præsidibus, qui vxores non haberent, concubinæ.* Melius vero Præclarus illorum temporum Gallicanus, orator in Panegyr. Constantini continentiam probans his vtitur. *Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonij legibus tradidisti, vt primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres? nouum iam tum miraculum iuuenis vxorius, sed vt res est mente præsaga omnibus te verecundia obseruationibus imbuebat, talem postea ducturus vxorem.* Probat etiam *Halicarnass. lib. ij.* eos tantum Senatores creari consueuisse, qui filios haberent. Et *Plut. in Lycurg. 32.* ostendit eos, qui vxorem ducere noluissent; ignominia notatos, à gymnicis ludis, & à spectaculo eiectos, atque vt nudi per hyemem in forum circumirent damnatos. De lege marita, quæ de maritandis ordinibus lata erat, & quæ & Iulia dicta est, meminit Horat. in cantu seculari

——— *patrumque*
*Prosperes decreta semper iugandis*
*Feminis, prolisque noua feraci*
*Lege marita.*

Et *Dion. lib. 56. in Cæsare Aug. Tacit. 3. annal.* vbi plenissimè *Marcellus Donatis, Suet. cap. 34.* Qui enim vxores habent, curis domesticis non distinguuntur, sed in publicam vtilitatem magis incumbunt; vnde bona vxor apud Euripidem sic maritum alloquitur suum.

*Quin tu foris, quæ sunt agas negotia,*
*Curas ego tractauero domesticas,*
*Et quid puellis competat nubentibus,*
*Hoc est mearum pensitare partium.*

Dion de Plotina vxore Traiani, sic ait. *Hæc Traiano rerum potito, cum primum palatium est ingressa, è gradibus 101. ad populum conuersa. Talis, inquit hunc ingredior, qualis exire opto. Tam modestè, tam sanctè in summa potestate se gessit, vt de illa nemo iure conqueri potuerit. Et Herodianus adducit Seuerum dicentem, vxorem dedisse Bassiano, cum per matrimonium reddere eum moderatum vellet.* De hac re extitit, *lex Papia Poppæia dicta anno vrbis 1242. seno iam Augusto, post Iulias rogationes à Papio Mutilo, & Q. Poppæo secundo Cons. lata*, teste *Isidoro lib. 5.* & de hac meminit *lex capite ff. de ritu nupt. & l. ille autem ff de hered. institu. iunctis legib. alijs d. tit. de ritu nup. & tit. ad l. Iul. Papiam, ac l. 17 ff. de sponsa. latè Lips. in comment. ad Tacit. ann. 3. pag. 142. & sequen.* Nec dicatur ex *Tacito iij. annalium*, corruptos sæpe prauitatibus vxorum maritos, quoniam idem subdit, viri in eo culpam, si fœmina modum excedat. Quinimmo idem *Tacit. 12. annal.* talia profert. *Grauissimos Principis labores egere adminiculis, vt domestica cura vacuus in commune consulat, quod porrò honestius censoriam mentis leuamen, quàm assumere coniugem prosperis, dubijsq; sociam? cui cogitationes intimas, cui paruos liberos tradat &c.* Idem in Agricola. *Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit; idq; matrimonium ad maiora nitenti, decus, ac robur fuit, vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, & inuicem se anteponendo, nisi quod in bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpa est. Hanc autem culpam quæ viri officium tangat subire viri tenentur.* Tacit 4. annal. *Messalinus Cotta censuit cauendum Senatusconsulto, vt quamquam insontes Magistratus, & culpa aliena nescij prouincialibus vxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.* Et *Vlpian. in l. obseruare de off. procons.* sic ait. *Proficisci quidem Proconsulem melius est sine vxore, sed & cum vxore potest, dummodo sciat Senatum Cotta, & Messalla Coss.* (hanc lectionem veriorem existimo ea, de qua supra apud Tacit.) *censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, & vindicta exigatur.* Vir eligendus est, per ea quæ notat *Callistr. in l. obseruandum ff. de off. præs.* & scribit Plut. in hunc modum. *Potentiam, diuitias, Magistratum accipere, est quasi humeros tollere, quod vel mulieres, vel pueri possunt: at magnam potestatis prouinciam suscipere, & administrare, nec succumbere, nec opprimi pondere, & magnitudine rerum; id demum viri est virtute, prudentia, & intelligentia præditi.*

136 137

CA-

## CAPVT XII.

*Paupertas an obesse possit, ne quis ad Senatores gradum ascendat.*

138 AD quæstionem hanc ducit me *tex. in l. rescripto ff. de mun. & hon.*, cuius hæc sunt verba. *Rescripto diuorum fratrum ad Rutilium Luppum ita declaratur. Constitutio, qua cautum est, prout quisque Decurio creatus est, vt ita & Magistratum adipiscatur, toties seruari debet, quoties idonens, & sufficientes omnes contingit. Ceterum si ita quidam tenues, & exhausti sunt, vt non modo publicis hominibus pares non sint, sed & vix de suo victum sustinere possint; & minus vtile, & nequaquam honestum est, talibus mandari Magistratum: præsertim cum sint, qui conuenienter ei & sua fortuna, & splendori publico possint creari. Sciant igitur locupletiores non debere se hoc prætextu legis vti: & de tempore, quo quisque ad curiam allectus sit, inter eos demum esse quærendum, qui pro substantia sua capiant honoris dignitatem.* Hæc *Vlpian* ad idem est *tex. in l. Ad subeunda C. de decurienib* qui etsi loquantur de Decurione, tamen ad Senatores quoque referri poterit, ne vt Iob. vi. & Prouerb. xxvij. *Anima esuriens etiam amarum per dulci sumat*; & Esaiæ 3. *Mendicus sum & pauper, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum: nolite me contemnere principem populi. Hi enim quæstum pietatem putant, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ. c. accusatores, vel testes 3. q. 5. in fine.* Et Ecclef. 10. & 17. *Væ sub regimine principum morum constitutis, propter inopiam namque multi delinquerunt; & iustitiam deseruerunt. c habebas in fine 12. q. 1.* Hinc *Policrat. lib. 5. c. 9.* nihil perniciosius est iniquo Principis consiliario.

139 Reprobat propterea de Ephoris apud Lacedæmonios constitutum Philosophus Polit. ij. quod multoties ad hunc Magistratum, qui maximus est, contingat pauperes ascendere, mox propter egestatem venales futuros, quod in Andris gesto probat exemplo. Vnde non inconsultò eorum tentauit euersionem Pausanias. Sic prouidet Imperator *in auth. de defens. ciuit.* ne viri obscuri, quibus non esset victus, & vita sufficiens, defensores in posterum eligerentur, quia sub quadam excusatione peccare creditur, cui necessaria non præbentur, inquit *Cassiod. var. lib. 9. Ep. xiij.* in paupertate sordescit, inquit *tex. in l. quisquis C. ad l. Iuliam maiest.* Et quis propter paupertatem deponitur. *c. si qui testium de testibus*; & præsumitur cupidus à vero citius deuiare. *47. distin. in prin. auth. de iud. §. his qui causis*, secundum *Ecclesiast. cap. 9.* sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita. Impossibile ait *Arist. Eth. 1.* indigentem operari bona. Duo enim sunt, secundum *Cicer. Reth. lib. iv.* quæ possunt ad turpe compendium commouere, inopia, & auaritia; de qua rè plura Aristophanes in Pluto. *Iuuenalis Satyra vi. Claudian. in raptu.* Paupertas, inquit *Seneca ep.*

140 115. maledicto probroq; est, contempta diuitibus, inuisa pauperibus. Hinc, vt credo, legimus Senatores ex censu allectos fuisse ex *Seneca Declam. ij. Arnob. lib. vi. contra gentes. Plin. lib. xxxiij. cap. ij.* & eos tantum, quibus octingentorum millium, hoc est scutorum aureorum xxiv. millibus, census esset, vt per *Sueton. in Augusto cap. xi.* dum ait, *censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies H. S. taxauit, suppleuitq; non habentibus: idq; honoris, & dignitatis causa factum.* Idem etiam firmat Dion. lib. liv. *Et Senatoribus census Equestri censu fuit duplo maior, cum eques nemo esse posset, nisi cuius res quadringentis millibus æstimaretur.* De quo Horat.

*Si quadringentis sex septem millia desunt,*
*Plebs eris.*

Et Cicero Ep. ad Dolabellam. Res ei familiaris vix equestris est; cuius quidem census ratio adeo habita fuit; vt si quis aut Senator, aut eques, non fortunæ culpa, sed suo vitio ita rem imminuisset, vt ad legitimum censum non perueniret; Senator à summo loco deiectus, in equestrem ordinem decidebat: si equestri familia, aut patricia, aut plebeia natus esset, in familia non equestri in plebeium, hoc est eum, qui infra Senatorium, & equestrem erat. Item eques equestri censu diminuto, equestrem ordinem amittebat, & ad plebeium, hoc est infimum, descendebat: ita vt & bonis moribus, & rei familiari ciues Romani operam æque dare cogebantur: moribus, vt Senatorio loco digni iudicarentur: rei familiari, ne quo virtus aditum aperiebat, inde ob inopiam excluderentur. Hæc ex Dion lib. xl. & Cicerone pluribus in locis potissimum in Epist. ad Q. Orcam. *C. Curtius habet in Volaterrano possessionem; hoc autem tempore Cæsar eum in Senatum legit, quem ordinem ille, ista possessione amissa vix tueri potest.* Ouid. lib. iij. de arte.

*Curia pauperibus clausa est, dat census honores,*

Et in 1. Fast.

*In precio precium nunc est, dat census honores,*
*Census amicitias, pauper vbique iacet.*

Flau. Vopiscus in Aureliano: *Factum est enim*, inquit, *vt iam diuitiarum sit, non hominum consulatus: quia vtique si virtutibus debetur, editerem spoliare non debent. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt.* Olim etiam, Solon, vt refert Aristoteles *lib. ij Polit. cap. xij.* Magistratus ex censu errabat. Scribit etiam *Tacit. ij. Annal. & xij. Laudatos fuisse oratione Principum eos, qui ob angustias familiares ordini Senatorio sponte cederent; motosq; qui remouendo impudentiam paupertati adijcerent.* Iterum idem *Tacit. xiv. Annal. Marcellus Asinio Pollione proauo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem præcipuum malorum credebat.* Hinc rectè Satyr. Poeta.

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi.*

In cuius rei testimonium eruditissimus Alciatus noster, sic inquit.

*Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas:*
*Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus:*
*Ingenio poteram superas volitare per auras;*
*Me nisi paupertas inuida deprimeret.*

Interest etiam reipub. si ipsa per ditiores, non autem per pauperes regatur. *l. honores ff. de decur. d. auth de defens. ciuit. lib. 1. & auth. vt iud. sine quoquo suffrag. §. cogitatio.* Honor enim, & decus per diuitias conseruatur, teste *S. Augustino lib. de ciuit. Dei.* Hoc ipsum voluit *Alber. in auth. præsules C. de ep. aud.* relatus à *Mar. Laud. de official. dominorum q. 38.* inquiens, *Magistratus debere esse sapientes, nobiliores, ditiores, timentes Deum.* Citatq; *l. ad subeunda C. de decur.* idem etiam *Luc. de Penna in d. l. ad subeunda de decur. lib. 10.* Rationem reddit Chrysippus, quia pecunia vix pauper nemo bonus est, aut honore dignus; 141

gnus; veluti impossibile arbitrabatur Aristoteles, eum qui egestate premeretur, rectè, sincereq; Magistratum gerere, aut quietem optare. *Latin.* etiam *Pacat. in Panegyr. ad Theodos. x.* sic ait: *Detrahit laudem patientia inopia: maioris exempli est labor sine necessitate.*

Si nos autem altius intendentes initia repetamus,
142 quis non videt, imperia, & Magistratus aratro terram findentibus dalatos fuisse? idque tunc, cum plus virtutis, quàm diuitiarum ratio haberetur. Siquidem pauperrimi Græcorum optimi fuerunt ex *Æliano de var. hist.* & alijs Aristides, Phocion, Epa-
143 minondas, Pelopides, Lamachus, Socrates, Ephialtes, Diogenes, Lysander Spartanus, Eteocles, Laertes. Scribit enim *Plut. in Aristide in prin.* dixisse quosdam, Aristidem ita egregiè inopem fuisse, vt in summa tenuitate vixerit, & vita functus duas filias reliquerit, quæ multis annis nubiles egestatis causa sine maritis fuerunt. In Nicia vero *id. Plut.* 47. de Lamacho hæc ait. *Paupertate vero eo vsque insignis; vt quoties illum Atheniensis populus Imperatorem crearet, aliquantulum pecunia ad pallium, & crepidas comparandas decerni opus esset.* Epaminondas quoque, teste Æliano *lib. de var. hist. v.* vnam tantùm habebat vestem, quam si forte fulloni purgandam dedisset, domi se continebat. Et tamen, aurum sibi à Persarum Rege missum, recusauit. Nota sunt etiam illa Propertij.

*Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,*
*Pellitos habuit, rustica corda patres,*
*Buccina cogebat priscos ad verba Quirites*
*Centum illi in prato sæpe Senatus erat.*

Aliud non dissimile scribit Apuleius in Apologia lib. 1. *Si quæcunque in aliqua laude miramur, cum paupertas ab incunabulis intricata est. Paupertas autem prisca ad secula omnium ciuitatum conditrix, omnium artiū Imperatrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes rationes perfuncta.* Eadem enim est paupertas apud Græcos, in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminunda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Eadem paupertas etiam Pop. Rom. Imperium à primordio fundauit, proque eo in hodiernum Dii immortalibus simpulo, & catino fictili sacrificat. Quid si modo iudices de causa ista sederent C. Fabritius, C. Scipio Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam: Si Publicola regum exactor, & Agrippa populi reconciliator, quorum funus ob tenues opes à populo Romano collatis sextantibus adornatum est: Si Atilius Regulus, cuius agellus ob similem penuriam publica pecunia cultus est. Si denique omnes illæ veteres prosapiæ Consulares, & Censoriæ, & Triūphales breui vsura lucis ad iudicium istud remissæ audirent &c. Docet quoque *Dion Chrysost. orat.* 7. Paupertatem plurimas ad honestè viuendum occasiones præbere. *Plin.* ergo *lib. xiiij.* propositam difficultatem agnoscens dixit, *Reges innumeri honore artium colebantur, & in ostentatione has proferebant, opem, & immortalitatem, per illas sibi prorogari arbitrantes. Quare abundabant & præmia, & opera vitæ. Posteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, postquā Senator censu legi cœptus, iudex fieri censu, magistratum, ducemque nil magis exornare, quam census: postquam cœpere opes in authoritate summa, & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo; pessum iere vita pretia, omnesque à maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere.*

Quæ cum ita sint, certissimum erit paupertatem ex se malam non esse, quod optime probat *Apul. de* 144
*dogm. Plat.* postquam docuit, diuitias bona dici non oportere, subdit. *Nam qui tenuis est, si modificetur in sumptibus, nullam noxam ex eo sentiet: & qui rectè paupertate sua vtitur, non solum nihil capiet incommodi; verum ad toleranda cætera melior, atque præstantior fiet. Si igitur nec habere pauperiem, neque eam regere rationi contrarium est. Paupertas per se malum non est.* D. Ambros. idem scribit in Hexamer. & habetur 15. q. 1. c. illa. *Cæterum paupertatem, & ignobilitatem, ægritudinem, & mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauerit. Quia necessaria ista in bonis habentur maximis, quorum nobis alia ex natura, alia ex commoditate accidere videntur.* Paupertas sanè nō habet crimen, nullaque indigentiæ infamia est, teste *eod. D. Ambrosio lib. de Tob. cap.* 21. Vnde Martian. Imper. *Nouella* 4. *de matr. Senat. Absit vt hoc nefas,* inquit, *illis putemus temporibus, vt credatur cuiquam dedecori esse data paupertas, cum sæpe plurimis multum parauerint gloria opes modicæ, & continentia fuerit testimonium census angustior.* Et Quintil. declam. 300. *Non sum quidem,* ait, *locuples sum inops censu, sed integer, sine crimine, sine fabula.* Itaque apud Amm. Marcellinum *lib. xxiij. Quidam Imperator,* ait, *si non pudere cuncta bona in animi cultu ponentem, honestam profiteri paupertatem.* Propterea animaduertendum 145
esse existimo ad paupertatem ipsam: eius enim duæ sunt species, altera animi, altera fortunæ: fortunæ mederi licet, dando, inueniendo, operando; animo autem non ita; huius diuisionis authorem citat *Stob. serm.* 136. Dicas melius ex *Plut. in Aristide* 70. paupertatem duplicem esse, alteram, quæ obuiam vltro nolentibus venit, alteram vero, quæ petentibus se 146
offert: nempe primam inuoluntariam, secundam vero voluntariam. Illa dedecori est ijs, qui sunt pauperes, ac semper malis est admixta moribus, & actibus; hæc autem magistra morum est, sanitatis mater, & iis, qui eam generose ferunt, honor est, eosque beatos facit; iuxta illud Euangelij: *Beati pauperes spiritu.* Hac distinctione paupertatis coactæ, & voluntariæ vsus est. *S. Thom. contra gentiles lib.* 2. 147
*c.* 134. Optime *S. Ambros. de Cain & Abel*: *Esto pauper spiritu, & eris diues qualicunque censu. Quia non in abundantia diuitiarum vita est hominis, sed in virtute & fide. Istæ te diuitiæ verum diuitem faciunt, si sis in Deum diues.* *Plut. de cupiditate diuit. in prin.* hoc apertius firmat inquiens. *At non emitur nummis animus liber omni molestia suaque contentus sorte. Diuitem esse non est diuitias contemnere, nec immodicas opes possidere, sed non egere de superuacaneis.* Romani paupertatem in non parum habendo, sed in multum concupiendo positam esse crediderunt teste *Zonar. Annal. tom.* 2. *Pauper certe sunt, qui nihil habent, & si plura habeant, nihil illis satis, Valer. lib.* 6. *c.* 4. *D. August. super Psal.* 76. *Omnis Philosophia magistra nobis est inopia.* Seneca ep. 17. *Multis ad philosophandum obstitere diuitiæ, paupertas autem expedita est, secura est. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis, si animo vacare vis.* & Ep. 20 *Redige te ad parua, ex quibus cadere non possis. Inest paupertati (sine qua nihil est iucundum) securitas.* Iuxta illud

*Angusta capitur tutior mensa cibus.*

vel aliud Lucani *lib.* 4. *Phars.*

*——— O prodigia rerum*
*Luxuries nunquam paruo contenta paratu,*

*Et quæsitorum pelage, terraq; ciborum*
*Ambitiosa fames, & lauta gloria mensæ;*
*Discite quam paruo liceat producere vitam,*
*Et quantum natura petat.*

148 Alia ex Epicuro, teste Seneca Ep. ij. desumi potest paupertatis diuisio, vt altera sit læta paupertas, altera coacta. Sic enim ait. *Honesta res est læta paupertas; illa vero non est paupertas, si læta est: qui cum paupertate bene conuenit, diues est: non qui parum habet, sed qui plus cupit, diues est.* Halycarnass. autem lib. 10. de Quintio loquens, aliam ostendit paupertatem iustam, aliam iniustam.

Quoties igitur agamus de eo, cui voluntaria sit
149 paupertas, & læta, cui paupertas iniusta, & immunda non sit (vt ait *Senec. de quat. virt.*) nec parsimonia sordida, nec pudenda inopia, vt per *Tacit. Annal ij.* nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida; etsi res illi exiguæ sint, non sint tamen angustæ, vt nec sua defleat, nec aliena miretur ex *Seneca Ep. 1. in fine.* item *Ep. 17. dicendum erit, hunc admittendum inter eos esse, qui nominandi sunt, si sapientia, & vsu rerum par. Non enim diuitiarum copia quem facit magis idoneum. Et satis est, vt is mediocri fortuna vtatur.* Necessarijs vt fruatur necesse erit, secundum Philosoph. x. eth. *Non enim per se sufficiens natura speculari, sed & oportet, & corpus sanum esse, & cibum, & reliquum famulatum existere.* Facit. *c. si quis obijecerit. 1. q. 1.* Huic ergo proficiet. Salom. sententia in Prou. 30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam. Quis est dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Cicero optimè in somnio Scipionis. *Ex meo tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit, vter igitur est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cuius possessio quò est maior, eò plus requirant ad se tuendam, an quæ suis se viribus sustinet.* (Non tamen talis sit, vt *Dion. lib. 52.* scribit, qui corbes, & storeas aliquando gestauerit.) Tantum enim abest, vt paupertas huiusmodi impedimento esse possit; vt Plin. Traiano scribens eam potissimam dixerit causam, qua Accio Surræ Prætura decerneretur. Sic enim ait. *Admoneo, & impensè rogo, vt Accium Surram prætura exornare digneris, cum locus vacet, ad quam spem alioqui quietissimum, & natalium splendor, & summa integritas in paupertate.* Consultus etiam Mœcenas Augusto dixit, *Senatorem neminem bonum paupertatis causa remouebis.* Plato in Menexeno voluit, in tribuendis reipub. muneribus, vnius maxime virtutis, non census, cæterarumq; rerum externarum rationem habendam, quod & *lib. de Repub. viij.* firmauit, & *Arist. lib. vij. cap. vij. & ix. Polit.* sequitur. Scribit Plut. in Crasso
150 v. eum dicere solitum. *Nemo Romanorum sit, qui parum se possidere arbitretur, cum tantum habeat soli, quod ad victum præbendum abundè sufficiat;* cum etiam ex sententia Aristophanis is pauper non sit, qui parcè viuit intentus operi, & cui nec quicquam superest, nec deest. Et *Dion. Chrysost. orat. 17. diuitias mediocres magnam afferre vtilitatem, summas vero damna & incommoda;* cum etiam, iuxta dictum vetustissimi Poetæ,

*Mala paupertas ingenium non infirmat bonum.*

Omnia sanè habet, qui nihil concupiscit, vt ait *Valer. lib. 4. cap. 4.* & Plato voluit, non cumulandam pecuniam, sed minuendam cupiditatem, vt quis diues dici possit. *Cic. idem in Paradox. cap. 2. num. 7. & c. vltimo in fine;* firmat, inquiens, *Improbi autem & auari, quoniam incertas, atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum est quisquã adhuc inuentus est cui quod haberet esset satis: non modo non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi.* Sic quoque Democritus, dicebat enim, pecuniarum cupiditas nisi terminetur aliqua satietate, longè deterior est extrema paupertate. Congruit Solom. Prouer. xxiij. *Noli,* inquit, *laborare, vt diteris, sed prudentiæ suæ pone modum, ne erigas oculos tuos ad diuitias, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ. & volabunt; alter nihil habet, alter est nihil satis:* Videndus est *Dialog. p. 4. Io. Matienz. cap. 13.* vbi pulchre de hac re differit. *Natura enim, vt ego arbitror, necessaria in primis docet; quæ si non desint, sed benignitate fortunæ supersint, tum natura prouidentia veluti per æmulationem rursus excitantur ad ea diligenda, quæ sensibus magis blandiantur. Quorum vbi satietas cœperit, ad superuacanea deflectit per ambages atque illecebras, varietatem & compositiones multiplices machinatur, & præstigias quasdam arcana voluptatis consectatus, ne luxuriæ continuatio grauis & molesta fiat. Prudens autem semper solis necessarijs contentus, cætera veluti superflua aspernatur.*

Non negarim tamen dandum esse locum liberali-
tati P. Regis, atque leuandam esse paupertatem eo- 151
rum hominum, qui diu reipub. viuentis pauperes sunt, & nullorum magis, vt ait *Vopiscus in Aureliano, & Dion. de Adriano,* eos, quos pauperes vidit sponte ditauit, & *Capitol. in M. Ant. philos.* Multis Senatoribus vel pauperibus sine crimine dignitates tribunitias, ædilitiasq; concessit, nec quemquam in ordinem legit, nisi quem ipse sciisset. Videndus est *tex. in l. per hanc §. sexcentis C. de aduoc. diuers. iud. & in auth. de har. & falcid. §. fin. col.* & audiendus Salomon *Prouer. 8.* dicens; *In vijs iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Addamus verba Lamprid. in Alexandro Seuero. *Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adiuuit, dicens, & fures à republica pellendos, ac pauperandos; & integros esse redimendos, atque ditandos.* Tacit. quoque 1. annal. ait de Tiberio loquens. *Propertio Celeri prætorio veniam ordinis ob paupertatem petenti decies sestertium largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse,* & 2. annal. *Census quorundam Senatorum iuuit.* Et paullo post de alijs verba faciens, inquit. *Cæterum vt honestam innocentium paupertatem leuauit, ita prodigos, & ob flagitia egentes mouit Senatu, aut sponte cedere passus est.* Idem & 3. annal. *Sed nobilis familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sextertijs, quibus Messalla paupertatem innoxiam sustentaret, Aurelioq; Cottæ, & Haterio Antonio annuam pecuniam statuit Princeps;* & Suet. cap. 10. *Senatorum nobilissimo cuique annua salaria, & quibusdam quingena constituit.*

Idq; potissimum cùm ipse Rex ad instar Alexandri 152
Seueri honorem iuris gladij, & nusquam vendi passus sit, ne, vt idem Alex. dicebat, *qui emit vendere cogatur. Ego non patiar venditores potestatum, quos si patiar, damnare non possim, erubesco enim damnare illum hominem, qui emit, & vendit.* Hoc ipsum fecisse Nigrum Vulcatius his verbis tradit. *Addidit præterea consiliarijs salaria, ne eos grauarent, quibus assidebant, dicens, iudicem nec dare debere, nec accipere.* De Constante sic ait Sex. Victor. *Quæ profecto maiora forent, si prouinciarum rectores, non precio, sed iudicio*

*praeexistisset*. Nam authore Tacito Histor. 1. *Nemo vnquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit*. Plura tradit id genus *Guliel. Bened. in c. Raynutius de testam.* in verbo *duas habens filias num.* 51. & *plur. seq.* potissimum, damnosum admodum esse officia vendere; omnium tamen praecipuus locus est apud *Iustin. in auth. vt ind. sine quoque suffrag.* in quo omnia damna recensentur, quae ex officiorum venditione proueniunt; alia Zosimus de Thedos.

Illud etiam addendum erit, quod ad leuandam
153 paupertatem, & suspitionem omnem, vt Cicero docet, & testatur *Lamprid. in vita Alex.* Iudicibus tribuebatur argentum, & necessaria, ita vt Praesides prouinciarum acciperent argenti vicena pondo, fialas senas, mulas binas, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos, & si vxores non haberent concubinas singulas, quod sine his esse non possent: reddituri deposita administratione mulos, mulas, equos, muliones, & coers: cetera sibi habituri, si benè egerent: in quadruplum reddituri si malè. *Cic. in Verrina VI.* Videte (inquit) maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur, verum ea, quae in paruis fieri poterant, prouidebant: nemine qui in potestate, aut legatione in prouinciam esset profecturus tam amentem fore putarunt; vt emeret argentum, dabatur enim de publico, vt vestem, praebebatur etiam legibus. Alia etiam in *Verrina VII.* Cedrenus haec de Basilio scribit Imperat. Ceterum Basilius principio sui imperii magistratus commisit ijs, qui a capiendis muneribus perhiberentur quam maxime alieni; & quos testatum esset manus omnis capturae puras habere. Deinde operam dedit, vt iustitia vigeret, & aequo iure inter se viuerent subditi, neq; a diuitibus inopes opprimerentur: propositis passim decretis, quibus iniustitia exterminabatur. Iudices quoque constituit, amplisque stipendiis, & honoribus auxit, iussos per diem sedere pro tribunali, & litigantium causas diiudicare, & ad eam rem loca iis designauit commoda. Niceta autem *Annal. de Imperio Andronici Comneni lib.* 11. sic ait. Cum magistratus in prouincias ablegabat, larga eis stipendia dabat, simulque denuntiabat, quas poenas sua iussa negligentibus irrogaturus esset. Neque enim publica munera vendebat, aut leui munusculo conciliatus conferebat, sed gratuito, habitoque delectu magistratus ordinabat. Et paullo post. In praetoriis magistratibus reficiendis viros praestantes, & Senatorii ordinis optimos delegit, & amplissimis muneribus donatos ablegauit, vt beneficiis tantis ornati minus graues essent ciuitatibus, & defendendis, ac subleuandis pauperibus semper intenti. Quibus cum abunde suppeteret, vnde viuerent (nam quadragenas octogenas argenti minas secum ferebant) tanquam sacrilegio ij abstinebant etiam ijs, quae vltro afferrebantur.

Quae vero ad rem nostram egregie facere videntur explicat Sinesij locus in *lib. ad Arcad. Imp. de Regno bene administrando*, qui talis est. Rex omnia illa per se ipsum reget, quae in ditione illius, eos vero, qui solio suo vicini sunt, quique principem locum inter omnes alios tenent, regia animi institutione eo loco constituet, quo prosint aliis pro modo potestatis sibi attributae. Atque hac ratione cura hominum longius procedet, cum plurium manibus tractabitur. Sed tamen nihilominus, necesse erit, cum iam amplum imperium sit, vt praesides ad eos mittat, qui longè distant. Deinde summa cum diligentia legendi, & aestimandi erunt illi, qui iudiciis praesidentur. Haec etenim est diuina quaedam, & multiplex prouidentia. Cuncta loca, & omnes homines, ac singulas controuersias velle cognoscere magnae est circumcursationis, magnae difficultatis, cui ne Dionysius ille quidem satisfacere potuit, quàuis vni insulae, neque ei toti imperaret. At paucorum procuratorū opera multorū curā habere possumus. Hanc appellarunt Deo conuenientem, & generalem quandam tutelam, quam in sublimi permanentem, atque ad minimas etiam res respicientem, ne minimae quidem res fugiunt. Hoc genere tutelae vtens Deus, non ipse apud nos subtiliter efficit singula, sed natura, veluti manu quadam, vtitur, in sede sua ipse permanens, & est fons, atque auctor omnium prorsus bonorum, quippe cum ipse sit causa causarum; atque hac ratione Imperatori reipub. procuratio prosequenda est. Distribuat igitur principatum praesidibus, quam fieri potest iustissimis, & optimis. Longè enim facilius cognoscet paucos, quam multos, & citius paucorum delicta, aut benefacta animaduertet. Ex optimis itaque, non ex his quibus ampla res est, vt nunc fit, legantur ij, quibus magistratus mandentur; nam nec iis medicis committimus corpus, qui diuitiis affluunt, sed illis, qui artis suae peritissimi habentur; hac sane ratione multo magis is, qui magistratum geret, legendus est, non locuples, sed gubernandi peritus; siquidem per eum plura vel mediocris, vel deterioris status aleam subire debent. Quid enim, si quis ex eo, quod vir nequam esset, opes congessit, dignum ne est, amabò, huic magistratum committere? an potius homini pauperi? illi quidem, sed probo tamen & iusto, quem ideo quod iustus est, pauperem esse non pudeat? ille enim, qui opibus circumfluit, magistratu pecunia comparato, nesciet profecto iustitiam colere, atque ius suum vnicuique tribuere. Nam qui magistratum emit, hunc meo iudicio, in iniustitiam odium capiet, nec is pecuniam pro nihilo ducet, sed ius pretio potius, quam aequitate describet. Non enim credibile est, hunc toruis oculis aurum intuiturum; verum illud reuerebitur, ac amplectetur, vt cui accepium referat, quod parte diuitiarum impensa rempublicam comparauerit, & quod, vt res aliae solent, ita ciuitatum gubernationem mercede conduxerit. Videt enim se opera diuitiarum in Magistratum venisse, videt se suspici, cum ab alia multitudine, tum etiam ab omnibus iustis, & egentibus. Tu autem fac efficias, vt virtus in admiratione omnium sit, ac plurimi fiat, quamuis homo pauper ea sit praeditus. Non te latent vllius viri prudentia, iustitia, ac ceterae omnes animi virtutes, etiam si vili tegatur veste, sed in medium producito hunc, & mandes virtutem vti publicet suam, quam non decet in obscuro esse, sed in luce, & splendore. Non enim te praeterire debet, in praesentia quidem illos praedicaturum, at qui ad omnem immortalitatem praedicetur, eum te fore, quia beati regni specimen posteris praebueris. Quod si ita feceris, propediem cernes fore, vt nonnullos earum diuitiarum, quas tanto cum labore quaesierunt, pudeat, nonnullos vero voluntaria paupertate gloriari, atque ideo in contrarium opiniones de diuitiis recident, quod parasse diuitias probro, paupertati vero studuisse, laudi sit futurum. Nam cum multa admiranda, & prae-

clara

clara Deus Imperatoriæ Maiestati tribuerit, tum nihil est, quod magis suspiciendum esse putem, quam quod illa in animis populi tantam vim habeat. Imperator enim facile mutat opinionem moris, quamuis diuturna consuetudine, & vsu confirmata sit, quoties apparet contrariis eum rebus honorem tribuere, atque eas plurimi facere; nam eas res, quibus Imperator gaudet, necesse est statim augescere, multorumque studiis coli. Hactenus Sinesius.

Aliud *Dionys. Alycarnass. lib. 3.* prædictis non dissimile tradit, in hæc verba. Apud nos magistratus ac honores deferuntur non ditissimis, non his, qui longiorem maiorum indigenarum possunt ostendere seriem, sed dignissimis. Diuites enim sunt, non solum qui maiores saculos habent, sed qui moribus, atque scientia, & disciplina diuites sunt. *c. ex multis. 1. q. 3.* item idonei non tam patrimonio, quam fide extimantur *l. si quis stipulatus fuerit in fine ff. de verb. oblig. iuncto §. fin. instit. de suspect. tut.*

## CAPVT XIII.

*Infirmitas corporis an obesse debeat, ne quis fiat Senator.*

155 INfirmitatem obesse non posse, quin aliquis in ceteris habilis nominetur, ostendit *Plut. locus in Camillo 71. 72. & 73.* talis. *Camillus cum iam maturus aui esset, & quodammodo inuidiam, & odium sua felicitati extimesceret, sextò tribunatum militarem renuit. Sed manifestissima erat excusatio corporis mala valetudo: illis enim diebus in morbum inciderat; nec minus tamen ei magistratum populus prabuit exclamans, quamquam non equitaret, nec arma ferret; tamen in bello esset, terrori hostibus.* Et paulo infra. *Camillus Romam rediens, multaque spolia referens declarauit, prudentissimos esse eos, qui neque imbecillitatem corporis, neque senectutem pertimescerent: sed vel inuitum, vel agrotantem potius, quàm floridos atate iuuenes, & magistratum summis viribus ambientes, principem belli deligerent eum, qui imperator, & audacia, & peritia rei militaris clarus esset;* hæc Plut. quæ optime firmantur ex sententia Philisci in colloquio cum Cicerone facto apud *Dion.*

156 *lib. 38.* quæ talis est, *longe faciliorem esse rationem curandi, vt animo rectè valeamus, quam vt corpore. Corpus enim, vt ex carne compactum, multis per se incommodis obuium est, multo autem maiori auxilio indiget: contra animus, cuius diuinior est natura, minori opera componi, institiuque potest.*

157 Deinde referenda sunt Plin. verba in *ep. 26 lib 7.* *Nuper me cuiusdam amici languor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum, aut auaritia, aut libido sollicitat? Non amoribus seruit, non adpetit honores, opes negligit, at quantulumcunque relicturus satis habet: tunc Deos: hominem esse se meminit, inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur.* Et paulo post. *Balnea imaginatur, & fontes. Hæc summa curarum, summa votorum, mollemque in posterum &c.*

Iterum Plin. *ep. 15 lib. 6.* sic ait, *est omnino Priscus dubia sanitatis: interest tamen officijs, adhibetur consilijs, atque etiam ius ciuile publicè respondet.*

Postremo dicimus multa, quæ natura impedita sunt, consilio posse expediri, vt ait *Liu. lib. 4.* infirmitas autem, quæ non ex mente, non poterit esse 158
impedimento consilio, quinimo & mentem, & ingenium hæc acuit, ex *Plin. d. ep. 26.* & habetur in *l. sanum mente C. de transact. iuncta l. Senium C. de test.* alia plura per *Odd. Sfort. de restit. in integrum q. xi à num. 12. vsque ad num. 44.* & plenissime per *Thom. Actium in trac. de infirmitate, Virtus etiam in infirmitate perficitur &c.*

Contra vero adducitur primò *Luciani locus in apolog. pro lapsu inter salut.* talis. *Nunc autem, & mane, & meridie, & noctu quoque salute, ac sanitate semper opus est, & maxime Principibus vobis qui multis occupati negotijs estis, eoque ad plura corpore integro, ac sano necesse habetis.*

Secundò, *ep. Seneca xxx ad Lucilium* his verbis: *Bassum Aufidium virum optimum, vidi quassum atati obluctantem. Sed iam plus illum degrauat, quam quod* 159
*possit attolli. Magno senectus, & vniuerso pondere incubuit. Scis illum semper infirmi corporis, & exsucci fuisse: diu illud continuit, & vt verius dicam, concinnauit; subito deficit. Quemadmodum in naue, qua sentinam trahit, vni rima, aut alteri obsistitur: vbi plurimis locis laxari cœpit, & cedere, succurri non potest vehiculo dehiscenti; ita in senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri, & fulciri: vbi tamquam in putri adificio omnis iunctura dilabitur, & dum alia excipitur, alia descinditur, circumspiciendum est quomodo exeas.* Hæc Seneca. Vnde si infirmitas excusat alias habiles, eo magis hos arcere debet. *arg. l. inter artifices ff. de solut.* cum aliis cumulatis per dictum Actium *cap. 23. par. 1.*

Tertiò, Consiliarii adinuenti sunt, vt animo, & corpore reipub necessitatibus inseruiant, potissimũ consilio, consilium autem, & corpore, & animo versatur, per *tex. in auth. habita C. ne fil. pro patre vers. quis eorum.* Ideo, cum ex infirmitate corpus, & animum impediatur secundum Gallenum, & ex nostris 160
*Corn. in cons. 254. n. 4 lib. 4.* dicendum erit, sanos tantùm esse nominandos. Corpus enim ex infirmitate redditur inhabile ad rem peragendam. *l. morbus ff. de verb. signif. l. 4. § fi. & l. fi. § 1. ff de adil. edict.* Atque ideo firmauit Labeo *in l. pen. ff. de rei vind.* propter morbum operas serui inutiles, & *l. C. in l. si non sortem §. libertum ff. de oper. libert.* dixit, non esse easdem operas infirmi, & sani hominis. Prætor etiam pollicetur se excusaturum eum, qui in eam valetudinem incidit, vt certum sit ciuilia officia subire non posse. *l. pen. ff de vacat. mun tot. tit. qui morbo se excus. lib. 11.*

Quarto, propter morbum Iudices ab officio re- 161
mouentur. *l. si quis iudices C. de off. prafec. prat. ori.* si modo longus non sit, & modico tempore duraturus, vt ibi per scribentes, & in *c. si pro debilitate de off. deleg. in l. 1. ff. de off eius, & in l. si longius ff. de iud D. Menoch. de prasumpt. lib. 2. num. 13. & 18. prasumpt. 86.* Prædictis addi potest illud *Tacit. lib. 1. histor. Hordeonium Flaccum spretum fuisse senecta, & debilitate pedum inualidum sine constantia, sine auctoritate. Et aliud Galba Imperatoris, & Nerua, qui ob senectam contempti fuerunt P. R. Quod vt prasentis Nerua, Traianum viribus, & integra atate filium sibi adoptauit. Quare si iam electi remouentur, ergo non admittendi, quia, Turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.* Hinc *Abb. in c. cum inter canonicos notab. 4. de elect.* dixit, *infirmum, quem morbus administrare impedit, minimè ad dignitates eligendum,* idem repetit *in c. presbiterum notab. 1. de cler. agrot.*

Sed

Sed huic argumento obstat *c. ex parte de cler. agr.* vbi dicitur Episcopum non valentem propter morbum pastorale officium exercere, ad cessionem cogendum non esse, sed eius miseriæ miserendum facit *c. qualiter. & quando de accus. & c. per tuas de simon.* & tradit *Paris. de sind. vers. Rex concessit num. 3.* officialem infirmum salarium obtinere, ad *l. si quos iudices respondit Mascard. de proba. conclus 592. nu. 13.* habere locum in iudice ad tempus, propter laborem dato, secus in officiali perpetuo propter dignitatem, vt sunt Senatores, quorum adhuc nemo propter infirmitatem fuit remotus.

Corporis sanitas ab aliis, *inquit Plut. de virtute morum*, quia secundum naturam est, & vtilis amatur,
162 alijs maximum bonum esse videtur, nec diuitiarum vllam gratiam, aut liberorum, aut regnorum esse: demumque virtutes nec vtiles, nec conferentes esse absque sanitate arbitrantur. Ergo necessaria omnino in candidato videtur.

Vt autem paucis rem hanc absoluamus, concludendum erit; eam infirmitatem corporis, quæ contraria est bonæ valetudini, & quæ nec corpus, nec animum impedire potest, quominus ea detentus, officio Senatoris fungi possit; non obesse posse nominationi, per ea, quæ supra retulimus, & habetur per *Plut. in libell. num seni sit reg. respub. Salust. in Catil. coniurat. Cicer. in Catone. & Quintil. lib. 1. instit. orator.* Periclitarentur grauiter namque boni mores, si aut solis diuitibus, aut corpore valentibus præstarentur tantummodo dignitates, *inquit Cassiod. var. lib. 2. Ep. 10. & Salust. prius in coniurat. Catil.* Cum Senatores à Romulo lectos refert, inquiens. *Delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat.* Non ita vero, si adesset corporis debilitas nimia; hæc enim vires, animum simul frangit teste *D. Hieronym. in Ep. & Seneca loco supra citato.* Requirit enim Constit. vt Senator in Senatu sedeat, quod ab eo, qui graui aliqua affectus sit infirmitate, præstari non poterit. Nec me mouere possunt quæ Cic. de Quinto Mutio scribit in hæc verba. *Sola Quinti Mutij ianua testis esse potest, quæ etiam in eius infirmissima valetudine, affectaque iam tum ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, & summorum hominum splendore celebrari solebat;* Siquidem, vt iam diximus, necesse est vt Senator corpore in Senatu statis diebus præsto sit. Stolidum enim, & insanum vocat *Plut. in eo libell.* num seni; qui iuuenes quidem ætate, verum corporis valetudine tenui, & adfecta, ac lectulo plerumque propter morbum incumbentes magistratum adire iuberet. *Pompon. Læt.* sic quoq; de Constante Imper scribit. *Præfuit aliquandiu, vt bonus rector: post siue debilitate naturæ, siue amicis suadentibus, animum ad delitias flexit: ex quo in leues articulorum incidit ægritudines, quæ hominem reddiderunt difficilem, morosum, austerum: vnde factus est prouincialibus grauis &c.*

Non etiam obstare possunt quæ in *l. 3. ff. de postul.* scripta sunt ab Vlpian. in hæc verba. *Quamuis autem cæcus pro alio postulare non possit, tamen & Senatorium ordinem retinet; & iudicandi officio fungitur. Numquid ergo & Magistratus gerere possit? Sed de hoc deliberabimus.* Et extat quidem exemplum eius, qui gessit. Appius denique Claudius Cæcus consiliis publicis intererat, & in Senatu seuerissimam dixit sententiam. *De eod. Appio Valer. lib. 8. cap. 14* sic ait: *Hunc cæcum aliquis nominat, à quo patria, quod honestum erat per se parum cernens coacta est prouidere;* & *lib. eod. cap. 7.* dixit idem Valer. Liuium Drusum, qui ætatis viribus, & acie oculorum defectus, ius ciuile populo benignissime interpretatum esse, cum animo & videret, & vigeret. Sic & *Cic. Tuscul. lib. v.* inquiens: C. Drusi cæci domum compleri consultoribus solitam; non obstant inquam, quæ de cæco dicta sunt, quoniam intelligi debent, si post adeptam dignitatem cæcitatem contraxerit; secundum *Abb. in cons. 47. lib. 1. & Anchar. cons. 404. in fine n. 17.* id quod indicat verbum *d. l. 3. retinet, & verbum fungitur, d. l. cæcum*, & sanè is cæcus omnino esset, qui cæcum litigantibus daret iudicem, quandoquidem legere acta iudiciorum cæcus non possit, sed exaudire, & à perlegente decipi facile queat: oculata quoque fides maxime præstat, & multa ex aspectu diudicantur, *l. 2. ff. de for. l. si irruptionem §. si finiũ ff. fin. regun.* Idcirco cæco prohibitum est testari non sine magna difficultate, *l. hac consultissima, & l. discretis C. qui testam. fac. poss.* At si cæcitas superuenerit, non erit incongruum, vt is Adiutore vti possit. *c. petisti 7. q. 1.* Quid de eo qui propter aduersam valetudinem inueniri incumbere non potest an consuetam mercedem exigere possit, & alterum in sui locum sufficere. *Bim. cons. 219.* Grauius est enim eijcere, quàm ab initio non recipere idem *Anchar. cons. 204. num. 6. vers. plus est enim. Alex. cons. 123. num. 20. in fine lib. 4.* Et sanè dixerim (vtar verbis T. Manlii Torquati, apud *Liu. Dec. III. lib. VI.*) valetudine oculorum laborantium; Impudentem, & Imperatorem, & Gubernatorem (addam candidatum) esse, qui cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita, & fortunas committi.

Podagra laborans vtrum admittendus? non impedire docet *l. podagra C. qui morbo se excus. poss.* nisi adeo grauaretur, vt inseruire non posset, ex his quæ not. *Gomez. in reg. cancell. de infir. resign. quæst. 28.* facit *tex.* cum ibi *not. in l. quæsitum ff. de re iud.*

---

## CAPVT IV.

*Aspectus, & forma corporis an attendi debeat in Senatoribus deligendis.*

QVamuis turpe sit sapienti, cum habeat animũ, laudes ex corpore captare, vt ait *Amm. Marcell. lib. 23. cap. 2.* ex Dion. tamen de Octauio Augusto lib. LIV. accepimus, consueuisse eum illos tantum, qui nec manco, nec mutilo corpore essent, Senatores creare, & eorum corpora inspicere, cum ex corporis habitudine coniecturam facere etiam Sanctissimi quoque viri consueuerint. D. enim Gregor. Nazianzen. *orat. 2. in Iuliano* sic ait. *Neque enim mihi boni quidquam significare, atque ominari videbantur, ceruix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens, & vagus, furioseque intuens, pedes instabiles, & titubantes: nasus contumeliam, & contemptum spirans: vultus lineamenta ridicula item significantia, risus petulantes, & effrenati: nutus & renutus temerarij; sermo hærens, spiritusque concisus, interrogationes stultæ, & præcipites responsiones nihilo his meliores, alia in alias insultantes, nec graues, & constantes, nec eruditionis ordine progredientes.* Hisce etiam exterioris cultus signis motus D. Ambr. *vs in cap. seq. de duobus clericis* vera vaticinatus est. 163

Quod

Quod & fecisse D. Hieronymum eius testatur ad Eostochium *Ep. 22.* his verbis: *Omnis his cura de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via spargat vix imprimunt summa vestigia: tales cum videris, sponsos magis existimato, quàm clericos*. Quid? Nonne *Plin. ep. xrij. lib. 1.* sic scriptum nobis veram Senatoris effigiem relinquit? *Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa, & ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam Senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda*. Eandem quoque *Cassiod. var. ep. vi. lib. 3. Senat.*
164 *Rom.* (describit in hæc verba formam) *Respicite certe iuuenem, præ forma gratiam mentis pulchritudine plus placentem*. Refert faciei sanguis decus, proditur animi natura per vultum, & serenitate corporis nubila quoque mentis abstergit. Idem *Ep. xiv. lib. viij.* Tales enim decet esse Aulicos viros, vt natura bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci de moribus cum videntur. Semper enim in honore manet, si cuius est tranquillus animus, eum quoque serenissimus commendet aspectus. Congruit & illud Pacati in *Panegyr. Theodos. viij Virtus tua meruit imperium, forma suffragium. Illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri; hæc, vt deceret*. Et paullo supra. *Nonne is omnium suffragijs hominum tributim, curiatimque legeretur, cui fœlix patria, cui domus clara, cui for-*
165 *ma diuina, cui ætas integra, cui militarium, ciuiliumque rerum vsus contigisset*. Formam dicebat *Arist.* plusquam omnes epistolas valere. Et hanc Plato naturæ priuilegium vocabat. Hinc Æthyopum populi, qui è Gymnosophistarum sapientia regebantur, Reges non ex iis, qui fortissimi, atque præstantissimi essent, deligebant; sed eos tantùm, qui forma essent pulcherrimi, quorum animorum magnificentiam ex corporis effigie iudicabant. Corporis enim sta-
166 tus animi mores indicat ex Galeno, & in corporum dignitate veneratio inest, & bonorum operum capacitas. Tradit etiam Cicero *de orat.* vultum afferre tum dignitatem, tum venustatem. Quid dicendum si quis curuata senio membra, vel etiam natura ostendat? vidêdus erit Senecæ locus cap præ-
167 cedenti relatus, impudens aspectus, ceruix erecta, continua superciliorum motio, incessus fastuosus, & ob nullam rem improbam erubescere, animi fœdissimi signa sunt, occultas proborum suorum formas conspicuo corpori inscribentis, iuxta grauissimorum virorum sententiam. Siquidem quemadmodum turpitudo corporis designat, quem delere ad scelera, ita pulchritudo decliuem ad bonum, ait *Bald. in l. observare col. 2. C. quor. app. recip.* quem sequuntur *Mar-*
168 *sil. in l. 1. in prin. col. pen. ff. de quæst. Neutz. inter cons. feud. Brum. cons. 12, num* 14. Ea ergo forma corporis accipienda erit, quæ neque fœda, neque deformis sit, cum ex deformitate contemptus, nascatur, quo nihil peius in iudice: si vero decora, & venerabilis; augetur ex ea dignitas, & auctoritas. Corporis modum iuxta Polycleti canonem apud *Plin. lib 34 c. 4.* adumbrabo; vt neque impensè altus sit; neque prætermodum crassus, neque breuis nimium, aut humilis, neque natura depressus, nanus, aut pumilio; sed moderatæ staturæ per omnia: neque carnosus admodum, & obesus, neque rursus corpore impensè tenui: hoc enim aridi cadaueris præ se fert imaginē.
169 Est etiam a forma virili remouendus omnis viro non dignus ornatus. Sufficiat locus Macrobij *lib. Saturnalium 3. cap. 13.* de Hortensio loquens, sic ait: *Fuit enim vestitu ad munditiem curioso. Et vt benè amictus iret, faciem in speculo quærebat: vbi se intuens, togam corpori sic applicabat, vt rugas, non forte, sed industria locatus artifex nodus astringeret: & sinus ex composito defluens, modum lateris ambiret. Is quondam cum accederet elaboratus ad speciem, collegæ de iniurijs diem dixit, quod sibi in angustijs obuius, offensu fortuito structuram togæ destruxerat: & capitale putauit, quod in humero suo locum ruga mutasset*. Illud etiam est in adagio, vt talis quis esse præsumatur, qualis in habitu reperitur. *l. item apud Labeonem §. si quis virgines ff. de iniur. c. si iudex de sent. excom. in 6.*

Incessus præceps arguit præcipitem, nimium lentus, ignauum dicebat *Chilon*. Decet ergo corporis, & vestitus compositio, debetq; secundum conditionem personæ veste, comitatuque augeri, quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen, & instruitur *Plin. teste ep. 32. lib. 6.* Idem etiam tenuit *Spec. tit. de aduoc. §. sequitur videre de vestibus col. 2.* Sit etiam verendus aspectu, & auditu: benignus colloquio, vultu, & officiis: grauis, & metuendus dum odio prosequitur improbos. Absint autem quæ recen- 170
set *Tacit. 12. Annal.* his verbis: *Erat Capadocia procurator Iulius Pelignus ignauia animi, & de ridiculo corporis iuxtà despiciendus. Homerus, vt hominem malis moribus informatum nobis effingeret. Thersitem omnium mortalium turpissimum clarissimo suo penicillo depinxit, vt ex turpitudine corporis mali quoque mores, & praui animi dotes innotescerent*; cuius forsan exemplo *tex. in c. fin. 41. distinct.* his vsus est incompositio corporis inæqualitatem designat mentis. Neque probant sapientes illum animi rigorem, & immobilitatem, nempe, quod quis

*Intrepide fixisque oculis contra aspicis omnes,*
*Luces Anaxarchi vis, improbitasque carina.*

vt ex *Plut. lib. de vitiosa verecundia circa princ.* docente ex pertuso fixoque obtutu impudentiam, & nimia molestia imbecillitatem oriri: Sic & Prouer. 6 *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat*; quamuis Lucianus in Palinuro doceat, fronti hominum fidem non esse adhibendam, tanquam fraudis, & insidiarum tegumento; nihilominus tamen quæ diximus inania esse non credas. Siquidem non ex ipso
aspectu solum, sed etiam ex priuata domo benè con- 171
stituta, indicium desumitur industriæ boni, & prudentis patris familias, vt ad publica gubernacula admittatur, ex Chilone, Herodoto lib. v. de Milesijs agris excolentibus, & Athalarico Rege apud
*Cassiod. Ep. xviij. lib. viij.* Quinimmo voluit *Polyb.* 172
*lib. x.* vt in his qui insigniter præstantes sint futuri, statim illustres indolis eorum scintillæ plerumque appareant. Quoties enim decora facies obtutui se se offert, virtus quædam latens animo inspicientis ita se se insinuat, vt dixerit *Valer. Max. lib. 2. cap. 5. in prin.* grato, & iucundo introitu animis hominum illabi ad miserationis prætextu velatam maiestatē. Nec defuerunt, qui crederent, augustissimam speciem haustam è cęlo esse, existimarentque capaces magnorum operum non fore, quos non eximia specie natura donauerat, ex forma corporis animum existimantes, & in speculo frontis imaginem cernentes ingenij; faciem itaque attente considera-
bant. Et *Plut. in Tib. & Grac. ib.* vt non solum in lu- 173
dis, vt videtur, verum etiam in contentionibus, atque ius probitas naturæ, educatioq; modesta conspi-

spiciatur; clarius autem ex moribus, vt mox subij-
174 ciam. Non enim nouum est de rebus ignotis per notas, & euidentes coniecturam fieri, vt in *cap. sequenti demonstrabimus*. Nam, qui de militari disciplina libros posteris reliquere; eos, neminem ascribi militiæ voluisse, constat, qui ex corporis habitudine minime apti essent: siquidem nimis pinguem, deformem, aut mancum, desidem, aut vecordem
175 tanquam minus vtiles arcebant. Quippe Cato Censorinus pinguem militem, aut sagina laxatum velut reipub. incommodum iure increpuit: cuius inter guttur, & inguen cuncta sub veneris dominio forent. Idem etiam dicerem de exsucis & cadauerosis, ventremque prominentem habentibus; eos, vero, qui lato pectore, ceruice erecta, qui fortes & strenui, militari muneri tabulis adscribebant. Curabant etiam quæ species, qualis vigor, & quod robur virium foret, internoscere; vt illorum forti, fideliq; opera respub. vti posset. *Cicero quoque lib. 1. de officijs voluit*, licere ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui vel libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum om-
176 nium vultus, voces, motus, statusq; mutantur. *Et paullo infra*. Magna intelligemus sæpe ex paruis, ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione, aut contractatione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex summissione, ex ceteris similibus facile iudicabimus quid aptè eorum fiat, quid ab officio, naturaque discrepet. Sic & *Lat. Pacat. in Panegyr. ad Theodos. 32. Fingit, quidem*, inquit, *vt scimus timor, gaudium, sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, vt in speculo frontium imago stet animorum*. Saturnus Titani fratri regnum non concessisse dicitur, quod ipso deterior esset facie. Inter hos ponunt, qui corrugandæ naris, at contrahendæ frontis sunt; quique risus occasionem aspicientibus persæpe præbent. Reijcio corpus mutilum, membra vitiata, obtusa, detorta, toruitatem, deforme caluitium, (quod tamen Synesius non probaret) vlcerosam faciem, labrosam (ni Labeo se opponat) turgidam, nasum collisum, gibbum, aliaque dimidiatorum hominum, qui ludibrio nati videntur, & iniuriæ, non naturæ. Quid indicant supercilia se se ad singulos votis conatus adleuantia? quid lumina trepidantia, quid manus inquietæ? amentiam. Os vultuosum verecundia egentem designat, sima naris, audaculum; frons corrugata, ac tetra, colorque buxeus, furiosum, ac districta rabiæ efferatum. Vultus compositus, & laruatus, in quo immineat illud nescio quid; aut fulsum ridens, aut sæuum reuidens. Verba eluctantia, vixque exeuntia, dubia, maligna promens, nihil vnquam veri, vix vnquam non adumbrati. *Hom. Iliad. 2.* ostendit, Tharsitem vitia corporis hæc habentem. Strabo erat, claudus altero pede, humeri eius curui in pectus contracti, accutus capite, rara ei erat lanugo. Alia huiusmodi plura in cap. proximo. Plut. quoque docuit, ex vultu, voce, colore, verbis, quem ira correptum esse patefieri, inquiens. *Mihi quidem neque oculi (opinor) tunet sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque in spumam, ruboremue efferuesco, neque pudenda dico, aut pœnitenda, neque omnino trepido ira, aut gestio*. Scio tamen quibusdam placuisse, bonum virum, & eruditum, non ex corporis cultu iudicari oportere, vt ait Dion Chrysost. *orat. 49.* inquiens: *Neque enim vinum ex dolio indicant prudentes. Sæpius enim inuenias in concinno dolio vinum ex cauponis in nappam degenerasse.* Et in Ecclesiast habetur *c. 11. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo*. Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Et Ouid. in Sapho

*Ingenio formæ damna rependo meæ.*

Agesilaus dicitur fuisse breuiculus, facie ignobili, claudus pede, si credimus *Æmil. Probo in Ages. & Iustino lib. 6.* & nihilominus sub hoc inculto corpore latebat ingenium ingens, & virtus excellens.

## CAPVT XV.

*Mores eius, qui nominandus, esse spectandos.*

QVibus autem moribus præditus esse oporteat candidatus, qui in senatorem nominari de- 177
beat, non dictu difficile est; siquidem dixerit *Tacit. Annal. xv. de C. Pisone*, aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies, sed procul grauitas morum, quæ omnino adesse conuenit. Nam debet, qui ad præcipuum gradum honoris promouendus est, habere vitam laudabilem bonis moribus institutam; inquit *tex. in l. 1. C. de profess. qui in verbo Constant. lib. 12.* idem probatur *in l. magistris C. de profess. & med. lib. 10.* Et facile recti persuasor est innocens iudex, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere, inquit *Cassiod. Epist. 6. lib. 10. var.* E studijs enim suis intelligitur puer, si munda, & recta sunt opera eius. *Prouerb. xx.* & bonum progeminant fructum probi, castisq;
mores: qui sane in iure nostro plurimum possunt, 178
vt *instit. de suspec. tut. in fine, in c. innouamus 60. distin. in fine. in l. 2. C. de off. præt. in c. statutum in prin. de rescript. in 6. & in c. si pro debilitato de off. deleg. cum simil.*

Dixit etiam Dion, probitatem morum magis 179
fidei, & auctoritatis tribuere, quam iusiurandum, ex quo, secundum Menandrum, mores dicentis; non sermones persuadent, & nos facilius ad fidem habendam inducunt, vt dicebat Lycurgus. Item quia, quibus benè compositi sunt mores, teste Democrito, illis etiam tota vita benè constituta
est. Hinc ex Dione legimus Augustum corpora 180
Senatorum inspexisse, & de facultatibus, atque omni ratione vitæ, ipsos, aliosq; testes interrogasse. Docet enim *Cicero de off. 1.* vt in beneficentia delectus sit dignitatis; in quo, & mores eius sint spectandi, in quem beneficium confertur: *& lib. iij.* An est, inquit vllum maius malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis, quanta illa deprauatio, & fœditas turpificati animi debet videri. Mos etiam fuit Atheniensium, antequam aliquem ad Thesmotetarum Magistratum assumerent, vt eum de moribus, actionibusque ipsius aleam subire cogerent; secundum *Bud. ad l. vlt. de Senat. pag. 180. in fine*. Apud Lacedæmonios adeo honesti mores fuerunt in consideratione, vt cum de summa reipub. agere tur, & quidam diffamatus turpitudine vitæ, sed facundia ornatus, licet vtilem sententiam dixisset, quæ pro decreto debebat scribi, ne honesta sententia famosi auctoris contagione dehonestaretur; iusserint virum eligi fortitudine, atque iustitia præstantem, licet infacundum, qui eandem illam sententiam, quibus verbis posset, diceret, nulla prioris mentio-

ne habita, illamq; eius nomine pro decreto accep-
tari. Huius rei auctores Æschines in Timarcum:
*Gell. lib.* 18. *cap.* 8. *& Plut. de audit. off.* Hinc etiam
Euripides

> *Quod à leuibus profecta oratio,*
> *Et à probatis, non idem valet eadem.*

Decet enim, vt Pericles Sophocl. dixit ex *Plut. in*
*Pericle* 17. non solum manus, verum etiam oculos
continentes habere, ac moribus ita moderatum
esse, vt nihil possis dicere, quod aut cupidè, aut
immodestè, aut nimiè fecerit, vt de Gordiano Ca-
pitol. refert. *In oculis sane anima habitat*, ait *Plin.*
181 *lib.* 11. *c.* 37. Philostratus vero in vita Apollonij *lib.*
2. *c* 22. oculi, ait, mores hominum indicant, quod
pariter comprobat *Albertus Magnus lib.* 1. *animal.*
sic *Galen. comm. in Hippoc. de morbis vulgar. lib.* 3. &
in arte medica, corporis temperamentum, quod
consequuntur mores animi ex oculis dignoscere
docuit, sic etiam *Arist. lib de gener. animal. cap. v.*
Necessaria ergo erit morum petentis aut candidati
perscrutatio, qui adeò olim obseruabant? mores, vt
182 legamus Manlium à Censorino Catone Senatu mo-
tum, quod vxorem filia præsente osculo suauiasset.
Et Cornelium Rufinum, qui bis Cons. & Dictator
fuerat, à Fabricio Licinio, & Q. Emilio Pappo Cen-
soribus motum fuisse, quod comperijssent eum cenæ
gratia decem pondo auri habere; (not. est, quod
Plin. pro Licinio, Luscinum habet) M etiam An-
tonius, & L. Flaccus Duranium Senatu mouerunt,
quod legem de coercendis conuiuiorum luxibus la-
tam, trib. pleb. cum esset, abrogauerit. *Xiphil. in*
*Domitiano*, sic ait. *Ceterum Domitianus, vt Censor*
*rem memoria dignam fecit, nam Cecilium Rufinum prop-*
*terea Senatu mouit, quod saltaret*. Tiberius Cæsar,
vt *Dion. lib.* 57. scribit, sub initio imperij sui nonnullos
Senatoris officio priuauit, aliosq; in vincula detrudi
iussit, etiam propter notam exiguam libidinosæ sus-
pitionis; sciens iam à patribus Lutium Sulpitium
consularem, summoq; ingenio virum, eadem de
causa Senatorio gradu priuatum fuisse, vt ex Por-
tione Latrone in *L. Catilin.* Refert quoque *Athen.*
*lib. iv. cap. xx.* Areopagitas, cum Demetrius De-
metrij Phalarei filius luxuriosam vitam ageret, &
Aristagoram Corinthiam domi haberet, ei, vt me-
lius, atque honestius viueret, imperasse. Iulianus,
vt de eo testatur Ammian. Marcellinus, post amis-
sam coniugem nihil vnquam venereum attigit. Et
vt hoc propositum validius confirmaret, recolebat
sæpe dictum Lyrici Bachylidis, quem legebat iu-
cundè, id asserentis, quod vt egregius pictor vul-
tum speciosum effingat, ita pudicitia celsius exur-
gentem vitam exornat. Intemperantiæ siquidem
symbola hæc esse vult *Dion. Chrisost. orat.* 33. vox non
solum, intuitus, habitus, sed etiam ea quæ viden-
tur esse parua, vt tonsura, deambulatio, oculorum
commutatio, colliq; inclinatio, sermocinatio ma-
nibus supinis. Et paullo post ostendit sternutatione
hominis mores fuisse deprehensos; in viro quoque
ostendit quam dedeceat muliebris vox. Philippus
Macedo, cum quendam ex Antipatri amicis in iu-
dicum numerum adscripsisset, quem post cognouis-
set tingere barbam & capillos, eum submouit, di-
cens, qui in capillis fidus non esset, eum in rebus
gerendis non videri dignum, cui fideretur; alia in-
fra *cap.* 32. *glos.* 6. *sub num.* 184. adduximus exempla.
Prætextatis verbis, quod vteretur Vespasianus, in-
crepat *Suet. in eius vita cap.* 42. quo in loco, exposi-
tores, verba prætextata exponunt, obscæna, tur-
pia, ac puerilia. Bonis ergo moribus imbutum no-
minabunt Consiliarij viri, exemplo Athalarici Re-
gis, vt apud *Cassiod. Ep.* 25. *lib.* 9. *variarum*, dicen-
tis. *Cumulauimus quidem P. C. beneficijs nostris copio-*
*sum virtutibus, diuitem moribus, plenum magnis hono-*
*ribus Senatorem; cuius si merita consideretis, debemus* 183
*omne quod soluimus*; & paullo infra: *indubitata gloria*
*est, morum custodire mensuram*. Item *Ep. vi. lib. x.*
*Primum nobis placuit tuos mores inspicere, sine quibus*
*possunt qualibet optima displicere*. Dissimilis non est lo-
cus *Symachi ep.* 81. *lib.* 3. talis. *Sed quod* ait *exclusis*
*improbis spem bonis redditam, non insolitum, sed incboa-*
*tum recens gratulor. Nam solemne est Diuo nostro Theo-*
*dosio in suos exercere censuram morumq; agere delectum,*
*& singulos vt nouos semper expendere, nec consuetudini*
*condonare iudicium. Inde est quod syncerissimos mores*
*tuos benignè respicis, quos seuerè, & diligenter inspexit*.
Res olim à sapientissimis Græcis obseruata, dicente
Isocrate in Areopagetico. *In cuius numerũ* (de Areo-
pago concilio loquitur) *cooptari solis illis sperare*
*licuit, qui claris natalibus orti, virtutis, ac modestia*
*documenta permulta honestate vita dederant*. Sic &
*Plin. ep. xxij. lib. vij.* inquiens, *Est Cornelius Minutia-*
*nus ornamentum regionis mea seu dignitate, seu mori-*
*bus &c. Necessarium enim*, inquit *Cassiod. lib.* 1. *epist.*
*probatur esse reipub. personas dignitatibus aptas eligere,*
*vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur*
*&c.* Fugiendum esse eum consiliarium, qui malis sit
imbutus moribus docet *D. Ambros. de off. cap. xij. &*
*xxiv. inter cetera*, inquiens, *quis in cano fontem requi-*
*rat? quis in turbata aqua potum petat? Elegans autem*
*tractatio ingenitam quandam nobilitatem ostendit*, vt in 184
*l. cum plures §. cum tutor, & in l. sequen. in prin. ff. de*
*admin. tut. in l. si seruus plurium §. fin. ff. de leg.* 1. *&*
*in l. si cui ff. de ann. leg. lo. à Plat. in l.* 1. *col. fin. ff de*
*dignit. lib.* 12. contra vero mala tractatio, maliq;
mores, vt iam diximus indicia malæ mentis maliq;
animi sunt. Propterea D. Ambrosius ad hæc respi-
ciens *lib.* 1. *de off. cap. xviij.* sic ait. *Meministis filij*
*quendam amicum, cum sedulis se videretur commen-* 185
*dare officijs, hoc solo tamen in clerum à me non accep-*
*tum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quo-*
*que cum in clero reperissem, iussisse me ne vnquam praire*
*mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos*
*feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam*
*muneri, hoc solum excepi, nec me fefellit sententia.*
*Vterque enim ab ecclesia recessit, vt qualis in incessu pro-*
*debatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque*
*alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter*
*pecunia studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se no-*
*strum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuita-*
*tis, species quadam scurrarum percursantium*. Hacte-
nus D. Ambros. *Omnia enim*, inquit Seneca epist. 52.
*rerum omnium si obseruentur indicia sunt: & argumen-*
*tum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum*
*& incessus ostendit, & manus mota, & vnum interdum* 186
*responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculo-*
*rum, improborum risus, insanum vultus habitusq; demon-*
*strat. Illa enim in apertum per notas exeunt*. Alia ad
rem nostram adducit *Afflic. in Constit. lib.* 1. *rub.* 45.
*num.* 50. Boni itaque mores in candidato requirun-
tur, potissimum quia

> *Omne animi vitium, tantò conspectius in se*
> *Crimen habet, quantò maior qui peccat, habetur.*

ait Iuuenalis, & vt in corporibus, sic in Imperio 187
grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur, di-

xerunt *Plin. & Seneca*. In facie quoque plus offendit næuus, aut verruca, quam in reliquo corpore maculæ grandes: sic exigua delicta, magna videntur in Senatore, cuius vita in conspicuo est. Optimè Sanctus Fulgentius Ep. vi. *Conuersio potentium sæculi multum militat acquisitionibus Christi; sicut enim multi fratres & amici, clientes & subditi, noti pariter & ignoti talium auctoritate ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem &c.* Et paucis interiectis, *Ita fit, vt qui sunt in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. Magna tales aut pœna manet, si multis præbeant, malæ imitationis laqueum: aut gloria si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum. Quis enim paruam non despiciat cellam, quando Senator domum despicit marmoratam?*

Vitam ergo sibi candidatus & mores excolere debet, vt omni prorsus nota, & vituperatione careat, cum eorum præsertim qui repub. præsunt, non modo singula verba, nec res tantum publicitus gestæ animaduerti, notariq; solent, sed virtus quoque, ioci simul, & seria quæque, domus, ipsa familia, vxor, cubile curiosius conquiruntur, teste *Plut. in Polit.*

## CAPVT XVI.

*Grauitatem in Senatore necessariam esse.*

188 DOcet Apost. ad Titum 2. propositum argumentum verissimum esse, dum ait. *In omnibus te præbe exemplum omnium bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, nihil habeat malum dicere de nobis.* Grauis esse debet, quia grauiter, non leuiter procedere in officio suo debet. *l. 1. C. de bon. vacan. c. licet de accus.* vbi dicitur Summum Pontificem seruare grauitatem iudiciariam, prout & Imperatores *in l. Diui ff. de lib. caus. in prin.* quinimo grauitas dicitur maiestas iudicantis, quæ constantiam parit, vt per *Luc. de Penna in d. l. 1. C. de bon.*

189 *vacan.* Præterea ex forma corporis decora, & bonis moribus veneratio quædam grauitate resultat in Senatore necessaria, cum mansuetudine tamen coniuncta, huius rei testis est *Plut. in Coriolano*, dum his vtitur. *Non erat ille vir, qui grauitatem simul cum mansuetudine* (quibus in rebus ciuilis maxime virtus constat) *studiorum ratione, aut disciplina temperatam haberet. Et nesciebat, eum, qui administrationem reipub. sumpserit est, vitare debere pertinaciam, & morositatem.* Iterum *Plut. in Catone Censor. 16.* In his adeò tenuis, adeò facilis subditis visus, alia ex parte grauem, & elatum se gerebat; nam ad ea, quæ ad Iurisdictionem suam pertinerent, inexorabilis; & in his quæ ad Imperium spectarent, adeò securus, & integer fuit; vt nunquam P. R. Maiestas illis terribilior, nunquam carior extiterit. *Tacit. in Agric.* Vbi conuentus, ac iudicia poscerint, grauis, intentus, seuerus, & sæpius misericors, vbi officio satisfactum, nulla vltrà potestatis persona. Tristitiam, & arrogantiam, & auaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem deminuit. Graues viros adhibendos esse in consilio docet *D. Gregor. in cap. estote 1. q. 1. & Plin. ep. 2. l. 3.* inquiens. *Arrianus Maturus Altinatium est Princeps, cum dico Princeps, non de facultatibus loquor, quæ illi largè supersunt, sed de castitate, iustitia, grauitate &c.* Idem habetur ex Capitol. in Gordiano his verbis. (epist. Alex. Seueri refert) *Neq; grauius mihi quicquam P. C. neq; dulcius potuistis efficere quam vt Antonium Gordianum proconsulem ad Africam mitteretis, virum nobilem, & magnanimum, disertum, iustum, continentem, bonum, grauem &c.* Addamus, quæ *Treuell. Pollio in Valeriano* scribit in hæc verba; *Valerianus in tota vita sua fuit censor, prudens, Senator, moderatus Senator, grauis Senator.* Iterum idem Pollio in Claudio. *Ipse Claudius insignis morum, grauitate insignis, vita singulari.*

Grauitatem hanc requirit ordo ille anni 1500. in hæc verba. *Primum nobis cura fuit Senatum in ipso Dominio erigere, in quo viros graues, peritos, summa integritate, ac rerum experientia pollentes, quam possibile fuit delegimus.* Et paullo post; *nihil ocius duximus, quam quod Senatum ipsum nostrum quibusdam ab eo amotis, nonnullis etiam additis viris, & grauibus, & peritis iustitia cuique redderetur, vtque nemini iniuria fieret.*

At grauis is fit (non vt Socrates in Euagora) vultus contradictione, sed institutione vitæ, nulla prorsus in re inordinatè, immoderatève se gerens; vel 190
vt ait Plut. ad Imperitum Ducem. Non is imitetur imperitos statuarios, qui colossos putant ita demum videri, si multum diuaricatos, distentos, & hiantes fecerint; hoc est, dum graui voce, aspectus asperitate, difficultate morum, & conuersandi aspernatione magnitudinem, & grauitatem exprimere se putant. Nec etiam, vt idem *Plut. in Pompeio 46.* ait. *Cum multis conuenire in locis publicis, & consuetudine* 191
*publica frui, haud oportere existimabat ad dignitatem illæsam amplè tutandam. Vita namque togati ciuis, gloria armorum efflorentis, ad ignobilitatem, & contemptum lubrica est, ac populari inæqualitate iniquior. Cum suauissimis autem multis, & in ampla corona, dulcissimus inspectus est, venustatem vultu grauitatem præferens,* Sic etiam Plin. *Ep. 13. lib. 6.* inquit. *Erant in hac paucitate nonnulli, quorum temporaria grauitas ridebatur.* Exemplum affert *Ammian. Marcell. lib. xvi. cap. vi.* de Constantio, qui immobilis videbatur, portas ingrediens celsas, & corpus humile curuans, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec læua flectens, tanquam figmentum hominis, non nutans, non spuens, aut os, aut nasum tergens, vel fricans, manumuè agitans. Vel si quis cum dignitate ceruice tumida gradiens, notos autem obliquato contuetur aspectu, ac post captas Siracusas existimet reuerti ad M. Marcellum; Suidas item de Zenone sic scribit. *Itaque vitæ ratione ad superbiam comparata, ab omni honestate remotus, & iam tum arrogantiam, ob expectationē imperij, è vultu elucentem, præseferrent; sublimis incedere, erigere ceruices cœpit: ac paucis, vt ita dicam, erga omnes non alium se præbere, quàm aduersus seruos.*

## CAPVT XVII.

*Bonum virum esse debere candidatum, & quibus signis vir bonus dignoscatur.*

192 MVlta obseruare cogimur, quæ priuati homi-
nis laudes contineant; non tamen huiusmo-
di, quæ bonum Senatorem omnino demonstrent.
Homini enim priuato satis est moderatio, æquitas,
placabilitas, & in omni cultu & victu modus. Se-
natori vero propter hæc & iustitia colenda, & ra-
tio ciuium habenda, cum ad eorum tutelam sit de-
signatus; veraq; instituta sunt tuenda, ac iustitiæ
partes sequendæ. Bonus ergo vir sit, qui ad munus
hoc deligitur, nam æque periculosum est insanienti
gladium, & improbo viro Magistratum committe-
re, teste Iamblico in adhortatione ad philoso-
phiam. Improbi, siue pecunijs aucti, siue ad ali-
193 quem promoti Magistratum, exultant in ædibus
in curia fortunatis; & quò fuerint indigniores, &
negligentiores fiunt, impudentiaq; magis, & auda-
cia pleni; ex *Stobeo de Repub.* Dicitur etiam *Prouerb.*
*28. & 29. Mali, qui accedunt ad honores, quantò ma-*
*gis sunt indigni, qui honores assequuntur; tantò magis*
194 *dedecorosi, & inglorij fiunt; & audacia, impudentiaque*
*pleni surgunt.* Et habetur Isaiæ 32. *Improborum con-*
*silium iniqua deliberat, vt humiles oratione iniqua, &*
*pauperum sermones in iudicio dissipet.* E contra autem,
195 bonus vir omnia agit, quæ sibi, & Reipub. sunt vti-
liora ex *Cicer. ep. 12. lib. 7. & off. 1.* dicente. *In iu-*
*stitia virtutis splendor est maximus, ex qua vir boni no-*
*minatur*, & de Oratore. *Senator bonus, auctor publici*
*consilij, rector reipub.* Confirmat idem Tacit. 1. Annal.
in fine. *Plures, sed non auaros, verum viros bonos ad*
*curam reipub. vocari, formari, & instrui commodissi-*
*mum.* Solon quoque dixit, illam Ciuitatem opti-
mè habitari, in qua bonos viros honoribus afficit
contra vero, improbos pœnis mos fuerit; quod
etiam Socrati, & Pithagoræ placuit, dum interro-
gati, responderunt, Ciuitatem munitissimam esse,
quæ viros bonos haberet. Aristippus item interro-
gatus, quid esset mirandum in vita? respondit, vir
probus & moderatus; quoniam, etsi inter multos
improbos agat, non tamen peruertitur. Isocrates
prædictis subscribit, inquiens. *In rebus publicis om-*
*nino iniquissimum mihi videtur, bonos, & improbos in*
*eadem reputatione esse; hæc autem omnino, & iure opti-*
*mo emendari oportere, ne qui inter se dissimiles sunt, re-*
*bus fruantur eisdem; sed pro sua quisque dignitate tum*
*ciuos, tum æstimetur.* *Bonus requiritur.* Senator quia
*D. Ambrosius off. ij. cap. vij.* ait, *popularis, & grata*
196 *est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facilè illabatur*
*humanis sensibus.* Menander etiam rem beatam bo-
nitatem vocat. Alia plura de bonitate *Decian. in*
*Apologia c. xx.* Bonus non solum, sed optimus est
eligendus ex *Cassiod. ep. 33. lib. 6. & alijs de quibus in*
*cap. proximis sequen.*

Perdifficilis est autem de bono viro inuestigatio:
siquidem Licinius Fimbria iudex, vt ait *Valer. Max.*
197 *lib. vij. cap. ij.* à M. Luctatio Pinthia equite Romano
aditus, ex causa sponsionis, quam is cum aduersa-
rio, quod vir bonus esset, fecerat; nunquam id iu-
dicium pronuntiatione sua finire voluerit, ne aut
probatum virum, si contra eum iudicasset, fama
spoliaret: aut iuraret eum virum bonum esse, cum
ea res innumerabilibus laudibus contineatur. *Sene-*
*ca hoc ipsum agnouit ep. xxxxij.* dicens. *Vir bonus citò*
*nec fieri, nec intelligi potest: nam ille alter fortasse tam-*
*quam Phœnix anno quingentesimo nascitur; nec est mi-*
*rum ex interuallo magna generari mediocria, & in tur-*
*bam nascentia sæpe fortunam producit. Sed qui sci-*
*res, quid esset vir bonus, nondum se esse crederes, fortasse*
*etiam fieri posse desperares.* Hæc ille. *Epaminondas*
*rogatus, virum se meliorem diceret, an Cabrinam, an*
*Iphicratem? difficile est*, inquit, *donec viuimus, iudi-*
*care. Pittacus Mytilenaus dicere solebat, perdifficilius*
*nihil, quam bonum esse.* Protagoras quoque apud
Platonem dixit, *Simonidem solitum dicere, difficile*
*esse virum verè bonum fieri manibus, pedibusq; tetragonum,*
*idest absque vituperatione fabricatum.*

Xenophon in œconomico prius insudauit in quæ-
rendo viro bono, inquiens. *Quid si tibi ò Critobule*
*ab initio enarrem, vti sum olim congressus cum viro, qui*
*mihi vnus visus est ex his, qui iure nomen hoc egregij,*
*atque boni viri adsequuntur? Libenter quidem audie-*
*rim: nam & ego quoque tali nomine dignari exopto.*
*Dicam nempè quonammodo in ipsius venerim meditatio-*
*nem. Bonos enim architectos, bonos item fabros, æra-*
*rios, pictores, statuarios, aliosque huiuscemodi ex eorum*
*operibus breui tempore perspexi, & probaui. Vir autem,*
*qui egregius, atque bonus vocaretur, perscrutatus sum*
*quid potissimum ageret; quamobrem hoc sibi meritò no-*
*men vsurparet: ac primum sum periclitatus, si quem as-*
*picerem egregium, an etiam eundem bonum inuenirem;*
*quæ me ratio longè fefellit: nam & quosdam egregios for-*
*ma, improbos tamen animo aduerti. Itaque statui me-*
*cum ipse, dimissa pulchritudine forma, adire aliquem*
*ex illis, qui boni & egregij nominantur, &c.* Idem etiam
voluit Euripides relatus à Luciano de Parasio, in-
quiens.

*At quo malus noscendus est mortalibus,*
*Innatus est nulli character corpori.*

Perdifficilis, inquam, licet sit inuestigatio hæc de
bono viro; tamen ex his, quæ à scriptoribus tradita
fuere, forte faciliis fiet. Diximus enim supra *cap.*
*xij. & xiij.* per signa in corpore constituta posse pe-
titoris mores, & mentem nobis aperiri; & de rebus
ignotis, per notas, & euidentes, coniecturam fieri.
Procli est etiam doctrina, morem Pythagoricis fuis-
se venientes ad ipsos, ex signis perpendere, ac pen- 198
siculare exactius, ad meliorem ne vitam apti fo-
rent. Quoniam natura ipsa, quæ animis configit
corpora, instrumenta eis congrua subministrat,
imaginesque animarum in corporibus imprimit, &
indicat; per quas & illarum ingenia, & affectiones
eius artis periti possunt deprehendere. Et quemad-
modum pictores neglectis, Ceteris partibus, ex
facie, ac vultus forma, vnde morum indicium ex-
tat, similitudinem capiunt; sic & nobis faciendum
est, vt boni viri signa à scribentibus tradita inea-
mus; ac per ea ipsius vitam significemus. Præterea
vita cuiusque non tam verbis, quam factis eius æsti-
manda cum sit, vt multis probat *Dion. Chrysost. orat.*
70. Horat. ad Quintium signa viri boni præcipua
describens, sic ait.

——— *vir bonus est quis?*
*Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat?* 199
*Quo multa magnaque secantur iudice lites,*
*Quo responsore, & quo causa teste tenentur, &c.*

Maximum enim bonum est bonitas sapientiæ 200
iuncta, quoniam fieri non potest, vt quisquam vere
probus

probus sit sine prudentia, teste *Arist. vi. Eth. cap. v.* quæ sola præit, & ad rectè faciendum ducit, ex *Alcibiade in Menone, & Seneca ep. 76.* Ideo idem *Horat. iv. ep. lib. 1.* dixit,

*Curantem quicquid dignum sapiente bonoque,*

Et in Epist. ad Quint.

*Neve putes alium sapiente bonoque beatum.*

Nec in medium deducatur illud Virg.

*Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vnum*
*Millibus è multis hominum consultus Apollo.*

Aut aliud. Iuuenal. Satyr. 13.

*Raro quippe boni, numero vix sunt totidem, quot*
*Thebarum portæ vel diuitis ostia Nili.*

Quasi difficilius sit adinuenire sapientes, quàm bonos, & probos; quoniam hæc duo inter se iuncta
201 sunt adeo, vt separari non oporteat; vt ex *Cicer. iij. offic.* A mente bona proficiscuntur actiones bonæ, & bono viro Deus largitur sapientiam, teste *Stobeo serm 1* & Osea dicente, *Viro bono posuit in conspectu sapientiam, cognitionem, & lætitiam*; aliud ex Philone. *Bonis Deus bona suppeditat, & inserit consilia. Ille autem iudicatur sapiens, qui non verbis,* vt inquit D. Gregor. in moral. *Sed virtutibus operatur, qui pauca quidem de virtute animi commonet, & perloquitur, plura autem in suis actibus, atque operibus ostendit, & fidem verbis operum suorum stipulatione confirmat.*

202 Aliud signum tradit *Seneca ep. 76.* Virum bonum concedas necesse est summæ pietatis erga Deos esse: Itaque quicquid acciderit æquo animo sustinebit; sciret enim id accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt. Item *ep. xxxi. Bonus vir sine Deo nemo est.* Clarius Propheta, *initium sapientia est timor Domini.* Et Salomon Prouerb. cap. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Item Ecclesiast. 1. *Radix plenitudo, & corona sapientia est timere Deum,* & cap. eod. xv. *Qui timet Deum faciet bona, & qui continens est iustitia apprehendet illam, & obuiabit sibi quasi mater honorificata.* Timor ergo Domini cum bono viro residet adeo, vt ab eo diuelli nequeat, prout in Psal 11. *Intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Nequit quippe iustitia cũ scelerato homine habere cõmerciũ *c. forus in fine de verb. signif.* nam propter crimina sæpe obscuratur mens, adeo, vt dubia ignoremus dissoluere, inquit *Bal. in c. quia propter n. 14 de elect* Plura huiusmodi ex sacra scriptura referri possent, quæ consulto omittuntur; adducam tamen pauca quæ iam Ethnicorum. Plin. primò, in Panegyr. *Nihil rectè, nihilque prouidenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, & honore auspicari.* Stob. ex Diog Rou. *Decet quod optimum est ab optimo coli.* Plut. de superstitione. *Deos qui formidat, omnia timet, terram, mare, aerem, cælum, tenebras, lumen strepitum, silentium, somnium.* Seneca in prouerb. *Tutissima res est, nihil timere præter Deum.*

Index iusti animi, & Deum timentis, erit integritas in iudicando; nam, vt ait Sirach. apud Stob.
203 serm. de iudicibus. *Ad cognoscendum veram iustitiam, magno opus est ingenio, & mente absolutissima. Fieri enim non potest, vt qui non sit in iure institutus, controuersias possis rectè adiudicare. Qui autem veram scit iustitiam, ac cuique per eam suum tribuere doctus est, is optimè potest iudicia dirigere, & administrare: quandoquidem sagittarius ad scopum dirigit tela, neque superando, neque deficiendo, neque in vtramque partem conuertendo, frustra sagittam emittit, sed collimat: sic iudex ius tractat, neque personas respiciens, neque quicquam faciens cuiusquam hortatu, & inuitatione, sed rectas, & minimè contortas proferens sententias; & duorum litigantium stat in medio iudex, illos inter se exæquans, & tantum detrahens ei, qui plus habet, quantum inuenit adeptum ei, cui iniuria facta sit.* Aliud tale scribit D. Chrys in sermone de S. Io. Baptista, inquiens. *Facile deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit; hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest. Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentem seruat, & omnis boni tribuit facultatem.* Cicero lib. de off III. *Neque contra rempub. neque contra iusiurandum, ac fidem, amici sui causa vir bonus faciet: nec si iudex quidem erit de ipso amico; ponit enim personam amici cum induit iudicis; tantum dabit amicitia, vt veram amici causam esse malit; vt perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero iurato dicenda sententia sit, meminerit si Deum adhibere testem &c.*

Timentem Deum proponendum esse, habetur Exod. *cap. 18.* & per *Rol. cons 12. num. 99. lib. 3. Boss. de Prin. num. 296. & Tessaur. in præfat. decis. num. 27. Matienz. 3. par. Dial c. 6.*

Sapientem quoque, & bonum deligere docet *Aristot. vi. Eth. cap. v. & Sirac. paullo supra*; vt ea sapientia 204
duce, quæ sibi, quæue hominibus conducunt, possit despicere. Thobiæ est sententia *cap iv.* consilium semper à sapiente requiras. *Eccles. ix.* cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt deligere, nisi quæ eis placent. Sapientes viros deligendos esse in consiliarios, Exodo legitur dicto *cap. 19.* & apud *Apul. de Dog. Plat.* Bonus quisque natura, & industria in honoribus, & officiis præferatur pessimi ciues luce careant dignitatis. *Cassiod. var. lib. 1. ep. 1.* voluit, necesse fore prudentissimos deligere, qui possint contra subtilissimos disputare, & in conuentu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Hinc in *cap. porro distinc. 83.* consilium semper à sapiente perquirere, & habetur *Iob 33. cap. quis est hic inuoluens sententias suas sermonibus imperitiis?* & eod. cap. 34. *Viri intelligentes loquantur mihi.* Præterea *Prouerb c. 10. in labijs sapientis inuenitur sapientia.* Huiusmodi plura leguntur adducta per Io. Matienz. in *Dialog. p. 3. cap. 7.* 205
Tales eligere consueuisse Duces Mediolanenses testatur *Boss. de Prin. num. 296. & sequen post Martin. Lauden.* nimirum viros sapientes, doctores peritissimos, ac Deo deditos; & hoc ipsum semper ab inuictissimo Carolo V. fuisse obseruatum. Sic etiam voluit *Afflict. d. rub. 45. num. 49. in Constit. lib. 1.*

Quærendi sunt sapientes Consiliarij, ne per im- 206
peritiam facillime deducantur in fraudem, vt voluit *Cic. de Diuin.* vel ne iniusti fiant, inquit *Arist. iij. Eth.* Omnis enim ignarus, malus, *c. si laici 38. distinc.* Et sicuti nihil melius bono iudice, ita etiam nihil peius malo, eoque imperito, & indiligenti, quandoquidem teste Homero, Iudex, & Magistratus indiligens subditos corrumpere soleat. Neque insipiens Senator esse vnquam poterit, non magis quàm cæcus viæ dux fieri; neque iniquus non magis quam regula curua, & inæqualis, quæ alia opus habeat regula. Et vbi mali sunt tutores, & agricolæ nihil illic contingit grauis, sed calcei fiunt peiores, & triticum, ordeumque nascitur minus: vbi vero mali sunt magistratus, atque iudices, leges nihil valent, resque omnes peius se habent, cum, ab alio emere calceos

pos-

possum, magistratus autem vitare nō possum. Hinc *Thesaur. ind. præfat.* egregiè scriptum reliquit. *In primis Principi consulendum existimo, ne imperitis tale munus Senatorium conferat, quasi asinum pro equo adhibeat aratro, vt dicebat Antisthenes Atheniensibus, dum imperitos administrationi præficerent. Pulchrè mehercule statuit Philo Iudæus, ita demum ad magistratum, & iuris dicendi officium admitti aliquem debere, si prius leges non modo vniuersas perlegerit, verum in compendium etiam, & breuiarium aliquod contraxerit. Non sunt ergo imperiti nominandi, & minus eligendi, sed scientia, & probitate insignes. Si enim inter doctos, & imperitos nulla fiat differentia, nullum constituat discrimen, nullus virtuti relinquetur locus, doctrinarumque euanescent exercitia.* Minus autem eligendi sunt aliqui per pecuniam, quia secundum *Cicer. de offic.* malè res se habet, vt quod virtute effici debet, teneatur pecunia.

207 Ex verbis, & factis bonus vir dignoscitur: voces enim sunt signa earum rerum, quæ sunt in anima passionum, *l. labeo §. idem Tubero ff. de supp. leg.* Et secretum mentis atque voluntatis vehementius verbis ostenditur, quàm aliis signis, vt per *Boer decis. 1. num. 17.* Hinc *Ecclesi. cap. 4. In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitia,* & Prouerb cap. 27. *Quemadmodum in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Addamus etiam illud: *Loquela tua te manifestum facit.* Item, *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Ideo Socrates adolescentulo dixit, *loquere igitur, vt te videam,* dum à patre rogatus, vt illius indolem aspiceret. Et Diogenes aiebat, *sibi mirum videri, quod cùm ollam, aut operculum non nisi pulsu, & tintinnu exploratum emerent, hominem verò solo aspectu, qui tamen ex oratione magis dignoscitur.* Plura alia huiusmodi per Senecam epist. 114.

208 Factis autem vir bonus apparet, probaturque, siquidem bonum virum suspicione quoque criminis vacuum esse debere, docet *l. inciuilem, & l. ciuile C. de fur.* Tametsi aduersus malignas hominum opiniones quilibet priuatus satis fiduciæ habeat in bona conscientia. Qui vero rebus publicis præficiendi sunt, vt Seneca dixit *lib 1. de clem c. 15.* multa debent famæ opinionique suæ dare. Quandoquidē, vt apud Ciceronem ad Q. Fratrem *lib. 1. Ep. 2.* Ratio salusque omnium qui ad rempub accedunt, non veritate solum, sed etiam fama, & opinione nititur, quod & *Plin. lib. 34.* probauit. Apud Plaut. Megaronidas in discend.

*——— omnes bonos, bonasque*
*Accurare addiet suspicionem & culpam vt*
*Ab se segregent.*

Heluidius Priscus apud *Tacit. Annal. 20.* Suffragia, & existimatio Senatus reperta, vt vniuscuiusque vitam famamque penetrarent. Caueat ergo qui nominari vult criminationes falsas, secundum illud Isocratis ad Dæmonicum. *Vulgus enim cum veritatem ignorat, opinione ducitur.* Verum teste Luciano in Hermot. *Vix fieri potest, vt in perquam paucos illorum incedas, qui magnitudine animi præditi, se deceptos*
209 *esse affirmare audeant, aliosque ab inauspicato instituto auertere, atque dehortari, similia tentare quæ flatuissent: Quod si in eiusmodi virum vnquam incideris; illum sanè veritatis amantem, & virum bonum, & iustum, atque etiam si vis philosophum compellato.* Huic accedat Pindari sententia.

*Vir bonus non est, qui iniqua non facit;*
*Sed cum possit, non vult iniqua agere.*

Seneca *ep. 76. Vir bonus, quod honestè se facturum putauerit, faciet, etiam si periculosum erit.* Rursus, *quod turpe erit, non faciet; etiam si pecuniam afferet, etiam si voluptatem, etiam si potentiam. Ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe inuitabitur.* Sophocles in Electra, nullus bonorum malè viuendo bonā de se famam dehonestare vult. *Cicero de offi. 3. post Plat* Hunc ipsum si habeat annulum sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quàm si non haberet; honesta enim bonis viris, non occulta geruntur &c.

Bonos viros dicebat Thales Milesius, quæ in alios repræhenderent, non facerent ipsi. Idem tenuit *Tullius lib. 1. de officijs*, inquiens, *totius autem iniustitia nulla capitalior est, quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id tamen agunt, vt boni viri esse videantur.*

Ex moribus etiam bonus vir dignosci poterit, authore *eod. Tullio offic. lib. 1.* his verbis. *Colendum autem esse ita quenque maxime, vt quisque maxime virtutibus his leuioribus erit ornatus, modestia, temperantia, ac ipsa, de qua iam multa dicta sunt, iustitia: nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec sapiente feruentior plerumque est: illæ vero virtutes bonum virum videntur potius attingere, atque hæc in moribus considerentur.* Sed de hoc plenè supra cap. 13.

*Plut.* verò *lib. de profectu morum dixit.* Boni viri est, subitò omnibus proferre in medium animi sui puritatem, dum ad nullius expostulationem commouetur, non erubescit, nihil celat, nec quicquam variat rerum suarum. Nam in tali statu fortunæ stabili, & inconcusso durare animo, conscientiæ est solius integræ, prorsusque illesæ. Idem tenuit Theognides, inquiens, *Vir bonus semper habet animum constantem, & animosus est, tum in malis, tum in bonis constitutus.* Sequitur *Lucian. in Palinuro*: Bonus, securusque sui, nullo timore angitur, nulla angustia torquetur; non diuitias; non a quocunque se lædi timet, qui nec quemquam se læsisse verbo intelligat. Iterum *Plut. in Antonio 27.* verum ei natura datum erat, vt in rebus aduersis, difficillimisque ipse se virtute superaret, & quantò magis fortuna premeretur, tantò viro bono efficeretur similior. 210

Dicet ergo eos esse constantes, qui nominandi ducuntur; cum etiam constantia proprium sit iustitiæ *A. 1. ff. de inst. & iur.* hoc est, ne mutetur, aut flectatur, alias mortaliter peccat, secundum S. Thom. *2. 2. q. 125.* est enim constantiæ signum, ex *Cicer. in Reth.* inter fluctuantes causas, & personas, nulla mentis concuti trepidatione. Non etiam constans est animi, qui se ad impetum mouet, vt per *Bal. in c. 1. col. 5. de re iud. allegat. l. 2. C. de peric. ex breui recit. sed veloci consilio sequitur pœnitentia*, teste *Arist. 2. Polit. & Abb. in c. ad Apostolicam de regul. c. quanto 6. q. 1. c. Deus 2. q. 1. & c. summopere 11. q. 3.* Firmat hoc *Plato 11 de legib dicens*; Magistratum omnem debere esse & prudentem, & fortem: prudens sit, ne ex imperiti vulgi iudicio pendeat; fortis, vt quæ salutaria sunt, constanter exequatur. S. Augustinus pariter in *ep. ad Hier.* ait: *Qui vera virtute fortis est, nec temere audet, nec inconsultè timet.* Et D. Ambrosius *off. lib. 1.* inter cetera, omnium melius, hæc scribit. *Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, & iustitiam custodit: quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, vt auaritiam fugiat tanquam labem

211 *bem quandam, quæ virtutem effæminat.* Cicero quoq; lib. de off. iij. docet, *nullo modo viro ſimulandum eſſe quicquam, aut diſſimulandum ſui commodi cauſa: etiam ſi nos, aut conſuetudo, aut lex ciuilis quædam reiiceri non vetent;* inter cetera enim ſic ſcribit. *Quod ſi Aquiliana definitio vera eſt, ex omni vita ſimulatio, diſſimulatioq; tollenda eſt; ita nec vt emat melius, nec vt vendat quicquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir bonus.* Et paullo poſt. *Sed ſiue & ſimulatio & diſſimulatio dolus malus eſt, per pauca res ſũt, in quibus dolus iſte malus nõ verſetur. ſiue vir bonus eſt is qui prodeſt quibus poteſt, nocet nemini, rectè iuſtũ virũ nõ facile reperiemus. Nunquam igitur eſt vtile peccare; quia ſemper eſt turpe, & quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe ſemper eſt vtile.* Rurſus. *Intelligas nihil nec expedire, nec vtile eſſe, quod ſit iniuſtum; hoc qui non didicerit, bonus eſſe non poterit.* Ex his igitur colligere poterimus ſigna, quæ ſapientem virum fortem, timentemque Deum oſtendunt.

212 Alias quoque boni viri demonſtrationes proſequamur. *Dion. lib 36.* adducit Gabinium hæc dicentem. *Nemo bonus vir imperij cupiditate tenetur, ſibive grauium negotiorum curam exoptat, & in huiuſmodi re expedit munus impoſitum conſideratè ſubire, vt tutò idipſum liceat exſequi.* Cato vero, vt ex *eod. Dion.*

213 *lib.* 40. dicebat, *Boni viri eſſe adminiſtrationem reipub. ſi qui ipſa vti vellent, non ſubterfugere; neque tamen eam, vltrò quàm conueniret, expetere.* Huius ſententiæ fuit etiam *Cicero qui ep. 12. lib. 7.* docet, *eum bonum eſſe non poſſe, qui nihil niſi ſua cauſa facit.* Plato in Alcibiade. *Bonos eos vocat, qui in ciuitate præeſſe poſſunt:* & habetur in *l. vir bonus ff. iud. ſol.*

Bias dixit, Boni faciles ſunt deceptui.

Cicero *ep. 1. ad Q. Fratrem.* Vt quiſque eſt vir optimus, ità difficillimè eſſe, alios improbos ſuſpicatur.

Sophocles. Boni viri eſt, laborantes iuuare.

214 Euripides. Bonus eſt, qui rectè dicenti paret.

215 Plut. in Lycurgo. Quo enim pacto Charilaus vir bonus non eſt, qui ne improbis quidem moleſtus eſt?

216 Bonus erit ille ex Phocionis ſententia, qui, bona vltrò ſibi oblata, renuit; ipſe enim interrogans eos nuntios, qui ſibi dona nomine Alexandri Magni detulerant, quid nam eſſet cauſæ, cur ſe vnum Alexander inter tot claros præſtanteſq; Athenis viros donandum potiſſimum delegiſſet; accepit ab eis: quia te vnum ex omnibus virum bonum, & honeſtum iudicat: ſubdit ipſe, ſinite igitur qualem me iudicat, talem & eſſe, & videri perpetuò.

Sic & *Zonar. Hiſtor. lib. 2.* de Fabricio cum Pyrrho alloquente oſtendit, bono viro abijcienda eſſe munera ſibi oblata.

217 Ageſilaus eum virum bonum aiebat, qui loqueretur optima, & faceret honeſtiſſima.

218 Chilon Lacon bonos appellabat honeſtis moribus, & legibus inſtitutos, ac iuxta rectam inſtitutionem vitam agentes. Bonos vero omnes inter ſe oportet amicos eſſe, etſi ſunt minus noti: & poteſtate ipſa, qua mores eorum ſectæq; conueniunt, amici ſunt habendi; paria quippe a ſimilibus non abhorrent; inquit *Apul. de dogm. Plat. lib. 2.*

Craſſo dicente Stoicorum eſſe dogma, bonum virum eſſe diuitem: vide, inquit Cicero, ne magis hoc ſentiant, ſapientes eſſe omnia.

219 Lucianus in Palinuro. Bonus, ſecuruſq; fui, nullo timore angitur, nulla anguſtia torquetur, non diuitias, non à quocunque ſe læſi timet, qui nec quemquam ſe læſiſſe intelligat.

220 Diogenis eſt memorabile dictum relatum à *Plut. de tranquill. animæ*, dum peregrinum quendam conſpicaretur, ambitioſiſſimè ſe ad diem feſtum componentem. Quid, nonne bono viro dies omnis feſtus eſt? nempè ſi ſapimus etiam feſtiuiſſimus.

221 D. Ambroſ. in Pſal. 118. *Eſt inſitum bonis, vt caſtum pudicus, prudentem ſapiens, miſericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes ſuas in alijs amet. In pleriſque iuſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectionis lætitia eſt.*

222 Vir bonus mauult commemorare, ſe cum poſſit perdere, pepercisse; quam cum parcere potuerit, perdidiſſe. *Cicero pro Q.*

223 Seneca ep. 95. inquit. *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ò quam pulchram faciem, quam ſanctam, quam ex magnifico, placidoque fulgentem videremus? Hinc iuſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiaq; lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitaſq; & (quis credat) in homine rarum humanitas bonum, ſplendorẽ illi ſuum effunderent. Tum prouidentia, tum elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima: quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatiſque adderent? quanta eſſet cum gratia authoritas? Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret, & quæ ſequuntur.*

224 Idem Seneca ep. 83. ex ſententia Zenonis dixit, *Virum bonum non futurum ebrium. Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit: viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non erit &c.* Item ep. 81. Sic & *Afflic. d. rub. 45. lib. 2. conſtit. num. 52. verſ. octauo requiritur.*

225 Vir bonus vtroſque calculos ſic ponit, vt ſe ipſe circumſcribat: beneficio adijcit, iniuriæ demit. Ille alter remiſſior iudex, quem eſſe me malo, iniuria obliuiſci debebit, officij meminiſſe.

226 Idem etiam *Seneca ep. 73.* ſolebat ſæpius dicere, Iouem plus non poſſe, quam bonum virum. Plura Iuppiter habet, quæ præſtet hominibus: ſed inter duos bonos, quibus par ſcientia regendi gubernaculum eſt, meliorem dixeris, cuius maius, ſpecioſiuſq; nauigium eſt. Iuppiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus eſt. Sapiens nihilo ſe minoris æſtimat &c.

227 Diogenes dicebat, bonos viros Deorum eſſe ſimulacra.

228 Bonus vir, aut honeſta perſona, qui excommunicatus fuit, dici non poteſt *Soc. in conſ. 45. num. 1. lib. 1.*

229 Labores obſonium ſunt viris bonis ait Xenophon.

230 Græci exiſtimarunt à natura non permitti, à parentibus malis, bonos creari poſſe filios. Contra Demoſthenes dicebat, a viris bonis, quaſi fatis volentibus filios improbos naſci.

231 Quiſquis non tolerat malos, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia bonus non eſt, ait Diuus Gregorius.

232 Minutius, boni, ait, ſapientiſq; viri eſt, ſi errauerit, in reliquum tempus doctorem ſe ſibi aſciſcere.

233 Demarathus, improbo quædam ipſum intempeſtiuè interrogationibus cauillante, ac idem ſæpius iam rogante, quis optimus eſſet ſpartiatarum; qui tibi, inquit, diſſimillimus eſt.

234 Menander; nullus bonus exiſtens, facinus malum

hum committit; & iterum. Vir bonus multis in locis salutaris. Et in Pallace. In rebus perplexis vir bonus vtilis est.

235 Plato in Men. A bonis bona perdisces. *& iv. de leg.* bonum virum decet sacrificare dijs, & interesse diuinis: nempe illos prosequi orationibus, muneribus, alioq; cultu diuino.

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere, dixit Tiberius Cæsar.

236 Theognis. Viros bonos sequitur prudentia, & verecundia:

Quorum nunc inter multos exiguus est numerus.

237 Horat. *ser. lib. 4. od. 9.*

*Vindex auaræ fraudis, & abstinens*
*Ducentis ad se cuncta pecuniæ,*
*Consulq; non vnius anni.*
*Sed quoties bonus, atque fidus*
*Iudex honestum prætulit vtili: &*
*Reiecit alto dona nocentium*
*Vultu, & per obstantes cateruas,*
*Explicuit sua victor arma.*

238 Alia plura eiusmodi sunt, nempe
*Bonum ad virum cito moritur iracundia!*
*Malus est vocandus, qui sua causa bonus.*
*Malus bonus vbi se simulat, tunc & pessimus.*
*Miser dici bonus vir, esse non potest.*

239 Vir bonus est, inquit *Cic. lib. 3. de offic.* qui prodest quibus potest, nocet autem nemini.

Itaque verè fuit vir bonus: cum in eo nihil fictum, nihil simulatum esset, inquit *Xiphil. de M. Anton. Philos.*

Vir bonus nihil aliud est, quàm conscientia intra te loquens, & corde tuo, vt ait *Bal. in c. cum causam num. 61. de testib.*

Zonaras de Tarquinio sic ait. *Nam se bonum virum præbebat, pecuniam egentibus impartiebat, rogantibus libenter ferebat opem, malum faciebat, dicebatvè nemini; accepta beneficia exagerabat: offensas vel dissimulabat, vel extenuans obliuioni mandabat: eos à quibus læsus esset, adeo non vlciscebatur, vt etiam beneficijs demereretur. His moribus & Martium ipsum, & regios amicos sibi deuinxit, existimationem viri boni & sapientis consecutus, quam non perpetuo conseruauit.*

Minutius apud Plut. in Fab. Max. Vbi erratum est, inquit, rectè admonentibus obtemperare boni viri & sapientis est.

Decian. *in Apolog. c. xx* sic optime virum bonum describit. Si Christianus sit, religiosus catholicus, pius, timens, atque amans Deum, iustitiæ integerrimus cultor, iuris vtriusque apprime peritus, & hac perpetua voluntate constans, vt nihil dicat aut scribat, quod verum ex omni parte non putet, qui ius & æquitatem amans hæc sectetur, & diligenter inquirat, & reperta prudenter & doctè exponat; vt inquit *Tulius 1. de leg.* Et denique sit talis, qualem idem Tul. pro Cecinna C. Gallum Aquilium describit; his verbis. Nunquam Aquilij Galli authoritas nimium valere potest, cuius prudentiam P. R. in cauendo, non in decipiendo prospexit, qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxit, qui tot annos ingenium, laborem, fidem suã. P. R. promptam, expositamq; habuerit; & vir bonus est; vt natura non disciplina consultus esse videatur, ita peritus & prudens; vt ex iure ciuili non scientia solum, verumetiam bonitas eius nata videatur; cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, vt quidquid inde haurias, purum, nitidumq; te haurire sentias. *Et paullo post.* Bonus igitur sit vir de iure respondens, qui bonam mentem induat, & eam constantissime seruet & tueatur, quam nec tempus mutet, nec mutilet vlla potentia, nec frangat necessitudo, nec insolentia exulteret, nec auaritia deflectat, aut importunitas defatiget, &c. Atheniensibus Apollo cum respondisset, si vellent bonos viros in ciuitate prouenire, vt optimum, quod esset puerorum auribus insererent: illi aliud animaduertentes aurum inseruerunt, responso Apollinis non intellecto. Hoc enim puellas magis decebat, & Sydorum aut Phrygium pueros. Græcorum enim pueris nihil aliud congruebat quam eruditio & sermo, quæ nactos merito efficiunt viros & ciuitatum seruatores; inquit *Dion Chrysost. orat. xxxij.*

Tandem non multum insudandum erit, quærendo quis nam sit bonus vir, si Lycurgi tempora attigissemus; ita enim in ipsius vita scribit *Plut.* Si quis enim quæsitus, quis nam esset bonus ciuis, aut quis minus probatus esset, hæsitet respondendo, animi signum arbitrabantur degeneris, & qui nulla virtutis laude tangeretur. Oportebat autem responsionem & breuem esse, & celerem, causa, & demonstratione concludentem: quamobrem, qui minus ritè, vel negligentius respondisset, plectebatur. Præterea quicunque candidati titulo salutaretur olim, boni viri dicebantur. Cum autem Magistratum, adepti essent; ijdem optimi appellabantur. Vnde & Optimates de candidatis est illud *Seneca ad Lucilium lib. i. Ep. iij.* dum ait. Sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obuios, si nomen non occurrit, dominos salutamus. Et sane secundum *Dion. Chrysost. orat. 21.* optimi dicuntur publica negotia tractantes iustè & honestè, cum publica magis quam priuata conspicua sint. 240

Et quia nemo sine crimine viuit; is vocandus bonus, qui minimus vitijs vrgetur. Vnde Horat. 241

*Nam vitijs nemo sine nascitur; optimus ille,*
*Qui minimis vrgetur.*

Improbi vero dicuntur ij Magistratus, qui aliquid ægri semper in repub. adesse nolunt, vt ad eius curationem adhibeantur: sic enim colligitur ex *Liu. Dec. v. lib. i.* 242

Rectè obiectum fuisse Syllæ arbitror, prout de eo *Plut. 2.* quonammodo bonus esse potes, qui, cum nihil à patre relictum tibi sit, tot, ac tanta possideas? aliud non dissimile. 243

*Repente diues nemo factus est bonus.*

D. Gregor. *lib. 12. moral.* Mens praua semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quæ inferat, vel metuit, nec hæc sibi ab alijs inferantur; & quicquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari à proximis formidat. 244

Malus est, qui ex mala vxori natus est, sic enim prædixit Domitius de se & Agripinæ moribus, inquiens. *Non enim fieri vllo modo potest, vt ex me & illa vir bonus nascatur*, vt apud *Xiphil. in Nerone in prin.*

Difficile summa atque absoluta præditum vtentemque potestate bonum virum esse, dixit *Plut. in septem Sap. conuiuio.*

Cicero pro Roscio Comœdo, de abrasis capite. Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, clamitare calliditatem videntur? *Et paullo infra.* Qui idcirco capite & supercilijs semper est rasus, ne vnum pilum boni viri habere dica-

dicatur. At Caluitij laudes descripsit Synes.

243 Ille tandem bonus erit, cuius domus non obserata, non occlusa, sed patens est omnibus, qui nusquam vlli molestus occurrit, nemini propter importunitatem impedimento est, non longo seruorum agmine insolens, non delicijs, somno, nimioq; sumptu insignis, sed si æquus & lenis, afflictis patronum sine mercede, fidumq; consiliarium, atque inter litigantes facilem aptumq; conciliatorem se exibuerit. Scio tamen vllum vnquam Senatorem inuentum esse, in quo nihil ad consumatam laudem desiderari posset. Nullus certe sine crimine, & deteriorum affectionum expers nemo reperitur; cum id diuinæ fœlicitatis proprium fuerit, nec vnquam in hominis naturam cadet.

## CAPVT XVIII.

*Iurisperitis, qui consulendo, aut publicè legendo operantur, vtrum munus Senatorium sit decernendum, an illis potius, qui in Aduocati, patroniuè, aut iudicis officio sint exercitati.*

246 CIceronis doctrina est 1. *de offic.* vt nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quidquam magna lude dignum sine vsu & exercitatione consequi possint. Pluris enim est considerate agere, quàm cogitare prudenter. Aristoteles quoque voluit, vt sapientes Magistratus, non propter Magistratum, sed propter virtutem, in administratione sint; cum & Plato dixerit in Lachete, conuenire, vt qui res maximas regit, plurima sit prudentia præditus. Sic & Eusebius, volens illum, qui alijs præest & præcipit,
247 non solum regendi & imperandi potestate, sed dignitate prudentiaq; subditis antecellere debere. Hæc autem per exercitationem & vsum, qui sapientiam conciliant, magis quàm per speculationem, percipiuntur. Hinc *Apul. in Flor.* Ex innumeris hominibus, pauci Senatores, ex Senatoribus pauci nobiles genere, & ex his consularibus pauci boni, & adhuc ex bonis pauci eruditi. Et *Mamer. in panegyr. Maxim. iij.* sic ait. *Iustitia cognitione iuris addiscitur; ipsa denique illa, quæ videtur omnium rerum domina esse sapientia perspectis omnium moribus, & exploratis docetur rerum euentis. Vir ergo vsu rerum peritus atque exercitatus erit ante alios nominandus*; vnusquisque enim, teste *Arist. Eth. 1. cap. 3.* ea rectè iudicat, quæ cognoscit, atque eorum bonus iudex est: vnamquamq; igitur rem bene iudicat, qui in ea eruditus est. Quemadmodum enim aliquis computando partibus coniunctis, totum ex ipsis resultans colligere potest: ita in rebus quoque ratio quidem speculationem vniuersalem detinet, experien-
248 tia vero singularia iudicat, teste Archita apud Stobeum de prudentia, vbi etiam ex Sophocle in Antigone dixit. *Fieri haud potest cuiuspiam vt promoueris animum, atque mentem, siue sensum, ni prius imperia nactus gesseris ciuilia*; alij vertunt, & melius.

*At difficile cuiuslibet hominis animum*
*Sententiam aut prudentiam est pernoscere,*
*Ni publice sit functus ille munere,*
*Vrbisq; rectè exercitatus legibus.*

Tacitus quoque iij. Annal. adducit Tiberium hæc de Nerone dicentem: *Neq; nunc properè, sed per octo annos capto experimento.* Et xv. Annal. voluit, eos qui doctrinam oretenus exerciti animum bonis artibus non induerunt, repellendos esse, quia prudentis parens est vsus, vt dictum est, qui teste *Plin. lib. xxxi.* est efficacissimus rerum omnium magister, quod etiam *Cicer. de orat.* firmat, & probat *Arist. Eth. x. cap. vlt.* his verbis. *Quisquis in re ciuili intelligens haberi vult, est ei opus experientia*, quæ ex *Ouid. in metam.*

*——— seris venit ab annis.*

Et sine qua ex Horat. Od. iv. in iij.

*Vis consilij expers mole ruit sua.*

Est etiam non expertus certior sciente, vt ait *id. Arist. Metaph. lib. 1. cap. 1. & Ægid. Rom. de regim. prin. lib. 3. parte 2. cap. 17.* Hinc *Plin. Ep. iv. in fine lib.* 249
1. de Mauritio loquens egregiè Senatorem his verbis pingit. *Vt sit vir grauis, multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præteritis prouidere.* Et de se ipso loquens, inquit, Ep. xix. *Adyciam, quod me docuit vsus magister egregius, frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in consilio fui.* Rursus ep. xiv. lib. viij. Aristoni sic scribit. *Cum sis peritissimus & priuati iuris & publici, cuius pars Senatorium est, cupio &c.* Gell. quoque lib. xiv. c. iv. sic ait. *Maxime* 250
*hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaq; sapientia opinatus est, quod eam filiam esse vsus, & memoria dixit: eo namque argumento demon-* 251
*strat, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis, atque disciplinis, sed oportere eum versari quoque, exercereq; in rebus humanis noscendis pericli-* 252
*tandisque, eaque omnia acta, & euenta firmiter meminisse, & proinde sapere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerunt, non quæ libri tantum, aut Magistri per quasdam inanitates verborum, & imaginum tanquam in mimo, aut somnio delectauerint.* Congruit *Plat. locus de moribus philosoph.* talis. *Nunc illud animaduerti: non esse mirum, eos, qui in philosophia longo tempore versati sunt, cum in forum venerunt, ridiculos agere oratores, docens mirandum non fuisse, si quandoque aliquos iuris sapientes, sed forensium negociorum haud scientes, ridicula quadam egisse vidimus.* Addamus *D. Ambros. de off. lib. ij. cap. viij.* sic de consiliario eligendo loquentem. *Quod si eum inueneris, qui viuacitate ingenij, mentis vigore, atque auctoritate præstet, & accedat eò, vt exemplo & vsu paratior sit, præsentia* 253
*soluat pericula, prospiciat futura, denunciet imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore &c. Ægid. quoque Rom in tract. de regim. prin. lib. iij. p. ij. cap. xxi.* (à quo Bar., vt ipse fatetur, desumpsit tractatũ de regim. ciuitatis) de consiliarijs scribens, his vtitur. Decet eos tales quærere, qui sint humiles, non excedentes auctoritatem sibi commissam, sint prudentes in legibus, scientes eas applicare ad litigia exorta; habeat zelum iustitiæ, vt non odio vel amore sententias proferat, habeant experientiam agibilium, vt cognoscentes particularia acta, melius discutiant causas. Subscribit ex nostris *Bal. in prœm. instit.* inquiens, *ad rectè iudicandum requiri & summam peritiam, & casuum experientiam, per §. quia vero in auth. de iud.* ipsi namque iudici locus ab experientia debet esse pro via veteri & tu[illegible], inquit Euer. in loco à cõtrario sensu *num. 17.* vbi [illegible]lura: alia per *Auilem in c. prætorum 4. glos. que los diere num. 10. & 11. & per Maynard decis. Tholos. 77. p. 1.* Idem voluit *Quintil. instit. orat. lib. vi. cap. vlt. & Isocrat. ad Demonicum*, inquiens, *vim prudentiæ adiunctam vsui esse, & sine ea abire magis in noxam.* Non dissentit *Salust. in Iugur.*

*de Mario* scribens. *parum sibi placere eas litteras, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* Tandem cõmunis est omnium Theologorum & iuristarum sententia, vt tria omnino requirantur ad efficiendum dignum aliquem dignitate, nempè vitæ probitas, scientia, aut doctrina, & in peragendis negotiis, ad quæ eligitur, industria. Magna aliqua atque difficilis causa pulcherrime iudicata; integritas & fides imbecilli clienti præstita, præsertim aduersus potentem litigatorem, alioque id genus viam candidato munient.

254 Erunt ergo nominandi, qui & in aduocatione, iudicandiue munere diu sunt versati teste *Afflic. ad constit. rub. 45. num 51. & Tessaur. in d. præfat. num. 26. in prin. Maynardo d. decis. 77.* Exemplo etiam Romanorum, de quibus *Sigon. de antiquo iure Rom. lib. 11. cap. 11. Cicer. III. de legib. Io. Rossino antiq. Rom. lib. 2. c. 2. vers. quinetiam ætatem.* Idem tenuit *Athalaricus Rex apud Cassiod. Ep. xviij. lib viij.* inquiens, *Professionem constat esse iustitiæ, legum peritus iudices ordinare: quia vix potest negligere, qui nouit æquitatem, nec facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit. Dudũ te forensibus negotijs insudantẽ &c.* Accedat *Plin. in Panegyr.* his verbis. *At nunc si benè aliquis prouinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur. Patet enim omnibus honoris & gloriæ campus. Ex hoc quisque quod cupit, petat, & ascensus sibi debeat.* Et paullo post. *Nihil magis prodesse candidato adsequentes honores, quàm peractos optimè magistratus. Magistratus Magistratu, honor honore petitur.* Marcell. autem *lib. 23. c. 12.* de Persis sic ait: *Ad iudicandũ enim vsu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consilijs indigentes*: vnde nostram consuetudinem rident, qui interdum facundos, iurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga. Et si patiens litterarũ deffectus æquiparatur cœco, *vt in c. post translationem § item si quis de renunt.* sequitur, vt iuris imperitus cœcus quoque sit, *c. nihil sit de elect. & c. vlt. de temp. ordin. lib. 6.* Probantur præmissa per *tex. in l. 1. C. ad Maced. in l. 3. ff. eod. & in l. 2. ff. de off. præt.* in verbis, qui competentes causas, & debitos actus integrè disceptare, atque tractare debebunt. Rerum enim singularium prudentia, & cognitio, vt iam diximus, per vsum acquiritur, & probat *Arist. vi. Eth.* quo vsu deficiente necesse est, vt respub damnum patiatur; ex his quæ Plato de legibus *Dialogo 3.* de medicis, & Iudicibus loquens diffusè tradit. Sicuti enim medendi officium non alteri, quam medicæ artis perito, nec nauis, nisi nauticæ rei experto, atque in periculis probato committitur, sic & dignitas senatoria in iudicandi munere, & forensibus negotiis exercitato erit tantùm conferenda. Existimo enim ociosam hanc disciplinarum tractationem, quam domi libri suppeditant, eamque organico corpori animam desideranti, qua per sensum experientiam accedat, similem esse; aut etiam variis ciborum generibus in ventrem congestis, qui calorem ad coquendum postulent, comparari posse. Is vero calor non alius sit, quam vsus, & variarum rerum experientia. Cernimus enim plerosque, qui inani tranquillitatis studio in vmbra & ociosa lectione animi vires eneruarunt, atque effœminarunt, vt nec dicere, nec agere quicquam publicè audeant. Scribit de Philippico Imper. *lib. 3. Annal. Zonar.* eum in dicendo quidem disertissimum habitum fuisse, nec prudentiæ expertem: ad res autem gerendas omnium ineptissimum, & ingenio planè sinistro. Firma ergo ex his remanet pro viris exercitis, ac experientia doctis nostræ sententiæ.

Peccat etiam mortaliter ille, qui negotiis sibi 255
ignotis se immiscet, & qui earum rerum ignarus, sine quibus debitum officium exercere perfectè nequit, audeat opus attentare, ac litem facit suam, vt tradunt *D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 2. Auil. in c. prætorum 4. num. xi. & xij. & Dec. in l. culpa non caret ff. de reg. iur.* Huius autem peccati causa sunt, qui hunc inhabilem ornant magistratu, ergo & ipsi in culpa, de qua re infra *cap. xxi. in fine.*

Præmissis addendum est, quod Vopiscus in Aure- 256
liano scribit, quærens, quæ res malos principes faciat, ait enim, primum nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici, vel stulti, vel detestabiles, subdit, &, quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia.

Solers quoque & diligens sit, nam piger domino 257
suo nocet, vt in Prouerb. Salom. & per *Afflic. in constit. d. rub. 45. sub num. 55. vers. Duodecimo.*

Ex his dignosci facile poterit, quàm vera sit *Io. Matienzi sententia in dialog. p. 3. cap. 9.* idem quod & nos sentientis.

---

## CAPVT XIX.

*Digniores esse præponendos.*

SED ecce permulti sunt, qui iudicantur idonei, sed non omnes in alicuius demortui locum; tres enim tantùm, vt iam diximus nominari possunt. Erit ne aliquis ordo in his proponendis seruandus? Erit quidem; nam & merita petentium,
vel vltrò nominandorum, nataliumq; splendor con- 258
siderari oportet, & tandem digniores seligendi. Sic enim cauetur in *l. in nomine Domini §. quoniam ideo C. de off. præfec. præt. Affric.* dum ait conuenire, vt vnusquisque secundum labores suos ad meliores gradus, & ad maiores dignitates producatur; huic alij non dissimiles sunt *tex. in l. 1. C. de castr. pecul. & in l. 2. C. de veter. lib. xij.* Et tradiderunt *Abb. in c. constitutus num. 4. de app. & Mars. latè in praxi § aggredior num. 120.* Fides etenim diuturna industria litteraria, probitasq; commendat officialem. *Io. à*
*Plat. in l. agentes C. de agen. in reb. in l. proximos C. de* 259
*prox. sac. scrin. & in l. 1. C. de diu. off. in fine d. lib. 12.* prodestq; hactenus fuisse bonum, ait *glos. in d. l. proximos*, ac per gradus ascendere maxima laus est, ex *Pollione in Valeriano in prin.*

Illi ergo qui actu inseruierunt, vel inseruiunt,
præferri debent, vt *not. in l 2. in prin. per illum tex.* 260
*C. vt dig. or. seru.* & probatur *in auth. de Prouin. Præsid. constit. 151. in verbis*, sancimus vt illi Magistratum gerant, qui & bona existimatione noti sunt, & in exercenda iustitia plurimum reportauerunt sollicitudinis. Sed & citra vllum munus & largitionem, Magistratus suscipiant. Increpat *Plut. Agesilaum 20.* his verbis. *Erat sine dubio maximus iam Agesilaus, & omnium, qui tum viuebant mortalium, quemadmodum Theopompus scribit, clarissimus. Equidem cum plus ex virtutibus sibi, quàm propter imperium vendicaret, maritimam tamen rem Pisandro committens, videtur parum fecisse consultè, quod multis tum & natu, & rerum peritia maioribus præsentibus, non patriæ rationem*

*tionem habens, sed affinitatis, vxorisq; eius frater Pisander erat, gratiam captans, maritimum iuueni imperium demandauit.* Propterea rectè admonet Sophocles ex hac vna re rempub. defluere.

*Hi namque plures defluunt respublica,*
*Dum strenuum qui prabet, & fortem virum*
*Non plus honoris, quàm vir ignarus capit.*

Sic etiam *Cassiod. var. Ep. xiij. lib. vi.* inquiens, *Si honor defertur ociosis: si interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid persona tantùm gratia suffragatur: quo studio remunerandi sunt, qui ad agenis sui pramia peruenerunt.* Maiores nostri, inquit *Cic. pro Sextio*, cum regum potestatem non tulissent, ita Magistratus annuos creauerunt; vt consilium Senatus Reipub. proponeretur sempiternum, deligerenturq; autem in id consilium ab vniuerso populo, aditusq; in illum summum ordinem omnium ciuium industriæ, ac virtuti pateret; digniores ergo eligendi. Qui enim suis consilijs, suisq; laboribus pro toto orbe terrarum die, noctuq; laborant, quare non habeant dignam suæ prærogatiuam fortunæ, inquit *tex. in l. bene à Zenone circa finem C. de quadrien. præscrip.* plura alia nuper referuntur à *Ioan. Matienzo in Dial. p. 3. c. 2. & sequentibus.* Multas causas meritorum recenset *Gul. Bened. in c. Raynutius de testam. vers. vxorem nomine Adelasiam num. 94. & seqq.* inter quas connumeratur natalium

261 splendor. Sunt enim nobiliores proponendi, quia pro eis semper præsumitur, vt sint probatæ & integræ vitæ, quodque iustitiam colant, *glos. in c. illud 40. dist.* cum alijs multis adductis per *Decian. resp. 18. num. 22. & 23. lib. 1. & Theodor. Rege apud Cassiod. var. Ep. xli. lib. 1.* sic ait. *Vnde melius nobilitati collegam quærimus, quam de vena nobilium, qui se promittat abhorrere moribus, quam refugit sanguine vilitatem.* Et *Ep. xvi lib. viij. idem Cassiod. melius*, inquit, *agnoscitur elegisse nobilem, quàm fecisse fœlicem: quia iste commonitus per veterem se facta custodit, ille exemplum non habet, nisi quod fecerit.* Idem quoque probat *Plin. in Panegyr.* & voluit *glos. in verbo nobilitati in c. vlt. de pœn. per tex. in c. non satis, vers. item si consideranda 86. distin. alia glos. in c. statuimus in verbo potiorem de maior. & obed.* vbi *Bal. & Fel. in c. cum adeo per illum tex. col. 3. num. 7. & sequen. vers. nobilitas de rescrip. tex. clarus in §. 1. in prin. in verbo nisi obscuri, & in vers. vniuersi nobiles, & in §. vlt. in verbis vnumquemque nobilium in auth. de defens. ciuit. Babat. cons. 35. col. 1. lib. 2. & in cons. 53. col. 4. eodem. Lucas de Penna in l. pracepit col. 3. C. de canon. largit. lib. 10. Rol. à Valle cons. 12. num. 99. lib. 3. Auil. in c. pratorum glos. le cumple num. 4. & sequen. Tiraq. post alios de nobilit. cap. 20. num. 1. Matienz. d. 3. par. cap.*

262 5. Contra vero, qui maxime ex millibus nati sunt, cum dignitatis nacti fuerint, licentius in arrogantiam tolluntur, quippe qui ad repentinos honores inepti sunt ait *D. Chrisost. & iam citati.* Leuissimus quisque, inquit *Lucian. in dialogo*, qui inscribitur imagines, cum aut re nummaria antecellerit alios, aut in ciuiles quoquo modo honores incurrerit, inopinata statim fœlicitate lasciuire solet. Huius rei singulare exemplum tradit *Tacit. Annal. iij.* Iunio Ottoni litterarium ludum exercere ars fuit, mox Seiani potentia Senator, obscura initia impudentibus ausis propolluebat. Pulchrè *Alciat. in Emblemate.*

*Aeream propter creuisse cucurbita pinum*
*Dicitur, & grandi luxuriasse coma.*
*Cum ramos complexa, ipsumq; egressa cacumen*
*Se præstare alijs credidit arboribus.*
*Cui pinus. Nimium breuis est hac gloria, nam te*
*Protinus aduenit qua male perdat, hiems.*

*Ammian. Marcell. lib. xxviij. cap. 4.* sub Valentiniano, funestam illius temporis conditionem deplorat, inter cetera inquiens. *In id tempus, aut non multo prius scopa florere sunt visa, quibus nobilitatis curia mundabatur. Idque portendebat extollendos quosdam despicatissima sortis ad gradus potestatum excelsos.*

Congruit ergo, vt in demortui alicuius numerum, prout de Areopagio scribit Isocat. cooptari illis solis sperare liceat, qui claris natalibus orti, virtutis ac modestiæ documenta permulta honestate vitæ dederunt. Est enim boni Principis nobiles familias etiam collapsas restituere, & merentes augere, fouereque; teste *Plin. in Panegyr.* & habetur *in l. honor §. de honoribus ff. de hon. & mun. Gul. Bened. in d. c. Raynutius num. 93. & seqq. de testam. verbo vxorem nomine Andelasiam.*

Honores etiam gradatim conferendos esse, omnium est sententia, de honoribus primis loquitur *l. 1. §. qui in fraudem ff. de vacat. mun. & l. 2. §. præses prouincia ff. de mun. & honor.* ex quibus ad maiores ascensum parare quis sibi possit. *l. honor §. gerendorum, & l. vt gradatim ff. de mun. & hon.* Optimè *Cassiod. Ep. 1.* iunioribus conceditur spes laboris, dum vicissitudo fuerit reddita veteranis, & alibi eod. lib. Benè moderatrix omnium rerum antiquitas considerauit, vt laboris sui precia recipiant, qui publicis necessitatibus obsecundant, ne quis haberetur præteritus, qui probabili ratione fuerit laudandus. Propterea ex equestri ordine legebantur Senatores, quia equester ordo quasi gradus ad Senatorium erat, & vt *Liu. lib. xlij.* ait, *seminarium Senatus*; Sic etiam Festus tradit, & scripserunt *Dion. lib. liv. Gell. lib. iij. & Suet. in Augusto.* Comprobat Lamprid. in Alex. Seuero, inquiens: *Et ne præceps ista honorum continuatio videatur, exponam causas, quibus id Senatus coactus est facere, & ille perpeti. Non enim aut grauitati Senatus congruebat omnia simul deferre, aut bono Principi raptum ire tot simul dignitates. Theopompus Laconicus, cum Pylij ei maiores honores decreuissent*, dixit, *mediocres quidem honores tempore augeri: sed excedentes nimiosq; euanescere.* Vopiscus in Aureliano his vtitur. *His litteris indicatur quantus fuerit Aurelianus, & reuera: neque enim quisquam aliquando ad summam rerum peruenit, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascenderit.* Idem etiam docuit Trebell. Pollio in Valeriano, his verbis. *Valerianus Imperator nobilis genere, patre Valerio. Censor antea & per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens, cuius per annos xx. vita laudabilis, in eam conscenderat gloriam, vt per omnes honores, & Magistratus insigniter gestos Imperator fieret.* Apertissime hoc docuit *Leo Papa in c. miramur 61. distin.* ibi, *ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire.* Subscripsit *Zosimus in c. si officia distin. 59.* inquiens. *Officia secularia principalem locum, non vestibulum actionis ingressis.* Idest nouis in huiusmodi, sed per singulos gradus examinatis deferunt. Sic etiam *D. Greg. in Reg.* Ordinate ad ordines accedendum est; nam casum apetit, qui ad summa loci fastigia propositis gradibus per abrupta ascensum quærit. Permulta retulit *Menoch. de arb. iud. casu*

 563.

*563. aut 564. in poſtrema editione*. Nobis quoq; quod à *Plin. lib vij. cap. xcij.* de annis ætateq; hominis, idipſum etiá de dignitatibus & honoribus dicere licebit, vt ſit & honorũ ſcanſilis lex, per quam ad ſummas dignitates, magnos Magiſtratus quibuſdam, veluti gradibus conſcendimus. Non diſſentit *Ammian. Marcell. lib xx.* dum his vtitur. *Vt rerum integer ordo ſeruetur, præmiaq; virorum fortium maneant incorrupta, nec honores ambitio percipiat clandeſtina, id ſub reuerenda conſilij veſtri facie ſtatuo, vt neque ciuilis quiſquam iudex, nec militiæ rector alio quodam præter merita ſuffragante ad potiorem veniat gradum, non ſine detrimento pudoris, eo qui pro quolibet petere tentauerit diſceſſuro*. Huic ædicto conſimiles ſunt leges multæ. *Modeſtinus enim in d. l. vt gradatim in prin ff. de mun. & hon.* ſic ait. *Vt gradatim honores deferantur edicto, & vt à minoribus ad maiores perueniatur*, Epiſtola D. Pij ad Titianum exprimitur; cui ſubſcribit *eod. tit. Caliſtratus in d. l. honor §. gerendorum*, his verbis. *Gerendorum honorum non promiſcua facultas eſt, ſed ordo certus huic rei adhibitus eſt*. Nam neque prius maiorem Magiſtratum quiſquam, niſi minorem ſuſceperit, gerere poteſt, neque ab omni ætate, neque continuare quiſque honores poteſt. *Vlpianus in l. quæ vtilitatis ff. de neg. geſt.* voluit, ſumptum, quem quis fecerit, vt aliquis per gradus ad honores perueniret, honeſtum eſſe; & vtiliter in negotia eius, qui honoribus auctus ſit erogatum, negotiorum geſtorum actione repeti poſſe, quaſi non honeſtum, niſi gradatim prouehi quiſquam poſſit. Conſtituit & *Iuſtinianus in l. nemo C. de aduoc. diuerſ. iud.* per ſaltum, vt dici ſolet promotos dignitate frui non debere; his enim vſus eſt verbis. *Nemo, excepta Menandri fiſci perſona, ſperet de cetero permutationem ſaltibus ſuperiore gradu captato fruiturum ſe beneficijs, quæ patronis ærarij ſeu dum officium exhibent cauſis fiſcalibus, aut poſt impletum agmen imperitia monſtrantur*. De his plenè per *Ian. Langlæum Semeſtr. lib. vij. cap. 1. Io. Matienzum in Dial. p. 3. cap. 68.* & per *dictum Benedict. in d. c. Raynutius num. 94. & ſequen.* vbi *ſub num. 97.* inter cetera allegat notata in *l. fin. C. de off. mag. mil.*, ibi; *tuamq; magnitudinem, quæ nobis ex ante geſtis optimè commendata eſt, idoneam ad talem fore dignitatem confidenter eligimus. sex. in inſtit. in proemio §. cumque*, ibi, *quorum omnium ſolertiam & legum ſcientiam, & circa noſtras iuſſiones fidem iam ex multis rerum argumentis accepimus. Idoneos enim conuenit rebus gerendis præficere, non eos qui Magiſtratus ambiant, quos multos quidem &c.* ait *Gabinius apud Dion. lib. xxxvi.* Sic etiam *M. Tullius lib. iij. de legib.* ſcriptum reliquit. *Sunto ædiles curatores vrbis annonæ, ludorumq; ſolemnium, illiſq; ad honoris amplioris gradum primus aſcenſus eſto*. Idem ſentit ipſe *Cic. in part. orat.* his verbis: *à minoribus ad maiora aſcendimus*. Legimus quoque apud *Caſſiod. var. lib. i. Ep. iv.* Theodoricum Regem Senatui Romano, ita ſcripſiſſe. *Hinc eſt quod Caſſiodoro illuſtri & magnifico viro, præcipua in reipub. claritate notiſſimo, Patritiatus dedimus pro remuneratione ſuggeſtum, vt honore magni nominis declarentur merita ſeruientis, qui non fragili fœlicitate prouectus fortunæ ludo ad apicem faſcium repentinis ſucceſſibus euolauit, ſed vt creſcere virtutes ſolent, ad faſtigium præconij conſcendit gradibus dignitatem*. Inquit etiam *Mart. Laudenſ. de Prin. quæſt. 99.* Principes à Deo optimo miſſos in terram eſſe, vt præmient bonos, malos vero puniant. *c. ſolita de maior. & obed. c. ad reprimendum de off. ord.* Ideo cum quis ſe benè geſſit in officio, debet ad maius promoueri. *l. in nomine Domini C. de off. præf. l. vt virtutum C. de ſtat. & imag. & not. in l. 1. circa prin. ff. de iuſt. & iur.* Et Vopiſcus in Aureliano; neque enim quiſquam aliquando ad ſummam rerum peruenit, qui non à prima ætate gradibus aſcenderit. Iterum *Caſſiod. ep. xiij. lib. iij.* Nam quid dignius ſi Senatorio veſtiatur honore togata profeſſio? vt in illa turba doctorum, audeat turba liberam proferre ſententiam: nec frenetur imperitiæ terrore, quem hortantur ad vocem iura facundiæ. Glorioſa eſt denique ſcientia litterarum, quia, quod primum eſt in homine, mores purgat: verborum gratiam ſubminiſtrat: ita vtroque beneficio mirabiliter ornat, & tacitos, & loquentes.

Digniores ergo præferendi ex prædictis, & Li- 264
curgi inſtituto, vt de eo refert Plut. in hæc verba:
*Seniores, vt dictum eſt, Licurgus inſtituit primum ex ijs,
qui conſilij participes extitiſſent, poſtea vero in demortui
locum ſtatuit eum aſſumi, qui virtute ceteris præſtare iudicatus
eſſet, & quæ ſequuntur*. Sic & Plin. ep. xxij.
lib. vij. dum hæc ſcribit: *Minus miraberis, me tam
inſtanter petijſſe, vt in amicum meum conferres Tribunatum,
cum ſcieris, quis ille, qualiſque poſſum autem iam
tibi & nomen indicare, & deſcribere ipſum, poſtquam
polliceris. Eſt Cornelius Minutianus ornamentum re- 265
gionis meæ, ſeu dignitate, ſeu moribus, natus ſplendidè,
abundat facultatibus, amat ſtudia, vt ſolent pauperes.
Idem rectiſſimus Iudex, fortiſſimus aduocatus, fideliſſimus
amicus. Accepiſſe te beneficium credas, cum proprius
aſpexeris hominem omnibus honoribus, omnibus titulis
(nihil volo elatius de moderatiſſimo viro dicere) parem*.
Zonar. Annal. lib. 3. de Leone Armenio Imperat. *pag. 105. col. 4. in prin.* ſic loquitur. *Magiſtratus tam ciuiles, quàm militares, delectu ex optimis habito conferebat. Romanorumque prouinciarum præfecturas neque pecunia venum exponebat, neque ex gratia viris ineptis ad Magiſtratus, aut auaris, & ius pecunia vendentibus largiebatur. Quod ſi etiam nunc fieret, res bene ſe haberent*. hæc ille. Huius quoque ſententiæ fuit *Theod. Rex apud Caſſiod. ep. 41. lib. 1.* dum inquit: *Præcipua veſtri ordinis cura, cautiora nos facit proferre iudicia: & admittendos reuerendo cœtui, examinare facit ſollicitus honor Senatus, quem non ſolum volumus numero augeri ciuium, ſed ornari maximè luce meritorũ. Recipiat alius ordo fortè mediocres, Senatus expuit eximiè non probatos*. Et ep. ſequen. eod. lib *Illa quæ potiora credimus, ad conſeruandum melioribus damus: & in quibus ſuſtinere damna non patimur, fidelioribus profecto mentibus applicamus*. Item ep. 33. lib. 3. *Gratum nobis eſt, vota noſtra circa ſacri ordinis augumenta proficere, qui Senatoria mereantur luce radiare, vt laude conſpicuis deferatur gratia dignitatis*. Idem etiam ſentit *Cagn. in ea Ep. de regim. boni prin. num. 155.* dicens. *Cum igitur magiſtratus & officia conferre volueris, quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur: eos aſciſcas, non qui plurimo emunt, non qui improbiſſime ambiant, non qui cognatione, vel gloria aliqua à te impetrent; ſed qui moribus ſint integri, & ad functionem mandati muneris aptiſſimi*. Citatque illud Claudiani in laudem Honorii

*emitur ſola virtute poteſtas*.

Sic etiam tenuit *Plut. in lib. de ciuil. admin* inquiens, *optimi, & modeſtiſſimi ſemper eligendi, optima enim abſque contentione optimi conſulunt*. Addamus Feſtum in hæc verba loquentem. *Donec omnia tribunitia interuenit*,

*uenit*,

*uenit, quā sanctum est, vt censores ex omni ordine optima quæque curiarum legerent*. Item à Regibus, Censoribus, Consulibus eos, quos maxime dignos censebant, vel amabant lectos fuisse Senatores. Inquit etiam Imperator in *auth. de mand. prin. col. 3.* Festinabis consiliarium assumere virum optimum, & purum, vndique legem & iustitiam puris seruantem manibus. Ad hæc etiam *Hester cap. 1. & quæ Plin. in Panegyr.* in hunc modum scribit. *Amas constantiā ciuium, rectosque ac viuidos animos, non, vt alij, contundis ac deprimis, sed foues & attollis. Prodest bonos esse, cum sit satis, abundèque cum non nocet. His honores, his sacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia sua, hi iudicio florent; acuuntur isti integritatis & industriæ pretio, similes, dissimiles alliciuntur. Nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Pauci adeo ingenio valent, vt non turpe, honestumque prout benè ac secus cessit, expetant, fugiantue: ceteri vbi laboris inertia, vigilantia somno, frugalitatis luxuria merces datur eadem ista, quibus alios artibus assecutos vident, consectantur quales sunt illi, tales esse, & videri volunt, & dum volunt fiunt.* Antigonus cuidam ignauo, orto tamen ab insigni belli duce postulanti se ceteris anteferri respondit. Apud me virorum non parentum virtutibus præmia sunt.

Non erit subticendum, quod si eligo aliquem ad officium, non possum eum reprobare ad aliud officium simile. Ita *Innoc. in c. cum venerabilis de excep.* & habetur *in c. ad præsentiam de testib. Innoc. sequitur Mart. Laudens. de officıal. prin. quæst. 135.*

---

## CAPVT XX.

*Qui meliores & digniores dici possint.*

QVæstionem sanè subobscuram & perdifficilem attigissemus, si meritorum inæqualitatem
266 æqua lance, infallibilique iudicio, definiendam ponderandamque proponeremus: Sed eum meliorem & digniorem accepimus, qui inter eos, qui in promptu sunt, aut commodè dignosci possunt, & obtineri, aptior, & vtilior respectu loci, & muneris videtur, prout tradit *S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* & ibi *Caiet. in fine.* Non autem quod illi muneri absolutè sit aptior & vtilior. Id enim humanas ferè vires excedit, egetque maxima sapientia, vsu, ac diuino consilio secundum Paleotum *de Sacra. consistorij consult. p. 4. q. 1.* Nam quamuis inter doctum, &
267 indoctum; exercitatum, & non exercitatum facilè sit discernere: attamen quando plures sunt verè docti, & exercitati, quis eorum sit doctior, aut vsu peritior, nisi in maximo discrimine difficillimum est iudicare, vt aduertit *Sot. de iust. & iur. lib. 3. q. 6. art. 2. ij. conclus.* discernere enim imperitos ab imperitis, seruet tamen peritos exhibentibus, nonne tibi videtur res plena laboris, & negotij? ait *Lucian. in Dialog. Hermot. sine de sect.* Sæpe accidit, vt vnus sit doctior, alter exercitatior, vnus ingenio præcellat, alter iudicio, alter iurisprudentia, alter dexte-
268 ritate: quæ omnia sanè in ipso Senatu sunt necessaria *glos. enim in c. vt veterum q. distinc.* inter cetera inquit, *non omnes in omnibus, sed certi per certa vel meliores, vel deteriores inueniuntur, l. 1. §. cumque hac materia in fine C. de vet. iur. enucl.* Propterea his difficultatibus attentis, visum est quibusdam, satis esse in foro contentioso, si dignus eligatur, iuxta *glos. in c. cum inter de elect. & in c. licet 8. q. 1.* in foro vero poli si magis dignus iuxta humanum iudicium, humanamque fragilitatem. Prædictis maxime confert sententia Platonis in sua repub. quæ licet ita se habeat, vt optimus, & sapientissimus sit ille, qui Magistratum est gesturus, dicit tamen id raro ob multas causas contingere.

Ille autem optimus haberi poterit, cuius probi- 269
tas, eruditio, & doctrina ex causis in Senatu, & coram Magistratibus multis annis actitatis perspectissima sit, vt optimè probant auctoritates in præcedenti capite allegatæ.

Si tamen de Præsidis electione agendum sit, ma- 270
ior erit cautio adhibenda, ita vt eligatur, qui vitæ sanctimonia, integritate, facundia, grauitate, peritia, & existimatione ceteros omnes longè præemineat, sitque talis, vt ab eo ceteri regi non indignentur, cum apud eum fasces curiæ esse debeant. Olim apud Aegyptios teste Aeliano de *var. histor. lib. xiv. Alex. ab Alex. lib. iij. cap. xvi. Diod. Sicul. lib. 2. cap. 3.* in more positum erat, vt ex præcipuis ciuitatibus triginta iudices nominarentur, ex quibus optimus, & natu maximus eligeretur, qui totius collegij caput, & Princeps foret.

Vt autem proprius accedamus ad cognitionem eorum, qui optimi iudicari possint, erunt à nobis nonnulla referenda, prout supra de bonis fecimus. Solon optimum virum describit, & hunc Tellū, quia probatissimos filios habuerit, quia integerrime, sanctissimeq; vixerit strenue pugnans pro patria, pacta pugnæ gloria interierit. Optimus ille etiā est, qui sibi cuncta prospicit, & quæ potiora ad finem ex Hesiodo apud *Stobæum de Prud.* Hinc ipsum ibidem dixisse legimus. Imitatorem honesti optimum inter omnes manere.

Item ab improbitate alienum esse, iniustitiam odisse, pietatem custodire, ciuibus optima quæque consulere, linguam continere, per vim nihil agere, liberos erudire, inimicitias dissoluere, cum vigore, neque lites inimicitias præsentibus alijs exercere. *Plin. vero ep. xxij. lib. viij.* sic ait. *Atqui ego optimum & emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat &c.* Et in Panegyr. *Nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimus, in sua cuiusq; laude præstantior.* Alia multa huiusmodi colligere quisq; poterit ex suprascriptis capitibus.

Vnum tantum addendum esse existimo, contra
naturam esse, vt quis sine labe, vel peccato exi- 271
stat, teste *Horat. vt supra cap. 17. in fine, & D. Hier. in Ep. ad Ocean.* Propterea non absurdum fore, si in hac nominatione, vel lectione Senatores pictoris boni effigia sequantur.

Is enim, dum pulcherrimas describit imagines, multaq; formæ gratia perornatas, si quippiam in-
eptulum illis insit, neque omnino prætermittere, 272
neque penitus exculpere dignum censet: sic quoniam humanis in rebus non modo difficile, sed impossibile penè arbitramur omni ex parte integrum purissimūq; hominem sine menda constare posse; si quid vel casu aliquo, vel temporum necessitate non integrè factum clarissimis rebus intercedat, illud non multa diligentia insigniri oportere; sed ipsi naturæ adscribendum, quæ nihil decorum ad summam natum virtutem perfectè, integrèq; producit.

CA-

## CAPVT XXI.

*Qui digniores non nominat, vel non legit, peccare grauiter.*

QVæſtio grauis hæc eſt, ſed tamen eam non obſcurè explicabimus, perſonas omnes diſtinguendo. Aut enim agitur de nominatione, quæ ſpectat ad Gubernatorem, & Senatum, aut de conſultatione, quæ facienda eſt per ſupremos illos Regios Conſiliarios; aut poſtremo de lectione ipſa per Regiam Maieſtatem. Priori caſu, in quo conſiderandi ſunt illi, qui nominant: nulli dubium eſt, quin teneantur aptiores, & digniores nominare: hoc enim eſt proprium, præcipuumq; Senatus & Gubernatoris officium ab ipſo Rege requiſitum, vt diximus ſupra *cap. 6. num. 86.* & tradunt omnes poſt *S. Thomam 2. 2. q. 63. art. 4.* Quod ſi non præſtent, neceſſe eſt vt dolus, vel lata culpa inſit. *l. non poteſt dolo carere ff de reg. iur. l. vllum crimen, & l. culpa caret eod. tit.* & vbique *Dec. iuncta l. fraudis interpretatio eod.* Accedit damnum ipſi Regi, & Reipub. ex
275 electione minus idonei, quod reſarcire tenetur. *reg. peccatum, cum alijs multis, de reg. iur. in 6.* Hinc ex veriori omnium ſententia dixit *Sarnen. in c. 2. de conſtit. in 6. num. 22.* omnes qui nominandi ius habent, teneri digniores nominare in concurſu, eoſq; præponere, alias grauiter delinquere, quod etiam tenuerunt *Sot. de iuſt. & iur. d. lib. 3. q. 6. art. 2. concluſ. 9. Summa Angelica in verbo Acceptio perſona num. 6. Syluester in verbo electio 1. num. 18. Caiet. in ſumma in verbo acceptio perſonarum. Conar. in d. reg. peccatum p. 2. § 1. num. 5. & §. 7. num. 1. & 2.* qui canoniſtas citat, *Gabriel. in 4. diſtinct. 15. q. 7. art. 3. dub. 2. Diuus Thom. 2. 2. q. 6. art. 2.* vbi *P. de Aragon de reſtit q. 63. pag. mihi 212. in littera B. & ſeq.* ibidem & *Bannes pag. 192. & Nauarr. p. 2. lib. 5. conſ. 21.* & firmatur ex *Sac. Sanct. Concil. Trident.* dum ait, *eos, qui ad promotionem præficiendorum ius à Sede Apoſtolica habent, peccare, niſi quos digniores iudicauerint, eccleſijs præfici curauerint.* Quo quidem in numero recenſeri ſolent. (vt ait idem *Paleot. q. 1. p. 4. de ſacr. conſiſtorij conſult. & ceteri d. 2. 2. q. 63. art. 4.*) Imperatores, Reges, Principes, ac alij omnes, qui à Sede Apoſtolica ius nominandi habent, aut denique, ipſe etiam Sum. Pontifex, ſi quando accideret, vt minus dignos auctoritate ſua proponeret. Quæ ſanè ſtrictius arguunt, Senatores teneri. Præter id quod fruſtra ſcribentes tradidiſſent ea præcepta, quæ in deligendis Senatoribus ſunt neceſſaria, ſi ſeruari non oporterent, minuſq; neceſſaria forent, ſi poſpoſitis ſapientioribus, bonis, & idoneis magis, minus idonei ſeligi poſſent. Fruſtra etiam per digniores eſſet reipub. conſultum. At quia vtilitas publica præferenda eſt, conuenitq; iuſtitiæ & æquitati, vt minus idonei reijciantur, vt de ſe patet, ſequenda erit doctrina *Apul. lib. de Dog. Plat.* his verbis. *Hæc eſt iuſta cauſa, ex æquitate veniens, partitio, vt meliores ſemper in officijs præferan-*
276 *tur.* Idem ſcriptum reliquit *Diuus Aug. lib. ſerm.* in hæc verba. *Ordinata hæc eſt à Deo concordia, & clara iuſtitia, vt qui excellunt ratione, excellant etiam poteſtate.* Huic non diſſimiles ſententiæ plures colligi poterunt ex proximis præcedentibus capit. Et alia *Seneca Ep. eij.* talis: *Ideoque ſumma fœlicitas erat gentium, in quibus non poterat eſſe potentior, niſi melior.*

Verum cum in dependentibus ab artis cuiuſque peritia certa, ac præfinita notitia haberi nequeat. *Dec. in c. propoſuiſti ſub num. 14. verſ. 2. Abb & verſ. vel ſecundo de prob.* ſufficiet vt Senatus iuſta ductus opinione, hunc illo meliorem eſſe, arbitretur; quod ſemper præſumi debere in ijs, quæ ad peritiam ſpectant doctores ſunt arbitrati, ſecundum *Aret. in c. in noſtra in prin col. 3. verſ. ſecundo limitatur de teſtib. cum alijs ſupra cap. præced.*

Secundo autem caſu, in quo agitur de approbatione nominationis iam factæ conſideratur perſona 277
illorum ſupremorum conſiliariorum, quibus ſatis eſt, aliquem, vel omnes ex ipſis nominatis approbare, nec vlteriori iuſtitiæ vinculo tenebuntur, *gloſ. in c. monaſterium 16. q. 7. & in c. conſtitutus 2. de app.* aut in dubio primo loco nominatum collaudare, ex *l. ſi quis hæres ff. ex quibus cauſ. maior.* & not. 278
per *Bal. in l. pen. C. de fideicom.* Non enim ipſi Regij conſiliarij, prout nec etiam Rex ipſe, antiquorum ſequendo veſtigia, errare poſſunt, ſi, quo quiſque in albo deſcriptus eſt ordine, potiorem habeant, qui primo adſcriptus eſt. Sic enim Cic. pro L. Manlia. *Nam cum*, inquit, *propter dilationem comitiorum ter prætor primus centurijs iunctis renunciatus ſum, facile intellexi Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis.* Et pro Murena. *Quæſturam vnà petijs, & ſum ego factus prior. Non eſt reſpondendum ad omnia. Neque enim quemquam veſtrum fugit, cum multi pares dignitate fiant, vnus autem primum ſolus obtinere poſſit, non eundem eſſe ordinem dignitatis, & renunciationis; propterea quod renunciatio gradus habet, dignitas autem ſit perſæpe eadem omnium.* Et paulo poſt. *At enim in prætura petitione prior renunciatus eſt Seruius.* Hactenus Cicero. Cuius ex dictis apparet momenti plurimum in prioris magiſtratus nominatione, vel renunciatione poſitum fuiſſe. Sic expreſſius Antonius in gratiarum actione pro conſulatu ſuo. Quem ergo Prius deſcrip- 279
tum viderint Regij conſiliarij, antelatum putent; niſi videant eundem vel ceteros nominatos penitus inhabiles eſſe, quia tunc & ipſi peccarent. Potiſſimum, ſi iniunctum ſit eiſdem conſiliarijs, vt inueſtigent, an alij ijs, qui ſunt nominati, digniores exiſtant, per ea quæ paullo ſupra.

Tertio vero caſu, ſi ſpectemus perſonam Regis, dicendum videretur, eum quoque teneri vti omni diligentia, vt digniorem eligere poſſit. Nam vbi ad vnum pertinet nominatio vel electio, & ad 280
alium confirmatio debet confirmans proceſſum electionis, & electi perſonam examinare. *c. cum nobis. c. nihil. de elect. c. fin. eod. tit. in 6. Abb. clare in c. poſtquam 3. notab. eod. tit. Aug. in §. decreto per illum tex. in auth. de defenſ. ciu. Natta conſ. 244. num. 1. lib. 2.* Verum cum ipſe & nominatum, atque pro idoneo probatum deligit, ac in numerum Senatorum cooptat; dicendum eſt, eum nullo peccati teneri vinculo, poſtquam ea qua potuit diligentia per ſuos vſus eſt conſiliarios, quos non aliter, pro eorum ſapientia, & integritate, locique dignitate, quam ipſe iudicaturos putat, *iux. tex. in l. 1. ff. de off. præf. præt.* creditque eos magis idoneum denominaſſe, quod ſatis eſt. Cum certum ſit, dictum vnius legalis viri iuſtam cauſam credendi præbere, iuſtiſſimam vero multorum, & hanc crudelitatem

tatem excusare credentem, vt per glos. ab omnibus approbatam in *l. Titio fundus in verbo actiones prope fin. ff. de cond. & demon.* potissimum quia non agitur de notis sibi viris, aut de his, qui noti esse possint, quia in Curia, aut in locis propinquis morentur, sed de viris in partibus longinquis commorantibus *tex. est in c. 3. de elect.* ibi: *cuius vita, vel actus melius possunt, vbi est conuersatus, cognosci, & per Fel in c. cum*
281 *contingat de rescrip.* Imitatur ergo Rex Traianum, de quo *Plin. in Panegyr.* sic scribit. *Eadem Cæsar, quæ Senatus, probat, improbatque. Tertio consules fecit, quos vos elegeratis, & fecit hoc ordine, quo electi à vobis erant; nimirum primo loco descriptum per Regios Consiliarios deligens vt plurimum; quamuis etiam aliquando suffragatoris alicuius precibus secundo, aut tertio loco nominatum fecerit, aut ex non nominatis. Si vero eos notos haberet, vel habere posset, magis dignum eligere teneretur, tum quia iubet Deus O. M. vt omnia ratione & ordinatè fiant. Cant. 2. & Rom. 13. D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 13.* & debitis finis peragantur *l. 1. ff. de albo scrib.*
282 *l. gradatim ff. de mun. & hon.* cum aliis multis supra. Tum quia vtilitati publicæ seruire tenetur Princeps, secundum *glos. Abb. & Fel. in c. si diligenti de foro compet.* & alios post *D. Thom in d. 2. 2. q. 63. art. 4.* Rex enim propter Regnum, & non Regnum propter Regem fuit institutus. Ideo cum in foro interiori suprema causa sit Deus, qui mouet animum Principis, & quid iustum, quid bonum, quid salutare cōscientiæ illius tribuit, iuxta illud, *Cor Regis in manu Dei Prou. 21.* non debet ab ipso bono, iusto, & salutari discedere, alioquin grauiter peccat, & ipsi Deo rationem reddere tenetur. Quapropter dicimus cogi illum sæpe in foro interiori consiliariorum suorum sententias sequi, non precisè, quia sint ab hoc vel illo propositæ, sed quia ipse animo ita iudicat, & iudicare tenetur dimisso quouis priuato affectu, bono communi noxio, Deo qui est omnium rerum arbiter, ita animum suum ducente.

Quoties igitur Princeps toto posse vtitur vt supra
283 non peccat, peccat autē si omittit quæ potest, & seruare debet, quia Deū tentare videtur. *S. Tho. d. 2. 2. q. 63. art. 4. ad 1. q 93. art. 1. & art. 3. ad 2.* prout etiam si indignos, imperitos, & minus idoneos præficit, credens, aut credere debens eos tales esse, aut postquam sciuerit, eos non deponit, cum possit
284 abique vitæ periculo, & reipub. damno peccat grauiter cum obligatione restituendi damnum. *Guliel. Benedic. in d. c. Rainutius in verbis, & vxorem nomine Andelasiam num. 99. de testam. Sot. lib. 4 sent dist. 15. art. 4. Nauarr. in manuali cap. 25. num. 7. in fine, & in c. si quando de rescrip. excep. 16. num. 3. & 4.* Reges enim, secundum *Isid. lib. de summo bono*, à rectè gerē-
285 do vocati sunt, ideo rectè faciendo Regis nomen seruatur, peccando amittitur. Rectè ergo illi Reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subiectos benè regendo modificare nouerunt. Omnis sanè à Principe iurisdictio oritur *c. mandata de præsump. l. 2. §. nouissime de orig. iur. & in auth. quomodo app. ep.*
286 *collat. 1.* qui ideo, cum non possit causis singulorum interesse, velut bonus pater familias patrimonium in plures agricolas distribuit facilioris culturæ gratia, eo voto, vt sola in iudiciis iustitia locum habeat *l. eos qui § quid autem C. de app.* Propterea in hac ipsa distributione ita agendum est, ne arguatur, prout
287 in Eccles. legitur, *Malum se sub cælo vidisse quasi per errorem, egrediens à facie Principis, positum stultum in dignitate sublimi.* Addi potest etiam, quod Princeps Deo assimilatur, vt docuimus plenè in § *sequen. glos. 1. c. 6. num. 225. & seq* qui sicuti cœlestibus orbibus superioribus intelligentias maioris virtutis assidere iubet, vnde quemadmodum cœlestis turbaretur ordo, si minoris virtutis cœlo superiori præesset; sic etiam hæc mundana respub. turbaretur, quoties iustitiæ exercendæ minus idonei perficiuntur. 288

Quinimmo omnia gratuita congerere in fauorem vnius partis ex causa ad rem non pertinente, vitium est acceptionis personarum siue in Principe, siue in iudice. *Sot. de iust. & iur. lib. 3. q. 6. art. 5.* quem communiter sequuntur recentiores. Ideo si, quæ sunt ex quadam æquitate naturali debita, quis omittat, acceptor erit personarum.

Scio tamen à Callistrato scriptum fuisse in *l. eos ff.*
*de decur.* paucitatem eorum, qui muneribus publicis 289
fungi debent, necessario minus etiam idoneos ad dignitatem municipalem, si facultates habent, inuitare, ab hoc non dissensit Modestinus, sicuti diui fratres rescripserunt in *l. vt gradatim § quoties ff. de mun. & hon.* dum ait, quoties penuria est eorum, qui magistratum suscipiunt; immunitatem ad aliquid infringi. Sed hæc apud nos locum habere non possunt. Egregie *Gregor. Tolos. syntag. iur lib. 47. cap.*
*37. num. 16.* omnia à nobis supra deducta breuibus 290
confirmat his verbis. *Magna quippe, & quotidiana Senatus est authoritas & potestas, & quæ exigat viros non trium, aut quatuor horarum examine in sermone, & ingenij perspicacitate probatos; sed multis annis graues, certa experientia, & bona vita, sine examine disputationis, sine disputatione, & longa temporis serie perspectos, quorum virtus, conscientia, & ingenij dexteritas & probitas à multis annis ceperit, & perseuerauerit. Memini enim aliquando me legisse in constitutione Ludouici xij. anni 1512. etiam prohibitum in sede Seneschalchi Tolosani, ne in consilium assumerentur iudiciorum, nisi praxim aliarum sedium exercuissent, & postulationis munus vltra tres annos. Experientia cum doctrina in iudicijs necessaria est, maxime vbi alterius iudicis superioris calculus emendatoris non expectatur, vt in Senatu, in quo non tantum dicere eloquenter, & acutè; quantum sincerè, maturè, & benè desiderandum est. Respub ægra Senatui curanda vltima sententia committitur: huius morbi non loquendo subtiliter, sed probè consulendo curantur. Desleo quod in multis Galliarum supremis, alijsque curiis collegæ admittantur imberbes, & rudes, & noui omnino sub spe discendi. Dolendum, quod sufficientiæ eorum censores imperfectè iudicium, & calculum proferunt prælata inquisitione, Deus bone, tam perfunctorie de vita, & moribus, & breuissimo examine doctrina, si modo auribus per tres horas placuerint. Cum tamen numularij, & argentarij noua numismata suspecta habentes, non tinnitu tantùm, sed & lapide lydio bonitatem probent. Turpius ejicitur quàm non admittitur hospes. Discunt quidem noui, & iuuenes Senatores, idque non diffiteor. sed dum discunt, respub. detrimentum immedicabile capit: discentis vox trutinam in peiorem partem rapit, & veh regno, cui hæc sunt, vbi numerantur, non ponderantur voces. Discendi illic non est tempus, & locus, sed iudicandi, idque vltimo iudicio. Nam à Senatu, seu à parlamentis, vt de Senatu Romano dictum est, antea prouocari non potest, liceat quamuis supplicare contra Senatus iudicium non quidem, vt olim intra triginta annos, sed intra biennium tantum exemplo supplicationis præfecti Prætorio Egrè ferendum est, quod hodie prius magistratus dentur vel vendantur, quàm personæ probentur. Melius olim, &*

respub.

*respub etiam hilarior quando ex iam probatis meliores ad hoc munus eligebantur, dum ex peritissimis iurisconsultis, aduocati ex optimis aduocatis Senatores, & Iudices, ex optimis Iudicibus, & Senatoribus Præsides, & Cancellarij &c.* Gregor. Tolos.

291 Si quæramus de iure communi, an electio de minus digno prætermisso digniori valida sit: dicendum est validam esse, etiam in foro interiori *c. cum nobis olim de elect.* vbi cuiusdam, qui non erat eminentis litteraturæ electio fuit approbata, *& in c. cum dilectus eod. in verbis, alij digniores,* & hanc sententiã probarunt *D. Thom. 2. 2. q. 63. & Quodlib. 8. art. 6. Couar. in reg. peccatum §. 7. num. 3. Petrus de Arragon. de restit. q. 62. art. 2 pag. mihi 142. col. 2.* non tamen absque peccato præferri potest minus dignus digniori ex *Couar. loco proxime citato n. 2.* prout etiam peccat, vt diximus iam, qui inhabilis oneribus se subiicit, ex *Archidiac. in c. 1. in fine 48. distin. Luc. de Penna in l. contra publicam col. vlt. C. de re mil. lib. 12. Canon. in c. in cunctis*, & in specie *Dec. n. 20. de elect. Bened. in c. Rainutius, in verbo. & vxorem nomine Andelasiam n. 590. Bon. de Curtili de nobilit. p. 3. num. 107. Neuiz. in sylua nup. lib. 5. n. 54. D. Thom. 2. 2. q. 130. art. 1.* vbi interpretes alii, & est *tex. in l. idem iuris §. vlt. ff. ad l. Aquil.*

---

## CAPVT XXII.

### *Liceatne duos ex eadem familia simul in Senatu esse.*

292 SVpersunt adhuc nonnullæ de Senatorum nominatione, vel lectione quæstiones non minus vtiles, quàm necessariæ; inter quas illa, vtrum expediat duos ex eadem familia, vel cognatione simul in senatu esse; res quidem perobscura, vt quia non legibus agendum sit, sed magis exemplis, quæ ab euẽtu tantum probantur, improbanturue. Obscurior vero, si non maiorum exempla, sed consilium eorũ, à quo exempla nata sunt, exquiramus, vt ait *Cic. in Philipp. ix.* aut ea, quæ è repub. sunt perpendamus. Hæc etenim suadere videntur, vt non vnius, vel alterius familiæ personam, sed eum tantum, qui aptior, & vtilior iudicatur eligere debeant Principes; ex iam deductis. In concursu autem multorum, qui æque aptiores sunt, scopuli quidam erunt fortasse iniiciendi. Legimus enim apud *Plut. in Æg. & Cleom. 63.* hæc de ipso Cleomene. Quinetiam quo monarchiæ nominis insolentiam leniret, Euclidem fratrem suum regnare iussit, & tunc duntaxat apud Spartiatas duos ex eadem familia regnare contingit. At *Cæs. in comm. lib. 7.* scriptum de se reliquit, vt cum apud Hæduos contentio esset orta inter Cõnictolitanem, & Cottum de imperio, regimineue capescendo, eoque vt hanc discordiam sedaret, aduenisset Cæsar; ex legibus dixit rem ipsam terminaturum, atque ideo nonnullis ciuibus conuocatis: cũ leges ipsæ duos ex vna familia viuo vtroque, non solum Magistratus habere, verum etiam in Senatu esse prohiberent; Cottum imperium deponere coegit. Duos etiam augures eiusdem gentis esse Romanorum iure prohibitum fuisse docet Cicero 2. *de legib.* inquiens: *Accepi non solitos maiores nostros legere in decem qui essent Imperatorum necessarij.* Hoc est etiam Venetorum institutum, ab Historiis desumptum, vt duo eiusdem gentis, aut etiam consanguinei maxime necessarii, eodem in magistratu esse non possint; prout neque duos eiusdem familiæ admittunt. Multorum etiam populorum legibus constitutum fuisse *Arist. tradit Polit. lib. v. cap. vi.* ne simul pater, & filius, vel fratres magistratum adipiscerentur. Harum legum ratio potissima fortè fuit, ne consilium plurimorum aliquo respectu claudicaret; sed omni ex parte liberum esset, vt habetur per *glos. & per Bar. in l. 1. §. qui honorandæ ff. quor. rer. act.* si plures enim ex eadem gente extitissent, dubium erat, ne vnus alterum sibi iunctum in proprium sensum, & sententiam, iure quodam sanguinis traheret. Ne horum fere conspirans, & penè conflatus esset consensus, ita vt in qua sententia vnus fuerit, alius etiam esse velit, vt ait *Cicer. de fratribus Ligarijs in orat. pro Q. Ligar.* exempla multa eorum, qui sententias filiorũ, vel affinium, à suis diuersas, aut contrarias iniquo animo tulerunt, affert Langlæus semest. *lib. 7. c. 3.* vt ergo salubriori, ac communiori, liberoque consilio res deciderentur; hoc institutum fuisse patet. Præterea, cum beneuolentia regna conseruentur; certum est multò plures familias beneficiis affici, si diuersæ, & non eædem seligantur. Hinc à Moyse, Romulo, & Theseo, ac Solone, & aliis accepimus; viros non ex vna tribu, vel plebe, sed ex singulis fuisse delectos. Dicitur etiam Catonem Censor. (*vt Plut. in eius vita 19. refert*) ciues grauiter increpasse, qui eosdem frequenter publicis muneribus præficerent. Sic enim vel non multifacere principatum videmini, dixit, vel non multos, qui principatu digni sunt, existimatis. Scribit etiam *Valerius lib. 4. c. 1.* de Fabio Maximo, eum, cum vidisset filium suum consulem creari, ita cum populo egisse; vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret; non quod virtutibus filii diffideret, sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Rectius igitur eos facere existimo, qui non eiusdem familiæ plures nominare, vel seligere statuerunt; vt occasio peccandi non solum, sed & suspitio, ne quis munus suum sincerè impleat, tollatur; aditusque in illum summum ordinem industriæ, & virtuti cuiusq; pateat; vt ait Cicero pro Sextio. Quod in Parisiensi Parlamento tanquam optimum ex constitutione Regni acceptum esse, testatur *Fran. Marc. q. 629. num. 2. vbi num. 3.* dixit idem haberi in collegio Cardinalium. De alia constitutione meminit *Ian. Langlæus semestr. lib. 7. cap. 3.* qui istud ad socerum, & generum extendit, item ad sororios.

CA-

## CAPVT XXIII.

*Ex vnaquaque huius Prouinciæ Ciuitate oriundus, vtrum in Senatorum numerum sit eligendus?*

293 CVM vnus tantùm sit in hac prouincia constitutus Senatus, qui inter omnes ius dicat, potestatemque habeat; nulli dubium est, quin expediat in Senatu sedere peritiores, non solum ex hac ciuitate, sed etiam ex omnibus in prouincia ciuitatibus, de quarum singularum, eorumque ciuium interesse agi quotidie in eo ordine scimus. Instructior enim de sua quisque ciuitate cum præsumatur oriundus ex ipsa, quam alius alterius ciuitatis; sequitur, vt vtilius sit, singulos ex quacunque ciuitate deligere, exemplo eorum esse habentur *Exod. cap.* 18. *Prouide tibi de omni plebe viros sapientes &c.* & apud *Plut. in Solon.* 38. secundum Senatum adiunxit ex singula tribu. Apud Ægyptios quoque triginta iudices ex præcipuis ciuitatibus diligebantur, vt tradunt *Aelian de var. hist. lib.* 14. *& Diod. Sicul. lib.* 2. *cap.* 3. Nec aduersantur quæ Traianus rescribens Plinio in hæc verba tradit: *An legerent in Senatum aliarum ciuitatum, eiusdem tamen prouinciæ ciues; nam & legis authoritas, & longa consuetudo vsurpata contrà legem in diuersum mouere te potuit. Mihi hoc temperamentum eius placuit, vt ex præterito nihil nouaremus, sed manerent; quamuis contra legem adsciti quarumcunque ciuitatum ciues: in futurum autem lex Pompeia obseruaretur* lex autem hæc huiusmodi erat, vt permitteret Bithinicis Ciuitatibus adscribere sibi, quos vellent ciues, dum ciuitatis non sint alienæ, sed suarum quisque matrum ciuitatum quæ sunt in Bithinia. Nec repugnant inquam verba *d. l. Pompeia*, quia nec vsu recepta fuerant, nec iubebant, vt in vna ciuitate tantùm Senatus adesset, ceteris in ipsa prouincia exclusis, sed promittebant singulis ciuitatibus Senatum habere ex ciuibus suis, non autem aliarum ciuitatum, quod etiam asserit *Luc. de Penna in rubr. num.* 2. *& in l. omnes num.* x *C. de decur.* dum inquit, *Ciuitates omnes alias habuisse suum Senatum*. At, cum in hac prouincia, in qua plures sunt Ciuitates, vnus tantum sit constitutus senatus; non absurdum erit,
294 si in eo cuius singularum ciuitatum sedeat, modo par sit prudentia & meritis: honore enim, & labore omnes subditos participes fieri conuenit, cum hoc æqualitas exigat, inquit Catulus apud *Dion. lib.* 36. subdens. *Præterea hoc quidem pacto fiet, vt multi reperiantur, qui se se in rebus gerendis exerceant, quorum virtus deinde spectata facilem nobis curam deligendi ex his aliquem qui negotijs instantibus præficiatur, prabeat Mæcenatis ad Augustum tale fuit consilium*, teste eod. *Dion lib.* 52. In hunc ordinem omnes eos, qui vbiq; locorum genere, virtute, ac diuitiis secundum locum merentur adscribes. *Et Liu. lib.* 8. *Senatus partem æquam ex vtraque gente esse: vnum populum vnam rempub. fieri. Et vt Imperij eadem sedes sit, idemque omnibus nomen: quoniam ab alterutra parte concedi necesse est, quod vtrisque bene vertat.*

## CAPVT XXIV.

*Sintne Aduenæ, & Peregrini legendi?*

QVæstionem arduam quidem aggredior, à multis licet definitam; liceat ne Aduenas, vel Peregrinos esse Senatores. Aduenam dicimus eum, 295
qui aliunde aduenit, quam ex hac prouincia, ex *Isidoro lib.* 10. Peregrinum autem eum appellamus, qui ciuis Mediolanensis, (hoc est ex prouincia Mediolanensi) non sit, ad instar tituli huius libri, cuius est inscriptio, *Constitutiones Dominij Mediolanensis*, & facit *l. Peregrini & aduenæ C. com. de success. & l. sed & si §. solemus ff. de har. instit. & l.* 1. *C. eod.* sicuti enim Romanis peregrini erant omnes, qui ius ciuitatis non habebant, vt quia essent penitus alienigenæ, teste *Briss. select. ex iur. ciuili antiq. lib.* 1. *cap.* 13. ita etiam, qui ius alicuius ciuitatis huius dominij non habet, nobis peregrinus erit. Hæc volui dicere cùm sciam horum verborum significationem latissimam esse ex scribentibus nostris, & *D. Ambrosio* 1. *off. cap.* 29.

Laurentius Grimaldus *in libro de optimo Senatore* 296
*pag.* 17. *Curia Pisana lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. vbi *Azened. Kebuff. in constit. lib.* 2. *tit. de litteris naturalitatis glos.* 2. *Auendanus in c. Prætorum lib.* 1. *num.* 17. *& alibi. Iustus Lips. polit. lib.* 3. *cap.* 4. *vers. non enim exteros, & in eiusdem notis eod cap. Franc. Cur. de instit. Reipub. lib. iij. tit. ij. Lucas de Penna in l quisquis C. de omni agro deserto lib. xi. Cassan. in Catal. glor. mun. par. xi. consideratio. xxij. per totam, Capel. in tract. de Imper. milit. eligendo vers. propter nationem, Afflic. lib.* 1. *constit. rub.* 45. *num.* 56. *Ianus Langlaus semestr. lib.* 7. *cap.* 10. *pag.* 394. *& seq* negatiuæ opinioni adherent, dicuntque naturalem originarium, ac proprium ciuem magis legendum esse, quam peregrinum, aduenam, aut exterum; mouentur primò ex eo, si reipub. fundamentum & origo ciuis est, sic ciuem quoque eius ciuitatis vel reipub. cui gubernandæ præponitur, dicunt esse debere: magis enim eum patria obstringit, & obligat ad omnia perficienda, quæ pro eius incolumitate, saluteq; nouit necessaria, ad vitam etiam ipsam effundendum; ex *Alciato præsump.* 37. *reg.* 3. *& Cicerone de* 297
*orat. &* 2. *de legib ac lib* 1 *de offic.* dulcis est namque amor patriæ. *l. qui habebat in princ. ff. de leg. iij. & Ouid. ad Rufinum.*

> *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*
> *Ducit, & immemores non sinit esse sui.*

Et Virgil.

> *Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua;*

Item Lucilius.

> *Commoda præterea patriæ sibi prima putare,*
> *Deinde parentum, tertia, iam postremaq; nostra.*

Item & *Dion. Chrysost orat.* 44 vt patria nihil sit dulcius, apertissime ex Homeri sententia voluit. Et Apum ingenium erga natalem locum mira oratione ostendit, atque aperit. Sic & *D. Hieronym. super Hierem. c.* 7. dum ait, *Naturale est, vt quisque diligat solum, & nihil dulcius habeat patria.* Hinc *Vlpian. in l.* 1. *ff. de const.* suam patriã miris laudibus cõmendat, & Aristoteles suam ab Alexandro irato seruari curauit; tradit etiam *Cic.* 1. *offic.* Dijs primò, patriæ deinde inseruiendum esse. Propterea credibile

est, vt naturalis, eo quo ardentiori prosequitur patriam amore, eam etiam ardentius tueatur, & defendat, quàm aduena; exemplo quo vtitur Aristoteles in familijs, & *Plin. in panegyr.* his verbis; *ita cum Ciuibus suis quasi parens cum liberis viuat*. Hinc etiam dixit *Ægid. de regim. prin lib. 3. par. 2. cap.* 10. tria in Consiliario requiri, vt sit bonus, amicus, & sapiens, magis autem amicus erit ciuis, quam alius quispiam.

Secundò, dicitur ex *Cic. sententia de orat. dialog.* 1. *de C. Mancino loquentis*, ciuitatis expertem nullum fingi posse Senatori, & alibi etiam idem probat, vt per *Sarium lib.* 1. *de Sen. Rom. circa prin.* Ratio esse
298 potest, quia ciuis legum, morumque Ciuitatis minus ignarus est, ac magis in ijs exercitatus, *c. quosdam, & c. quanto de præsumpt.* lites enim, & controuersiæ secundum leges, & mores regionis dijudicandæ sunt. *l. 2. C. quem. testam. aper. l. si fundum C. de euic. scrib. in l. 1. C. de summ. prin. & fid. Chat.* Ciuis ideo aptior, & vtilior esse poterit, *l. scire leges, & l. sequenti ff. de legib.* ad instar medici infirmum morbo laborantem curaturi, quod multis probat *Ægid. d. lib. 3. par. 2. cap. 19. & Cic. 3. de legib.* dum inquit. *Senatori necessarium est nosse rempub. quid habeat; militum, quid valeat ærario, quos socios Respub. habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione fœdere: tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum; quod à Catone Vticensi priusquam quæsturam gereret factum fuisse,* testatur Plut. in eius vita, sic etiam sensit Plato in Phed. dum ait. *In omni re consulendi principium nosse id, de quo consilium est institutum, aut tota via aberrare necessum est; & sequutus est*, iterum Cic. 2. de orat. dicens, *ad consilium de repub. dandum caput esse, nosse rempub.* & Valer. Maximus lib. 1. tit. de auspicijs in prin. *Auspicijs non alienigenis rempub. administrare oportere antiqui indicabant*. Erunt igitur secundum Tacitum in Agric. *nominandi, eligendique magis morum, animorumque prouincia gnari, quam aduenæ; ne ipsis dici possit*, secundum Senec. d. clem. 1. *non animalia cætera domueris sine tractatione quadam, & arte, & speras hominem, quo nullum animal morosius est, ciui natura inexpertum tractare, cum nullum maiori arte sit tractandum? Nam similes mores animos moderantur amore. Dissimiles odium gignere Sicche solent. Et similitudo morum cognata studia sibi nectit.* Q. Curt. in T. Sidon. lib. 7 ad Anitum.

299 Tertiò, si illos, qui vtilitati publicæ magis sunt profuturi, ex iam deductis, patet esse nominandos, & legendos, iuxta sensum *l. vtilitas C. de primipilo lib. xij. l. vnica §. fin. C. de cad. tollen. & legis omnibus*, vbi *Luc. de Penna C. de decur. lib.* 10. quis non dicet, ciues potius, quam peregrinos vtiliores reipub. fore? Sic enim testatur *Cassiod. ep. 32. lib. 2.* Grata nobis est P. C. circa vtilitates publicas impensa deuotio, qua dum ciuium laudabiles animos comprobamus; locum iustis beneficijs reperimus. Quid est enim tam Senatorum, quam si vtilitatibus publicis impendat affectum? vt possit prodesse patriæ, cui natus est?

300 Quartò, si naturalis honoribus priuatur, & alios honestari videt, tamquam neglectus (quoniam qui alieno vtitur, suum negligit teste *D. Ambros. off. 2. cap. 16.*) spe virtutis abiecta, viam ipsius virtutis, & honoris relinquit, patriamq; deserit; Nutriunt enim, inquit *Theod. Rex apud Cassiod. ep. 16. lib. 2.* præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. Iterum idem *Cassiod. ep. 21. lib. 11.* Demus quæ iusta sunt laboribus, vt prouectu priorum inuitemus corda sequentium. *Et ep. 36. eod.* Humanum genus ideo militat, vt peractis sudoribus conquiescat. Et *Symacus ep. 37. lib. 1.* Cum dignis fructus tribuitur, eandem viam capessentibus spes paratur. *Cicero quoque 2. de orat.* Inuident, inquit, homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt; illos autem dolent euolasse. Hinc diuinum bonum honor, & ad præclare 301
agendum, nihil magis quam honoris gloriæq; cupiditas impellit; si verò præmia tolluntur, languescit in ciuibus industria, & extinguitur animorum illa vis; quam, etiam in his, qui obscuris parentibus nati sunt, proposita merces facile excitare solet, vt quotidie videmus, & multis probarunt *Arist. ij. Polit. cap. iij. Ægid. de regim. prin. lib. iij. par. 1. cap. xiij. in fine, & D. Ambros. ij. off cap. iij.* his verbis. *Sæpe enim vsu venit, vt quos gratia fouerit, vel aliquo superiore cumulaueris gradu, auertas, si indigne aliquem eis proponendum iudices; virtutum enim præ-* 302
*mia tribui merentibus conuenit, & aliorum honores alijs damnorum occasionem fieri non oportet*, dixerunt *Archad. & Honor. Imper. in l. virtutum præmia C. de stat. & imag.* probantq; *glos. in reg. in iudicijs de reg. iur. in 6.* & *in c. si quis vero non obediat xi. quæst. 3.* & in terminis sunt *tex. in c. nec emeritis, & in c. nullus inuitus 61. dist.* Quibus motus *Rip. de remed. ad conseru. vber. num. 154.* dixit validissimum esse statutum illud, quo cauetur, prius ciues, quàm extraneos ad 303
honores vocandos esse, addit *l. vt gradatim §. si lege ff. de muner. & honor.* Habemus ex *Plin. lib. 10. ep. 118. & 119.* lege Pompeia cautum fuisse, vt Bithynicis ciuitatibus adscribere sibi quos vellent ciues liceret, dum ciuitatis non sint alienæ, sed suarum quisque matrum ciuitatum. Legimus etiam, si alienigena non expressa sua origine, patria, & natione impetret beneficium, impetrationem vtpotè subreptitiam, & inualidam esse *glos. & Abb. in c. si proponente de rescript. & Rip. memorato loco.*

Quintò, dicitur non expedire, vt peregrinus sit 304
consiliarius, ne arcana exteris pandat; scrutari enim alterius Regni secreta non decet, vt habetur in *l. mercatores C. de commer. & mer.* & minus sapere: quod prudentissime ab Atheniensibus fuit obseruatum, qui peregrinos, & aliorum ciuitatum homines non modo consilijs non adhibeant; sed procul etiam arcebant vrbe, ne fides peregrina aliquo modo in Magistratum irreperet, ac eorum animos ad res nouas induceret; facit *l. si quis aliquid §. transfuga ff. de pæn. & l. omnes §. exploratores ff. de re mil.* vna cum notat. per *Abb. in c. super his de accus.*

Sextò, si mores cuiusque plurimum in officio decernendo conferant vt supra *num. 240.* quis non videt, & Principem, & Senatores magis de vita, & moribus proprij, & naturalis ciuis, quàm alieni posse instrui? vti de vicino scriptum est, qui vicinorum facta scire præsumitur. Quis non dicat etiam, eum minus erraturum, qui magis notum eligat? *c. quosdam, & c. quantò de præsumpt.* & ita tenet *Luc. de Penna in l. quisquis C. de omni agro deser. lib. xi.*

Septimò, exemplis firmatur sumpta conclusio, vt exteri non admittantur, cum a Pericle lex lata 305
sit, vt is ab administratione rerum publicarum prohibe-

hiberetur, qui ex duobus Atheniensibus non esset natus, teste *Æliano lib. de var. Hist vi.* & nunc Iudices dantur legum Doctores, qui tamen ex ciuitate ea sint oriundi, in qua iudicere debent; vt per *D. Menoch. cons 227. lib. 3. & præsump. 30. lib. 6.* & ex Regij legibus Hispan. & Franciæ ciues tantum in numerum consiliariorum eligantur, & Respub. Veneta id semper optimè, & sapientissime seruauerit; qui mos à Romanis originem traxit, vt ex *Dion. lib. 59.* in Caio sic dicente. *Et quibusdam eorum vsum vestis Senatoria antequam Magistratum vllum gessissent, quo in Senatum aditus pateretur, concessit; vt spem Senatoria dignitatis haberent adipiscenda; ante id solis patricijs permissum*, & ex Suet. in Aug. *Magni præterea existimans sincerum, atque ab omni colluuione peregrini, ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum: & Ciuitatem Romanam parcissimè dedit*; Et paullo post. *Et Liuia pro quodam tributario Gallo roganti ciuitatem negauit: immunitatem obtulit, affirmans se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam ciuitatis Romana vulgari honorem*. Idem Suet. in Claudio. *Latum clauum quamuis initio affirmasset non lecturum se Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab Equite Romano adoptatus esset*. Clarius ex Spartiano de Pescennio Nigro, à quo hæc habentur. *Huius etiam illud fuit, vt nemo assideret in sua prouincia, nemo administraret Roma, nisi Romanus, hoc est oriundus vrbe*: alia ex lege Pompeia de qua supra *num. 235.* vel melius dicas; morem hunc fluxisse tum ex *Deut. cap. 17.* in illis verbis. *Cum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis Regem facere, qui non sit frater tuus*: tum ex cap. 11. *eiusdem in precepto dato Moysi, vt septuaginta de senibus Israel eligeret, & sic non alterius nationis*, legimus etiam apud Cic. pro Sex. Rosc. Amer. *Senatorem esse non posse, qui ab annum ciuem Romanum nominare non posset*. Præterea habetur Ecclesias. cap. 8. circa fin. *Coram extraneo ne facies consilium, nescis enim quid pariet*. Niceta in Annal. arguens propterea Manuelem Imperatorem Commenum, his vtitur. *Eunuchis quoque cubicularijs alijsq; ministris ex peregrinis ortis nationibus semibarbaris, qui expeditius aspuebant, quàm loquebantur &c.* His tanquam obseruantissimis, & fidelissimis ministris non modo summos magistratus tradebat, sed pro tribunali iuris dicundi prouinciam in causis difficillimis, quæ vel peritissimis legum negotium facesserent, assignabat. Cum aliqua prouincia describenda erat (id autem fiebat sæpius) istiusmodi cœtus eruditis præponebatur. Quod si quando nobilis aliquis Romanus eis adiungebatur vir prudens & cordatus; is ea de causa mittebatur, vt descriptionis munus obiret, ceterosq; labores sustinendi tributi sustineret: Barbarus vero pecuniam accipiebat, & saccos obsignatos ad Imperatorem mittebat. Sed pleraq; contra eueniebant, quam sperabat ille. Nam dum Romanos peculatus suspectos cauebat, non animaduertit, se auaros Barbaros locupletare & homunciones infœlices beare: atque interim Romanos à se alienare, vt fidei & natura insitæ, & comparatæ obliuiscerentur. Cognita enim Imperatoris de se suspicione, quod ministri potius ac baiuli quæstus, quam fideles procuratores iudicarentur, & bini in prouincias mitterentur; serui magis quam gubernatores Imperij: id solum agebant, quod in mandatis acceperant, & extortam pecuniam tanquam in manipulos colligatam ad barbarum illum magna præditum auctoritate, & plurimis Romanis prælatum velut in aream congregabant: cetera vero negligebant, ne dicã ad Imperatorem pauca & veluti quisquilias peruenisse, illos vero pleraque suffuratus esse: Fidelis enim serui munus erat scilicet ex farina sibi primum panes conficere, deinde etiam collegæ aliquid impertiri. Hactenus Niceta.

Octauò, negari non potest quin Princeps pater omnium communis appelletur, quos gignit Respub sibi subiecta, *tex. & glos. in auth. neque virum, quod ex dot. est ad fin. l. 1. §. & generaliter ff. de ventr. in poss. mitt. auth de incest. nupt. § indubitatum in prin.* 306 Pater autem ex ordinata charitate magis suos, & eos, quos loco filiorum habet, deligere tenetur, quàm extraneos; cum nullus amor vincat paternum. *l. isti quidem §. fin. ff. quod met caus. l fin. in prin. C. de cur. furios Cyn. in l. propter insidias C. qui accus. non poss.* Idcirco *Seneca lib. 1. c. 14. de clementia*. Patrem quidem patriæ, inquit, appellamus principem, vt sciat datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post alios reponens. Et Simonides apud Xenophontem præcepit, vt princeps existimet ciuitatem suam propriam esse domum: ciues vero, propinquos, amicos, aut filios: & filios velut animam propriam, & hos omnes obligare nitatur officio. *Xenophon. in vita Cyri lib. 6. in prin.* ait Princeps nihil differt a bono patre. *Philon habetur quoq; de vita Mosis lib. 3.* voluit, vt Princeps non minus quam pater debeat curare subditos. Ergo ciuem & subditum, non autem aduenam, & peregrinum deligere tenebitur; cùm etiam teneatur subditos, tamquam filios tractare, vt aiunt *Feder. Scot. cons. 1. num. 230. tom. 1. & Crau. cons. 241. num 8.* Addamus & illud, quod refert doctissimus *Brissonius select. ex iur. ciuil. antiqu. lib. 1. cap 9.* Peregrinum non potuisse frui commodis Ciuitatis Romanæ, iisque maximis, & summi beneficij, & sequitur *D. Menoch. præsum. 30. lib. 6.* qui plura allegant. Amplius. *Cic. de off.* sic ait. *Peregrini autem, & incola officium sit, nihil præter suum negotium agere, minimeq; in aliena repub. curiosum esse. Et cum dicat in aliena repub esse, eis adimit Reipub. gerenda potestatem*. Oriundis igitur magis, quam exteris fauendum erit, vt supra, & ita tenet *Luc. de Penna in l. quisquis C. de omni agro deser. lib. xi.* exemplum etiam Græcorum, dum enim Alcmenes Atheniensis, & Argoraticus in sculpendo marmore clarissimi, Phidiæq; discipuli inter se ambo de signo Veneris faciendo certarent, ex eo Alcmeni suffragati sunt Athenienses, quam ciui contra peregrinum, concionantes illud. Tunicam pallio propriorem, ac chariorem esse.

Celsus vero *Mancinus de iuribus Principatuum lib. 8. cap. 6.* quæstionem hanc tangens, *& in c. 8. & 9.* definiens, ait, *hos peregrinos* (hoc enim nomine rectè vocandos docet) *in Principis consiliarios esse legendos*, idem tradit *G Benedictus in c. Rainutius in verbo vxorem nomine Andelasiam num. 150. & duobus sequent.* fusius etiam, & omnium melius *Michael Montagna Gallus in tractatibus polyticis quæst. fin.* Ea, primò, ratione, vt consiliarius, & Senator ad eum finem deligatur; quo consilio, & prudentia rebus publicis consultum sit. Cum benè monentis consilium quantumuis peregrini non aspernandum. *Dion Chrisost. orat. 34.* & finem hunc facilius consequetur, si

309 aptior ſecernatur, non autem an tali loco, vel ci-
uitate ſit oriundus: prout in pictore, qui non con-
ſideratur, an huius, vel alterius ſit ciuitatis; ſed ſi
menſuras, corporumque proprietates nouerit, &
res, quas pingit, coloribus ad viuum exprimat:
res enim ab euentu non ſunt diudicandæ, ex *Ariſt.*
*ij. phiſ.* & in topicis, quod etiam probat *l. rem non*
*nouam C. de iud. l. ſi auia C. de donat. & l. fin. de her.*
*inſtit.* cum ſimil. & ſequuntur *Bald. in l. Papinianus*
*C. de ſenten. & Guid. Pap. quæſt.* 535. ſcribit etiam
*Ælianus var hiſt lib.* 4. Athenienſes in magiſtratibus
demandandis ciuibus ſæpe antetuliſſe, eoſq; reipub.
gubernationi, ſi bonos, honeſtoſq; & ad tale mu-
nus accommodatos cognouiſſent, præfeciſſe. Ad-
ducitq; *Vitruuius de Architect. lib. 6.* Theophraſtum
Ereſium dicentem: *Doctus ex omnibus ſolus, neque in*
*alienis locis peregrinus, neque amiſſis neceſſarijs, & fa-*
*miliaribus inops amicorum, ſed in omni ciuitate eſt*
*ciuis.*

Dicunt ſecundò, Peregrinum, illius loci in quo
præeſt, amantem fieri, & melius rem ſibi commiſ-
ſam curaturum; vel ex eo, quod vna pars cœli ſit
communis, eadem fruatur temperie, moreſq; eoſ-
dem percipiat; vel quia, quos regit, amabit, tam-
310 quam caput propria membra; nec eo affectu ni-
mio, quo conciuis duce poterit; tamquam ab affi-
nium turba, cognatorumq; numero immunis, &
à precibus amicorum liber: res quidem non con-
temnenda; cum minoribus preſſus difficultatibus,
& promptior, & paratior eſſe poſſit; teſte *Saluſt.*
*in Catil.* Quod à legum latoribus fuiſſe animaduer-
ſum patet manifeſtime in *l. nullus apparitor. C. de di-*
*uerſ. appar. lib. 12. & in l. nulli patria C. de off. rect.*
311 *prouin* dum nulli patriæ ſuæ adminiſtrationem ſine
ſpeciali iuſſu Principis permiſerunt, ex *tit. vt nulli*
*patr. C. & hoc, vt ait gloſ. in d. l. nulli patria ratione*
*ſuſpicionis, ne quod gratioſe fiat,* vt habetur *in c. pe-*
*nult. ibi de terra vxoris ſuæ oriundus, vt lit. non conteſt.*
*vel quia vileſcit authoritas; cum nemo propheta &c.*
312 *Bar. in l. quod ſeruus ff. de cond. cauſ. dat.* legimus in-
ſuper prohibitum eſſe iudici, & aſſeſſori; ne in cau-
ſa tum propria, tum ſuæ ciuitatis iudex ſit, in *l. bi*
*qui, & l. ſi cui ff. ex quib. cauſ. maior.* & apud *Bar. &*
*Io. Plateam in d. l. nullus. l. fin. vbi gloſ. C. de crim.*
*ſacril. l. 3. C. de diu. off. fiſcal. lib. 12.* Id quod etiam
conſtituerat *Ant Philoſoph.* vt de eo teſtatur *Dion.*
nempe, ne quis cum imperio, vel poteſtate eſſet
apud eam gentem, ex qua ortus eſſet.

Placet tertiò quibuſdam, peregrinis potius dan-
313 dos eſſe magiſtratus, quam conciuibus ad euitan-
das inter eos ciues inimicitias, odia & ſimultates,
dum in inſontes vltionem exercere contingit; po-
tiſſimum cùm ex eis aliquando pernicies reipub. ſe-
quatur. *l. 3. ff. de off. aſſeſſ.* Sic *Spartian. in Peſcenino*
*Nigro.*

314 Mouentur quartò exemplis Quiritum, primò,
qui naſcentem rempub. nomenq; Romanum, atque
Vrbem Orbi imperaturam, vt magis, magiſque
proferrent; externam virtutem ſunt ſequuti, nec
erubuerunt peregrinis hominibus, ciuibus ſuis poſt-
habitis, publicam rem gerendam mandare: dum
Numam Pompilium inter ſalſinos natum, & Tar-
quinium deinde in Reges delegerunt. Marcoquoq;
Perpennæ magno omnium conſenſu ſummum con-
ſulatus imperium delatum eſſe legimus. Athenien-
ſes vero Anacarſim ciuitate donaſſe teſtatur *Lu-*
*cian. in Scyta, & Tacit.* refert Claudium dicentem,
*ſe in Senatum transferre velle, quos vbique gentium*
*egregios inueniſſet.* Immò ex Aſcon. *accepimus, ex lege*
*lata à Q. Mutio Scæuola P. Max. de ciuibus regundis,*
*ita animos alienatos fuiſſe; vt hinc bellum Italicum or-*
*tum ſit;* Quod firmat *Liu. lib. 4. dec. 1.* inquiens, *ni-*
*miam vnius ordinis Reſpub. in ſua dignitate ſibi reti-*
*nenda, nulliſque alij communicanda obſtinationem,*
*magnas ſæpe, eaſque inutiles, & ipſimet illi ordini*
*funeſtas contentiones paruiſſe; prout de non mutan-*
*dis ordinibus, & de alio Conſule ex plebe creando*
*leges fruſtra à Senatu impedita.* Refert etiam
*Pauſan. lib. 7.* Sancitum in quæſtione de finibus
inter Achæos, & Lacedæmonios fuiſſe, ne Græ-
cus in Græcum, ciuis in ciuem ius gladij, pote-
ſtatemque haberet, eamque ſanctionem à Senatu
Romano approbatam. Hinc Ennodius in Panegy-
rico Theoderici. *Coronam curia innumero,* inquit,
*flore velaſti, nullum de honeribus tetigit deſperatio, quem*
*inuenerunt depracantem bona conſcientia.* Quibus con-
ſentit Nazarius. *Senſiſti Roma te tandem arcem om-*
*nium gentium & terrarum eſſe reginam, cum ex omnibus*
*prouincijs optimates viros curia ſuæ pignoraueris, vt Se-*
*natus dignitas non nomine, quam re eſſet illuſtrior, cum*
*ex totius orbis flore conſtaret.* Firmat hoc ipſum *Caſ-*
*ſiod. lib. 12. ep. 13. Quicquid humani generis floris eſt ha-*
*bere curiam decere &c.* Quid plura? Nonne videmus
Curiam Romanam, & in illo prudentiſsimorum
Rotæ virorum, & in ampliſsimo Cardinalium con-
cilio hactenus, & iure merito, hoc ipſum obſeruaſ-
ſe? vt habetur in *cap. per venerabilem qui fil. ſint legit.*
Princeps namque Zeuſim imitando, qui, ex omni-
bus, quas pulcherrimas viderat mulieres, partos
colligens, formoſiſſimam pinxit Venerem ex *Cic te-*
*ſtim. lib. 2. de inuent. in prin.* concilium ſapientiſſi-
morum virorum conſtituens, & aduenas, & pro-
prios admittens, rectè agit; cum, vt Iſocrates reſ-
pondit etiam dictum eſt, quilibet mundi ciuis ſit; nec
referat, an magis ex vno, quàm altero loco quis ſit
oriundus: facileque mores cuiuſque extraneus pru-
dens percipiat. Non immerito quoque legimus *In-*
*nocen. Pontificem in c. ad decorandam de inſtit.* Con-
ſtantinopolitano Patriarchæ, qui Venetos tantùm
ad ſuam eccleſiam admittebat (eo prius grauiter
repræhenſo) vt quoſcunque idoneos eligeret, man-
daſſe, indignum ratum a Dei Sanctuario acceptos
Deo homines arceri.

Hæc autem quamuis dubitationem præſeferre
videantur, non tamen huiuſmodi ſunt, vt nos à prio-
ri ſententia retrahere poſſint; quæ vult, longè me- 315
lius fore, ſi originarij & oriundi Ciues, quam pere-
grini, vel aduenæ, etiam ſi æquales ſint conſilio, &
prudentia, ſeligantur. ita probat *Tex. in l. reſcriptum*
*§. 1. ff. de mun. & hon. in l. generaliter §. ſpurios, & in*
*l. eos eod. tit. gloſ. in c. hortamur §. veniens 71. diſtinc.*
*tex. alius in c. cum te de cler. peregr.* & in ſimili tenue-
runt *Roch. de Curt. in tract. de iur. patro. in verbo hono-*
*rificum col. 21. & Benedic. in d. cap. Raynutius in verbo*
*vxorem nomine Andelaſiam à num. 1084. vſque ad num.*
*1057 & Barb. conſ. 24. lib. 1. cum alijs ſupra in princip.*
*relatis,* ne vt ait *Rebuff. de lit. natur. gloſ. 2. num. 2.* ho-
die rabidi canes panem filiorum deuorent, vel ne
dicamus, non fœneraberis fratri tuo, ergo alieno, &
ne emeritis in ſuis Eccleſiis, & extranei, & qui ante
ignoti ſunt, ad excluſionem eorum, qui bene ciuium
ſuorum merentur teſtimonium, præponantur, vt in-
quit *tex. in c. nec emeritis 61. diſtinct.* Tunc autem al-
ter (*vt in c. ſequenti ead. diſtinct.*) de altera eligatur
eccle-

ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cuius est Episcopus ordinandus nullus (quod euenire non credimus poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt) vt aliqui de alienis ecclesijs immerito præferantur, Habeat vnusquisque suum fructum militiæ in ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat, nec alij debitam alter sibi vendicare audeat mercedem. Alios plures concordantes allegat *Cass. d. consider. 22. in fi. vers. etiam de iure canonico.* Sic etiam de Præside Senatus, qui naturalis esse debeat tenet *Cabed decis. Lusit. 1. n. 8 post Gomez Couar. & alios.* Intentionis quoque S. Pontificis est, vnumquemque in in sua prouincia prouidere *c. bona 2. de postul. prælat. c. ad decorem de instit. c. fin de cler. peregr. c. episcopus 61. distinc. l. in Ecclesiis C. de ep. & cler.* quod plurimum frugi esse arbitratur *Panorm. in d. c. ad decorem.*

Quinimo si origo omittatur, obreptitiæ erunt litteræ. *Abb in d. c. fin.* Et de eodem monasterio & habitu cautum est, vt eligatur *Abbas c. officij de elect.* quod etiam in monialibus procedit, vt ibi per *Card. c. quam sit 18. q. 2.* Et regularia non nisi regularibus, secularia secularibus beneficia conferri debent, *c. possessiones de reb. eccles. non alien. c. fin. de stat. monach. vbi Panorm. c. inter quatuor de relig. dom. c. cum de beneficio de præb. in 6. clem 1. de supplen. neglig. prælat. c. presbiteros vbi Io. 16 q. 1. c. quæ semel 19. q. 3.* & Monachus albus non potest eligi in Abbatem monacorum nigrorum. *Zab. in clem. 1. col. 2. de stat. monach.* Idem comprobatur exemplo Zeusis in contrarium allegato, qui ex Crotoniatibus tantum puellas elegit; & certum est, eos meliores esse, qui ex melioribus, ex *Arist. 5. polit. nempe Ciues, ex Cic. testimonio de amic.* dum inquit, *potiores sunt ciues, quàm peregrini. cui accedit dispositio, tex. in d. l. 2. de off. præs. in l. in ecclesiis C de Epis. & cler. in c. quoad Archi-*
316 *diaconum 84. distinct. & in c. nullus 61. distinc.* Ciues enim hac ipsamet ratione, non exteros tenetur Pretor in tutores eligere, *l. Diuus vbi glos. ff. de tut. & cur. l. 1 §. si quando ff. de magist. conuen.* Immo, si ma-
317 ior pars elegerit exterum, & minor pars ciuem, cæteris paribus præfertur ciuis. *c. cum omnes de constit.*
318 Et in distributione annonæ ciues semper præferuntur *l. 2. C. de annon. ciuil. liber xi.* vbi *Bar.* Item in
319 præsentatione facta ad iuspatronatum præfertur ciuis. *glos. in c. si proponente de rescrip.* quam ibi commendant *Imol Abb. & Barb. num. 50. & in cons. 23. n. 9. lib. 2.* vbi multa alia allegat.

Et quamuis Theod. Rex apud *Cassiod. lib. 3. ep. 6.* dicat de Senatu loquens. *Delectat peregrini germinis viros gremio libertatis inserere, vt varijs frondescat Senatus aula virtutibus, ornat enim talis multitudo conuentum, & latam reddit faciem publicam honorata frequentia;* subdit tamen. *Sed multo nobis probatur acceptius, quoties dignitatibus reddimus, qui de ipsa Curia claritate nascuntur.* Iterum *Cassiod. lib 1. ep 3. agere,* inquit, *per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quempiam deprimentem, nec gratia blandiente sublimantem, cum vbique sit arduum, tamen sit in patria gloriosum, facilius etiam homines eiusdem idiomatis sociari nemo negabit.* cum *D. Aug. lib 19. de ciuit. Dei c. 7.* dicat: *melius quis cum cane suo, quam cum homine diuersi idiomatis conuersatur;* id quod probat *Gomez. de idiom. q. 1. post prin.*

320 Nec me mouet illud, quod dicebatur, peregrinum magis liberum esse à cura affinium, & amicorum, quoniam supposuimus, ciuem ad omnia idoneum, & sic non acceptorem personarum, vltra quod in Senatu non vnus dumtaxat iudicat, sed cum collegis sententiam dicit, & vbi de causa propria, vel affinium tractari contingit, ab ea se abstinet. Præterea qui amicos non habet, nec affines; eos sibi parat, & quærit, vt ex Teren. in Eunucho his verbis. *Sola* inquit *sum, habeo neminem hic, neque amicum, neque cognatum; quamobrem cupio aliquos parare amicos beneficio meo. Id amabo adiuua me, quo id facilius fiat.*

Ad id verò, quod non liceat in causa propria, vel 321
ciuitatis iusdicere, & minus patriæ administrationem habere *toto tit. C. ne quis in sua caus. l. de iure ff. ad Municip. l. 1. §. in propria quando appellan sit,* vbi scribentes, & *toto tit. C. vt nulli patr.* Respondetur primo, prædicta sibi locum non vendicare vbi agatur de interesse secundario Iudicis, vel in cõsequentiam, puta quando causa tangit vniuersum, non vt singulos. *l. 1. C. de superinds. l. 1. C. de muner. & in quo loco lib. x. & l. 1. & l. qui se grauatos C. de cens. lib xi. Gram. decis. 40. n. 3 Anfred. de recus. c. 64.* Secundo non procedit, vbi princeps id permittat. *l. in consiliarios C. de assessor. d. l. nulli patria iuncto tit. vt nulli patria administr. sine permissione principis* Præter id quod rationem ferendæ legis illius affert *Zonar. in M. Aurelio* inquiens *Postea lex lata est, ne quis ei prouinciæ præesset, è qua natus esset: Propterea quod Cassius Syria prætor, in qua patriam habebat, regnum affectarat.* Quæ sane ratio in deligendis Senatoribus nostris penitus cessat. Tertio, in Iudicibus & Magistratibus maioribus & supremis non verificantur, vt sunt Senatores *d. l. consiliarios.* Quartò, vbi alias Iudex sit integræ opinionis, & bonæ famæ, vt aduertit *Abb. in c. ad Audientiam num. 10. Alex. de Neuo num. 24. & in c. postremo num. 32. de appel.* qui dicit se pluries obtinuisse, Iudicem pro suspecto allegatum, probata eius magna integritate non potuisse reuocari: quod etiam verum est in teste, qui, vbi alias esset inhabilis, tamen habilis sit, vbi integer sit, & opinionis probatæ. *Farinac. quæst. crimi. 60. n. 59.* & probatur in *c. si quæstiones de simonia, & in c. cum persona de priuil. in 6. & in d. c. ad audientiam,* Quintò, non procedunt prædicta ratione adiuncti, quorum non interest, vt per *Alex. in cons. 99 nu. 17. lib. 5. Chassan. in consuet. Burgun. rubr. 13. §. 5. vers. si non per vnum nu. 8. Farinac. d. q. 60. n. 14. Ruin. inn. in cons. 409. n. 28. lib. 4. & Ias. in authen. si vera contigerit per tex. ibidem in prin. C. de iud.* Sextò poterit Iudex naturalis, & originarius in causa suæ ciuitatis, & propria iusdicere, ex consuetudine, ita *Bar. in d. l. 2. num. 4 ff. si quis in ius voc. non iver.* & ibi *Alex.* qui ait sic seruari contra *glos. in d l. de iure,* quod etiam sequitur *Roman. in cons. 344. in fi per tex. in c. 1. de pœn. in 6. in verbis, nisi amplius sibi à consuetudine fuerit concessum.* Postremò, quis non videt ea iura in contrarium adducta casui nostro non conuenire, ex his, quæ primo loco deduximus, pro quibus facit etiam *tex. in l. Alexandrinis C. de decur. lib. 10.* qui sic ait, nec publica cura nisi in sua tantùm ciuitate permittatur.

Non etiam refragantur ea exempla Romano- 322
rum, & Cardinalium, siquidem illud Tarquinii rem hanc adeo claram reddit, vt nihil magis. Is enim vltra natalium sordes. & parentum probrum, (nam & mercatore patre, & exule genitus fertur, peregrinus, & ipse Corinto ortus) adeo se gessit, vt Romam

mum eum in Regem asciuisse pœnituerit. Scribit *Plin. nat. hist. lib. 33. cap* 1. obseruatum sedulo ad suam vsque ætatem non tantum ne peregrinus, sed ne ciuis etiam nouus ad iudicandi munus admitteretur. Illud Cardinalium non obest, cum Cardinales non huius vel illius loci, sed Ecclesiæ Romanæ dicantur, hoc est vnius *c. legimus* 95. *distin. clem* 1. *in prin.* & ibi *Card. de sent. excom.* sub qua omnis respub. Christiana regenda est, vt ibidem; aliam adducit *D. Bernardus considerationem in lib. de consid. ad Eugenium*, nimirum vt vnus quisque genti suæ, cuius mores notiores sicut iustitiam facilius valeat administrare. Et eum sequitur *D. Anton. in 3. p. suæ sum. tit.* 21. *cap.* 2. §. 2. Et quamuis Athenienses Anacharsim elegerint, is vnus tantum fuit, Lacedæmonij verò neminem, teste *Plut. lib. de clar. mulier.* nec alij quos recenset *Caiet. d. lib. 3. tit.* 2.

323 Alia occurrit non contemnenda ratio, desumpta ex *l. 2. C. de off. præt.* nempè eligendos esse Prætores, qui habent larem in Vrbe, vt ij metu priuationis bonorum iustè officium exerceant. At exterus, quia exterus est in fortunas subiectorum grassatur; in externis quippe locis minor est ad facinus verecundia, vt ait *Cicero Ep. fam. ad Marcellum* 4. ac durius imperium exercebit. Ciuis autem si delectus est, credibile erit neque dignitatem, neque rempub. in oculis ciuium, ac parentum eum, quicquam facturum. Hinc *in auth. de collat. §. sed neque prouinciarum iudices collat.* 9. multa ratio habetur eorum, qui honorum possessores sunt, eorum vero, qui nihil possideant, nulla. Fertur q; ideo Claudius Cæsar, vt de eo testatur *Tranquill. cap.* 14. principatus sui initio affirmasse, non lecturum se Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem. *Plinius Iunior ad Nepot. Ep. lib.* 6. inquit de Traiano. Eosdem patrimonij tertiam partem transferre iussit in ea, quæ solo continerentur. Deforme arbitratus, vt erat, honorem petituros vrbem, Italiamq; non pro patria, sed pro hospitio, aut stabulo, quasi peregrinantes habere; quod imitatus *Ant. Philos.* legem etiam edidit, vt Senatores peregrini quartam fortunarum suarum partem in Italia possiderent, vt de eo *Capitol.* scribit. Rectè igitur diximus originarios esse præferendos ex supra deductis, & ne vnum corpus diuersis naturæ membris congestum videamus, hoc est monstrum. *l. non sunt liberi ff. de stat. hom.* turpis
324 est etiam illa pars, quæ suo non congruit vniuerso. *c qui contra 8. distin c. fin. de spons. duor.* quia Senator est Reipub membrum, vt ait *lex 2. & 3.* & ibi *glos. in verbo reipub membrum C. de apparis. & proconf.* Et ne ex diuersitate linguæ, non secus ac ex dissimilitudine corporum oriatur diuersitas animorum, vt inquit *D. Aug. lib. 2. de doctrina Christiana c. 4. facit tex. in c. quia diuersitatem de concess. prab.* & multis probat
325 *Gomez. in reg. de idiom. q* 1. Cùm vsu compertum sit, consilia externa vsu infausta, vt latè, per *Lips. in not. ad iij. lib. polit. sub vers. non exteros*, inter alia dicentem, *in quam domum Vespillones veniunt, signum esse funeris*.

## CAPVT XXV.

*Sint ne Clerici, & Religiosi in Senatum legendi?*

QVid de Clericis & Religiosis, an illi sint in Senatores legendi? quæstionem hanc disputauit *Curia Pisana lib. 2. cap.* 21. & ibi *Azeued.* & dicunt casum esse in terminis *in l. placet C. de episc. & cler.* per quem *Abb. in c. non minus col. iij. de immun. eccles.* post *Innoc. in c. dilecta de excess. prælat.* ait, *eos non esse de vniuersitate laicorum, & non habere vocem in consilio populi*. *tex.* quoque *in c. inutile* 88. *distinct. & in l. repetita C. de episc. & cler. in l. consilia diualia C. de testa. & in c. 3. ne cler. vel monac.* probant non conuenire clericis se peritos in forensibus causarum disputationibus ostendere, imo, vt 1. *ad Thimot. c.* 2. nemo militans Deo implicet se negotijs secularibus, quod multis prosequitur *Diaz. in pract. cap.* 55. *num.* 1. *& sequen.* Hinc *D. Gregor.* 19. *moral.* inquit, *Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, & nullis magnorum virorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotijs iudicent: quatenus quos magna nequeant bona: minora suppleantur, quos Apostolus contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cum dicit, secularia iudicia si habueritis, contemptibiles illos constituite ad indicandum. Non enim spiritualis contemplatio, & ciuilis administratio vt plurimum inter se iunguntur*, secundum *Niceph. hist.* 3. immo, ciuilem virtutem iungere cum sacerdotio, est miscere omnino non miscenda, vt inter cetera ait *Synes. Cyren. ep.* 67. tum quia Sacerdotem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijciat: ne fideiussor existat: ne aduocatus litium fiat, neve in vlla aliqua occupatione prorsus inueniatur mundialis officij occasione perplexus: neque enim iudicem, neque cognitorem sæcularium negotiorum, ne profocatus præsentibus hominum curis non possit verbo Dei vacare, ait *tex in c. te quidem xi. q.* 1. & impietatis crimen est, neglectis verbis Dei, sollicitudines suscipere sæculares. *c. sequen. ead. quæst. & c. quia episcopus.* 5. *q.* 3. tum quia in prædictis se ingerens religiosus, cupiditatis causa tantùm facere præsumitur, vt in *c. non decreuit* 88 *distinct* & alienis curis intentus, vt propria perdat, & negligat necesse est. Ait quoque *D. Augustinus* 1. *ad Cor.* 6. Hi terrenas causas examinent, qui externarum rerum sapientiam perceperunt: qui autem spiritualibus bonis ditati sunt, terrenis non debent negotijs implicari, vt, dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire, & tamen non in palacijs principum, sed in ecclesia certare tenentur, vt ait *D. Ambrosius in c. conuenior 23. quæst. 8. & c. episcopus nullam 88. distinct. iuncto c pallentes 38. distinct.* Tum etiam quia talis religiosus constituit se periculo in irregularitatem incurrendi, secundum *Bal. in c. 2. de maior. & obed. Diaz. vbi supra c. 56. Rip. in c. 2. de iud. num. 44. Prepos. in c. miror num. 3. & in c. clericum 50. distinct. Albertus Troccius de vero, & perfecto clerico lib. 2. cap. 20. cum seq. Abb. in c. ex literis num. fin. de excess. prælat. & Felin. in c. si quando col. 2. de rescript. num. 3. Io. Brunellus ad c. si furiosus de homicid. in addit. ad Couar. par. 4. num. 59. & sequens.*

Hinc

Hinc Ripa in *c. 2. de iud. num. 46. & 47.* ex mente omnium inquit, clericos non posse aliquam Ci-
328 uitatem, seu locum temporalem habere, nec ad vniuersitatem causarum delegatos esse, quod etiam sequi *Couar in d. clem. si furiosus 2. par. §. 5. num. 8. tradit Azeued. vbi supra*, cum tunc deficiant in eo clerico requisita enumerata ab *Archiep. Floren. in sum. 2. par. tit. 13. cap. 1. 2. & 3. & in tit. 19. c. xi. & alia per SS. Concil. Trid. sess. 14. de reformat. c. 1. & sess. 22. de reform. c. 1.*

329 Immo secundum Lucam de Penna in *l. milites 2. col pen. & fin. C. de re milit. lib. 12.* peccat mortaliter Dominus, qui sacerdotes Domini ad talia admittit officia, & forte in sententiam excommunicationis incurrit, ex *Cypriano 21. q. 3.* offert enim tales peccato, eosque seruos peccati facit, & hæc aliis etiam probat idem *Azeued. vbi supra*.

Non erunt ergo tales religiosi admittendi ad tale munus, primò ne cultus diuinus deseratur.

330 Secundo ob publicam vtilitatem, quæ multum detrimenti patitur ex personis sic electis, vt multis probat *Carolus à Grasallis lib. 2. Regalium Franciæ iure 15. & Curia Pisana lib. 2. cap. 21. pag. 3. sub versic. oportet quippe sacerdotem*.

Tertio, quia non est honestum (quamuis dicant aliqui licere) vt omnes firmant, tales admitti, ita *Ripa vbi supra num. 47* non enim quod licet, sed quod decet, est inspiciendum, vt per *Dec. in l. semper in cõtractibus de reg. iur. Abb. in c. 2. de iud. nu. 8. & Tiraq. de legib. connub. l. 9. n. 7.*

Quarto, vt euitetur occasio peccandi, tum respectu eligentis vt supra, tum respectu ipsorum prælatorum, qui peccant, si talia munera subeunt, vt per *Abb. in d. c. 2. de ind. n. 8.* nec ea licitè accipiunt teste *Calder. in cons. 1. de off. deleg* quinimo vinculo excommunicationis ligantur, vt post Gaiet. *tradit Nauar. in manuali cap. 27. n. 117.* Quæ omnia potissimũ in Præside, & Senatore nostro habebunt locum, cum hi criminalibus negotiis incumbant, vt constitutio hæc loquitur.

Poterunt tamen sacerdotes, clerici, & religiosi interesse consilio infrascriptis in casibus.

331 Primo in consilio in quo de bono totius Christianæ Reipub. agatur, & a Prælato petitum sit consilium. *c. in Archiepiscopatu de rap. c. sane 23 q. 8.* ita *Abb. per dicta iura in c. 2 n. 8. de iud.* eos enim tunc veluti coadiutores Regis, non verò principales cooperatores iura admittunt; ea ratione, vt si caput indigeat consilio, eius membra necesse sit vt illi sint auxilio: qui enim offendit, vel defendit partem aliquam, totum corpus offendisse, vel defendisse dicitur *l. vulgaris ff. de fur. & Apost. ad Corinth. 12.* inquit si patiatur vnum membrũ compatiantur alia membra. Et hoc in casu licebit Prælato propter magnam Regis vtilitatem, vel pro consilio particulari a Rege petito prædicta exercere summi tamen Pontificis accedente licentia, & assensu, vt per *Molin. de primog. lib. 2. cap. 2. num. 51. & lib. 1. cap. 13. n. 37.* dũ tamen iustitiæ exercendæ officiales non sint, secundum *Abb. in d. cap. clericus n. 10.* & neque Vicerex fiat, neque locumtenens alicuius Principis, vel temporalem iurisdictionem alicuius loci habeat, vt per *Abb. ibidem n. 5. Dec. in d. c. 2. de iud n. 7. & alios ibidem, ac Molin. vbi supra*.

Secundo licebit religiosis ob propriam defensionem auxilium, consiliumque præbere, & in militaribus actibus adesse. *Nauar. in manuali cap. 27 nu. 214. & 215.* quod commune esse asserit *Rip in d. c. 2. de iud. num. 46. & 47.* potissimum si onus sit adiunctum prælaturæ, vt per *Molin. locis præcitatis, & Couar. in d. clem. si furiosus §. fin. num 7.* criminalia tamen alteri committendo, iustitiam facturo, vt ibi per eum, & per *Fran. in c. fi. nu. 6. ne cler. vel monac.* & in his casibus intelligendi sunt *tex. in c. nomina ciuitatum de pac. constan.* ibi *Abbas Gotofredus Imperialis Aula Cancellarius, & in c signum eod. & in c. in Archiepiscopatu de rap. & in auth. si quis litigantium C. de episc. & cler. & quæ tradunt Boer. decis. 17. n. 2. & in addit. ad tract. Io. Montagn. de auct. magn. consilij nu. 46 Calder q. 5. 6. de off. deleg. Diaz. in prax cap. 56. n. 2. in addit. Menchaca de success. creat. lib. 3 num. 312. ac Carol. de Grassis lib. 2. regal. iure 3. in fi.* Quodque prædicta procedant de honestate, & de consilio, non autem de necessitate; vt per *Rip. d. c. 2. de iud. num. 47.* & si de honestate, vt omnes concludunt; cuinam melius honestas est necessaria, quam prælatis & clericis? propterea prima opinio verior, & securior erit, cum doct. contrariam partem tenentes, suos fortassis non alienos tutarentur honores, vt ait *Azeued. d. c. 21. in fine*.

---

## CAPVT XXVI.

*Equites an inter Senatores liceat cooptare.*

Rationes permultæ in superioribus capitibus à nobis allatæ quæstionem propositam, vel 332
clariorem, vel obscuriorem reddere possunt: siquidem diximus supra ex equestri ordine delectos fuisse vt plurimum Senatores, quia equester ordo quasi gradus ad Senatorium erat, & vt Liu. ait lib. 42. seminarium Senatus. sic etiam *Festus, Dion lib. 54. Gell. lib. 3. & Suet. in Aug. Isidor. lib. 9. c. 4.* inquiens, *quãuis enim senatoria origine quisque esset, vsque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis*. Diximus etiam infra *glos. 6. c. 28.* penes equestrem ordinem iudicia diu fuisse. Amplius ab origine Senatus vsque inter Senatores fuerunt Equites cooptati. Sic enim ait erectio anni 1499. Erunt præterea decem & septem Consiliarii seu Senatores: quorum duo erunt prælati, quatuor erunt militares, ceteri vero vndecim erunt viri electi, docti, & graduati. Et altera erectio Ducis Sfortiæ his vtitur. Vtque honoratior, prudentior, & consultior sit Senatus, constituimus Senatores viginti septem, qui in præfato Senatu munus obeant Senatorium, quorum sint prælati quinque. Equites nouem, & iurisconsulti tresdecim. Integrum etiam esse consilium, quod plurimorum testimoniis confirmatur docuimus supra *glos. 1. cap. 2. num. 20. & sequen. plur.* ita vt horum etiam nobilium virorum, qui licet non sint iurisperiti, consilium, Reipub. admodum prodesse possit. Nec dicatur Senatores officium, vt plurimum in iustitiæ administratione versari, vt satis supra probatum est, hoc est circa leges ipsas, Decreta, Statuta, & Constitutiones, ita vt solus earum legum, decretorumque; & aliorum peritus, rectè eo Senatorio officio fungi possit; quoniam respondetur, hoc procedere posse, si soli Equites, vel non iurisperiti iudicere deberent; at quia cum aliis Collegis, omnino admittendi sunt, prout videmus etiam alios litterarum ignaros in iudices dari,

ita vt cum consilio Assessorum suorum iudicant, secundùm *Abb. in c. 1 num.* 14 *de iud. Fel. in c. suscitata in verbo illitteratus nu.* 10. *de rescrip. D. Menoch. de arb. iud. lib* 1. *quæst.* 22. *circa fin. Decian. resp.* 18 *n.* 33. *& seq. lib.* 1. Præter id quod consiliarius merus legista recusari posset in causa merè spirituali, vt ait *Dominic. in c. statutum in prin. col. fin de rescrip. in* 6. & idem quando causa esset multum subtilis, & de apicibus iuris, consiliarius autem esset rudis canonista, vt per *Bal. in l. fin. quæst.* 16. *C. de bar. instit.* scilicet, vbi solus sit, non autem cum adiunctis. Probauit etiam vsus, consilium illitteratorum prudentissimum apparuisse, vt habetur in *tex. cum glos. in c. ad nostram de consuet. vbi Abb.* & ceteri, qui exempla ponunt nonnulla, dicuntque huiusmodi homines habere intellectum magis eleuatum quàm prudentes, *Boer. decis.* 23. *num.* 57. *& trib. seq Rebuff. in auth.* habita in verbo examinatione *C. ne fil. pro patr. vers. decimum octauum, & Cassan. in Catal. glor. mun.* 11. *par. consider.* 9. Cicero idem probat in *Orat. pro C. Plancio*, inquiens, *Quæris num disertus Plancius, immo id quod secundum est, ne tibi quidem videtur. Num iurisconsultus. quasi quisquam sit, qui tibi hunc falsum de iure respondisse dicat: omnes enim istiusmodi artes in ijs reprehenduntur, qui cum professi fuerint, satisfacere non possunt: nō in his, qui absuisse ab ijs studijs confitentur, virtus, probitas, integritas in candidato, non lingua volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Vt nos in mancipiis parandis quemuis frugi hominem, si pro fabro, aut pro textore emimus, ferre molestè solemus; si eas artes, quas in emendo secuti sumus, nesciuerint; sin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo nisi frugalitatem, laborem vigilantiam esse curamus; sic P. R. deligit magistratus, quasi Reipub. villicos, in quibus, si qua præterea est ars, facilè patitur, sin minus virtute eorum, & innocentia contentus est, vt eos numeres, qui colunt esse? Quod si præterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis, & ornatissimis ciuibus est futurum?* Idem Cicero pro L. Murena. *Apud exercitum fueris tot annos; forum non attigeris, abfueris tandiu, & cum longo interuallo veneris, cum his, qui in foro habitarant, de dignitate contendas? Vt hoc*, inquit, *serui omisso, ad studiorum atque artium contentionem reuertamur, qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quàm iuris ciuilis gloria?* Et rursus paucis interpositis: *& quoniam mihi videris istam scientiam iuris tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari. Alijs ergo te virtutibus continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei. ceteris omnibus consulatu, & omni honore semper dignissimum iudicaui; quod quidem ius ciuile didicisti: non dicam operam perdidisti, sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam hactenus ille. Multos ferè inuenies, qui etsi à litteris alieni tamen acumine ingenij, facundia, vsu rerum, doctissimis viris, præferantur. Quod si ad illam natura fœlicitatem, & multiplicem experientiam methodica iuris institutio accessisset, quid cum eorum excellentia comparari posset?*

Plures alias pro hac parte possemus rationes adducere, si nunc ordo amplissimus hos equestris ordinis homines, aliosuè non iurisperitos requireret.

Diximus enim supra cap. 17. & 18. Senatores, & sapientes, & iuris vniuersi omnino peritos esse debere, prout etiam requirit ordo ille Imperialis Vormacensis, dum his vtitur. *Il Senato ha di hauere grandissima vigilanza, e speciale cura, che le cose della giustitia, che in esso si trattano, & si deuono trattare, siano determinate, guardando gl'ordini, & statuti dello stato con quella equalità che conuiene alla buona amministratione di essa giustitia, di maniera che per rispetto d'alcuno non si faccia se non quello, che di ragione, & giustitia si dee fare.* Iurisconsulti ideo sacerdotes appellantur, & merito quidem, æquum enim ab iniquo separant, licitum ab illicito discernunt. Horum domus ciuitatis oracula vocat *Cic.* 3. *de leg.* Ad iurisconsultos namque sic veteres olim adhibant, vt non solum de omni iure ciuili, sed etiam de omni negotio & officio refferretur. Iurisconsultis *Arist.* 3. *Pol. c.* 8. fœlicitatem Reip. tribuit, quia sine ipsis iudicium rectum haberi non possit; prout & morbi medicorum inuentu curantur. Sic *Demost. orat.* 2. *contra Aristogit.* Equites autem legum, statutorum, ordinumque ignari iustitiæ finem, scopumque attingere non poterunt, & ideo tanquam minus habiles ab eod. Inuictissimo Imperatore fuerunt vetustissimo sequutus exemplo, quo non equites, sed iurisprudentes de iure responderunt, amoti. Nam quid dignius, si Senatorio vestiatur honore togata professio? inquid *Cassiod. ep.* 23. *lib.* 3. subdens alia plura huiusmodi.

Dixit etiam *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 2. id expedire, quod aptum est ad finem consequendum sine impedimento, ergo expedire non poterit, inter Senatores equites, & illiteratos adscribere, cum ij minus apti sint ad finem iustitiæ consequendum. Locus vero Equitibus datur in secretiori, excelsoque consilio, in quo quandoque, & vt plurimum, non de iuris articulis, & quæstionibus, sed de aliis cognitioni eorum non alienis agitur.

Ad id vero, quod ex Cicerone, & aliis prædictum est; multis responderi potest, Non eandem hodie esse, quæ olim fuit, Senatus & Magistratuum rationem: siquidem iudicia penes priscos Senatores non erant, ipsique Senatores, & Magistratus perraro lites dirimebant, vt infra *glos.* 6 *cap.* 27. *num.* 252. Quod contra hodie fieri certum est, ita vt iuris imperitus illis interesse non liceat. Quid enim turpius, vt cum Cicerone, & Pomponio nostro loquar, alter in orat. alter vero *in l.* 2. *§. seruus ff. de reg. iur.* quam legitimarum, & ciuilium controuersiarum cognitionem suscipere, cum sis legum & ciuilis iuris ignarus? Quinimmo si seculum, quo Cicero floruit respicias, rudes, & imperitos in Senatu allegi fas non fuit, lege dicente, *Senator causas populi teneto* Sic & *Iustin. nouella* 82. *in prin.* his verbis. *Non ex vsu reipub. esse putamus, vt aliqui iudicum nomen gestent, qui & legum maxime sunt imperiti, neque villa in rebus gerendis obtinent vsum.* Gratum proinde cunctis Romanis fuit, Herodiano teste *lib.* 6. Alexandri imperium, quia res cunctas, atque administrationes, ciuiles quidem & forenses, insignibus doctrina viris, legumque peritissimis, militares autem claris bellica virtute hominibus commendaret; leges si rerum pub. sunt vincula, vt ait Plato 1. *de legib.* fundamenta libertatis, *Cicer. pro Cluen.* vitæ humanæ solatia, *Cassiod. lib.* 3. *var.* & veluti muri magistratuum contra vulgi importunitatem, *Leo in proem. Constit. Nouell.* solis ipsis Iurisconsultis demandata iuremerito fuit legum determinatio, forensiumque negotiorum postrema cognitio.

CA:

## CAPVT XXVII.

*Vtrum rogati, inuitivè potius, quàm petitores in numero Senatorum sint nominandi, legendivè. Et vtrum liceat honores vltrò delatos repudiare.*

333 NVllos ad rempub. accessuros nisi coactos multi putarunt, ait *Cic. de off.* 1. æquius autem esse id voluntate fieri, idem voluit ea ratione, quod hoc ipsum ita iustum sit, quod rectè fit, si est voluntarium. Propterea non absurdum erit nobis nunc quærere; an rogati magis, aut inuiti, an illi vero, qui petunt officia, sint præferendi. (Quæstio quamuis de indubitabili, cum vanæ sint hoc tempore sententiæ scribentium, & Imperatorum Constitutiones inuitos promoueantur rogantes non admittantur) Lampridius enim in Alexandro Seuero sic ait. *Præfec. prat. sibi ex Senatus auctoritate constituit. Vrbis à Senatu accepit, alterum Præfec. prat. fecit, qui ne fieret etiam fugeret*, dicens, *inuitos, non ambientes in republica collocandos*. Legimus etiam Sergium Galbam inuitis duntaxat, & recusantibus Senatoria, & Equestria officia dare proposuisse. Idem fecit Augustus, qui cum vidisset post Cæsaris necem multos ex Senatorum numero ob intestina bella paternas facultates amisisse, & vel propter inopiam, vel propter maiorum suorum calamitatem vltrò Senatoriam dignitatem deposuisse, examinatis alijs ordinibus, permultos, quorum corpora prius prospexit, Senatores esse iussit. *Symachus ep.* 81. *lib.* 3. attestatur Theodosium nullos auidius traxisse, quam nihil desiderantes, & *ep.* 30. *lib.* 10. sic Theodosio ipsi scribit. *Cum ad Præfecturam vrbanam ciuilium rerum summa pertineat, minoribus officijs certa quadam creduntur: quibus regendis industrios, & priuatos operæ tebat adhiberi: vt suum quisque munus inculpata facilitate promoueat. Tales nunc de iudicio numinis vestri publicus vsus expectat, sed nolo culpare præsentes: cum satis sit sollicitudini meæ, si melioribus viris officia intra murana mandetis*. Et paullo post. *Habet temporum fœlicitas digniores. Bonorum virorum vena fœcunda est. Melius vrbi nostra in posterum consuletis, si eligatis inuitos*. Plut. etiam in eo opusculo, num seni ger. respub. sic ait. *Neque ad honores spontè volare oportet, verum inuenendum diligentius, qui iam subterfugere illos conantur; his vero imperia decernenda sunt. Ergo non adfectantibus, sed qui strennè recusant: neque qui sibi ipsi videntur imperia accipere, sed qui se ipsos veluti sub imperia tradunt, imperia deferenda sunt, &c.* Habetur etiam in *l. si quemquam C. de epis. & cler.* inuitum esse ordinandum, & Leo Imperator de episcopi electione dicebat: *quæratur cogendus, rogatus decedat*. Et D. Hieronymus ad Heliodorum his vsus est. *Sed quantò plus repugnabat, tantò magis omnium in se studia concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat, eo quod dignior erat, quò se clamabat indignum*. D. item Gregor. *in regi. & ep.* 100. *lib.* 7. sicut is, qui inuitus renuit, quæsitus refugit, est altaribus, admouendus; sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus: nam, qui sic nititur ad vlteriora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profunda descendat? idem *in Pastor.* locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus; virtutibus ergo pollens coactus ad regimen veniat. Addamus prædictis egregium *Plut. locum in Camillo de quo supra cap. xi.* ibi enim Camillus docet, inuitis etiam ægrotantibus potius, quàm ambientibus dandos Magistratus; præsumitur enim indignus officio qui inuitus non fuit ordinatus. *d. l. quemquam C. de ep. & cler. Bar. in tract. de præsumpt. & Mart. Laud. de official. dominorum q.* 38. vel saltem. Bis est gratum, quod opus est, vltrò si offeras. Non adspernenda esse vltro delata officia docet *Plato de Repub. lib.* 6. *& de legib. lib.* 12. dum vult, hunc multis, & acceptis pignoribus, eisq; distractis puniendum esse. Hinc *Xenoph. lib.* 5 Cyrop. scribit Sophonetum Prætorem declaratum, decem minis multatum, quod munus recusasset. Et sanè publica vtilitas, priuatæ est præferenda, cum nemo, ex *Cic.* 1. *de off.* nascatur sibi soli, sed patriæ etiam commodis, & vsui; particula enim ciuitatis vnus quisque est. *Arist.* 6. *Polit. cap.* 1. Præterea, si virtuti honos necessario datur: subtrahitur tamen, cum liberum est admittere, aut reijcere officia publica. Flores insuper & beata non potest dici Respub. si in ea præferri non possunt viri boni, & honorum haud appetentes; sperniturque auctoritas eligentium, & iudicium, cum necessaria obire quis recusat. Alia *Plato.* 7. *Pol. in prac. general. Respub.*

Tacitus in Agricola docet tamen petentibus dandos esse his verbis. *Salarium tamen proconsulari solitum offerri, & quibusdam à se ipso concessum, Agricola non dedit: siue offensus non petitum; siue ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse*. Ammian. Marcell. *lib. xxix. cap.* 8. crudele facinus Valentiniani his describit. *Africanus causarum in vrbe defensor assiduus post administratam prouinciam, ad regendam aliam adspiranit*. Cuius suffragatori magistro Equitum Theodosio id petenti sub agresti verbo responderat, *Abi*, inquit, *comes: & muta ei caput, qui sibi mutari prouinciam cupit. Et hoc elogio perijt homo disertus, ad potiora festinans, vt multi*. Ambientes repellendos esse docet quoque *Plato.* 1. *&* 8. *de repub. Aristot.* 2. *Polit. cap* 9. *& legibus multis in c. & ff. ijs inflicta est pœna*. Sic & *Seneca de benef. Cicero in orat. pro Planc. Murana, in Verrem act.* 2. *& in Vatin.*

Princeps autem neminem prorsus inuitum apud se retineat, gratior est enim bonis omnibus, etiam potestate, libertas sua, teste *Plin. in Panegyr.* & lætos fuisse eos, qui regna deponebant, tristes vero cùm acciperent, tradit *Valer. Max. lib.* 5. *de indulg. patr. in liberos in fine*. Ex Homero etiam in Odijs. Menelaus Telemacho redire expetenti, sic ait, *Non placet, si me nimis ambis, aut nimis oderit hospes: medium tamen laudo; nam hospitem semel exceptum, vt impellere, sic inuitum retinere est malum*. Seneca in prouerb. *inuitum cum retineas, exire incitat*. Clitipho apud Terent. Heausont. *Nulla est tam facilis res, quin difficilis sit, cum inuitus facies*. Licet de iure contra contumaces in acceptando officium oblatum hæc sit indicta pœna, vt eius loco alius eligatur, qui bona contumacis possideat, & contumax duplicato tempore debeat officium exercere. *l. si ad Magistrum C. de decur. lib* 10. poterit etiam de domo propria extrahi, vt illud acceptet. *l. ex omnibus C. de decur.* ita *Mart. Laudens. de official. domin. q.* 88. *&* 89 & ad acceptandum compelli. *glos. & Bal. in l. si quis solidum ff. de hær. instit* Sed hæc odiernis tem- 334

poribus puto non necessaria, cum affectantibus honores deferantur.

335 Sed si inuitis conferantur, vtrum liceat eos recusare. Duæ ex *Seneca lib. de vita beata cap. 30.* maximæ in hac re dissident sectæ, Epicureorum, & Stoicorum, sed vtraque ad otium diuersa via mittit. Epicurus ait: *Non accedet ad rempub. sapiens, nisi si quid interuenerit.* Zeno ait: *Accedet ad rempub. nisi si quid impedierit. Alter otium ex proposito petit, alter ex causa. Causa autem illa latè patet: si respub corruptior est, quàm vt adiuuari possit: si occupata est malis, non nitetur sapiens in superuacuum, nec se nihil profuturus impendet: si parum habebit auctoritatis, aut virium: nec illum erit admissura respub. si valetudo illum impediet. Quomodo nauem quassam non deduceret in mare, quomodo nomen in militiam non daret debilis: sic ad iter, quod inhabile sciet, non accedet? Potest ergo ille, cui omnia adhuc in integro sunt, antequam vllas experiatur tempestates, in tuto subsistere, & protinus se commendare bonis artibus, & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam à quietissimis possunt. Hoc nempè ab homine exigitur, vt prosit hominibus si fieri potest, multis: si minus paucis: si minus proximis: si minus, sibi. Nam cum se vtilem ceteris efficit, commune agit negotium. Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodò nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus, prodesse potuisset: sic si quis bene de se meretur, hoc ipso alijs prodest, quod illis profuturum parat.* Duas respublicas subdit idem *Seneca cap. 31.* animo complectamur, alteram magnam, & verè publicam, qua dij, & homines continentur; in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostræ cum sole metimur. Alteram, cui nos ascripsit conditio nascendi. Hæc aut Atheniensium erit, aut Carthaginensium, aut alterius alicuius vrbis, quæ non ad omnes pertineat homines, sed ad certos. Quidam eodem tempore vtrique reipub. dant operam, maiori, minorique: quidam tantum minori; quidam tantum maiori. Huic maiori reipub. & in otio deseruire possumus, imo vero nescio, an in otio melius: vt quæramus quid sit virtus, vna pluresve sint, & quæ sequuntur. Rursus *eod. cap. in fine.* Solemus dicere summum bonum esse secundum naturam viuere. Natura nos ad vtrumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni; *mox in cap. seq.* addit. At natura vtrumque me facere voluit, & agere; & contemplationi vacare; vtrumque facio: quoniam ne contemplatio quidem sine actione est, sed refert, inquis, an ad hanc voluptatis causa accesserit, nihil aliud ex illa petens, quam assiduam contemplationem, sine exitu. Est enim dulcis, & habet illecebras suas. Aduersus hoc sibi respondeo; æque refert, quo animo ciuilem agas vitam: an vt semper inquietus sis, nec vnquam summis vllum tempus, quo ab humanis ad diuina respicias. Quomodo res appetere sine vllo virtutum amore, & sine cultu ingenij, ac nudas edere operas, minime probabile est; (misceri enim inter se ista, & conferri debent) sic imperfectum, ac languidum bonum est, in otium sine actu projecta virtus; nunquam id, quod didicit ostendens. Quis negat illum debere profectus suos in opere tentare? nec tantùm quid faciendum sit cogitare, sed etiam aliquando manum exercere, & ea, quæ meditata sunt, ad verum perducere? Quid si per ipsum sapientem non est mora, si non actor deest, sed agenda desunt: ecquid illi secum esse permittes? Quo animo ad otium sapiens secedit? Vt sciat secum quoque ea acturum, per quæ posteris prosit. Nos certe sumus, qui dicimus, & Zenonem & Chrysippum maiora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent, quas non vicini ciuitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid ergo est, quare tale otium non conueniat bono viro, per quod futura secula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique sunt, quique erunt? An summam quæro, an ex præceptis suis vixerint Cleantes, & Chrysippus, & Zenon? Non dubiè respondebis sic illos vixisse, quemadmodum dixerant esse viuendum. Atqui nemo illorum rempub. administrauit. Non fuit illis, inquis, aut ea fortuna, aut dignitas, quæ admitti ad publicarum rerum tractationem solet; sed ijdem nihilominus non segnem egere vitam. Inuenerunt quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quam aliorum discursus, & sudor. Ergo nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamuis nihil publicè agerent. Præterea tria genera sunt vitæ, inter quæ, quod sit optimum quæri solet. Vnum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni; *& paullo infra.* Adijce nunc huc, quod è lege Chrysippi viuere otioso licet. Non dico vt otium patiatur, sed vt eligat. Negant nostri, sapientem ad quamlibet rempub. accessurum. Quid autem interest, quomodo sapiens ad otium veniat; vtrum quia respub. illi deest, an quia ipse reipub.? Si omnibus defutura respub. est (semper enim deerit fastidiosè quærentibus) interrogo ad quam rempub. sapiens accessurus sit. At Atheniensium in qua Socrates damnatur, Aristoteles ne damnaretur, fugit? in qua opprimit inuidia virtutes? Negabis mihi accessurum ad hanc rempub. sapientem. Ad Carthaginensium ergo rempub. sapiens accedet, in qua assidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est. Summa æqui, & boni vilitas, aduersus hostes inhumana crudelitas, etiam aduersus suos hostilitas? Et hanc fugiet. Si percensere singulas voluero; nullam inueniam, quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit. Quod si non inuenitur illa respub. quam nobis fingimus, incipit omnibus otium esse necessarium: quia quod vnum præferri poterat otio, nusquam est. Si quis dicit optimum esse nauigare; deinde negat nauigandum in eo mari, in quo naufragia fieri soleant, & frequenter subitæ tempestates sint, quæ rectorem in contrarium rapiant; puto, hic me vetat nauem soluere, quanquam laudat nauigationem. *Idem cap. 28. inquit.* Pendemus enim toti ex alienis iudicijs: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresq; multos habet, non id quod laudandum petendumq; est. *Et ep. 95.* talia scribit. Inspice & discas sub ista membrana tenui dignitatis quantum mali lateat. Hæc ipsa res tot magistratus, tot iudices detinet, quæ Magistratus, & iudices facit, pecunia; quæ ex quo in honore esse cœpit; verus rerum honor decidit. Vtinam qui diuitias appetituri essent, cum diuitibus deliberarent. Vtinam honores petituri, cùm ambitiosis, & summum adeptis dignitatis statum; profectò vota mutassent; cum interim nihil noua suscipiunt, qui priora damnauerant. Nemo enim est, cui fœlicitas sua, etiam si cursu venit, satisfaciat. Queruntur & de consilijs, & de processibus suis; maluntque

sem-

semper quæ reliquerunt. Itaque hoc tibi philosophia præstabit, quo equidem nihil maius existimo, nunquam te pœnitebit tui. Præterea idem *Seneca*
336 *lib. de tranquil. animi sparsim*; sic ait. Inspicere autem debemus primum nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negocia, deinde eos, quorum causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est se ipsum æstimare: quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus. Alius eloquentiæ fiducia prolabitur, alius patrimonio suo plus imperauit, quam ferre possit: alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Quorumdam parum idonea est verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem desiderant: quorumdam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in potestate: & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam vrbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his vtilior negocio quies est. Ferox impatiensq; natura, irritamenta nocituræ libertatis euitet. Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quàm in onere. Necesse est opprimant onera, quæ ferente maiora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negocia, quam fœcunda, multumq; negociorum ferunt. Et hæc refugienda sunt, ex quibus noua occupatio multiplexq; nascetur. Nec accedendum eò, vnde liber regressus non sit. His admonenda manus est, quorum finem aut facere, aut sperare possis. Relinquenda quæ latius actu procedunt, nec vbi proposueris desinunt. Hominum vtique delectus habendus est, an digni sint, quibus partem vitæ nostræ impendamus, an ad illos temporis nostri iactura perueniat. Considerandum est, vtrum natura tua agendis rebus, an otioso studio, contemplationiq; aptior sit; & eo inclinandum, quo te ius ingenij defert. Isocrates Ephorum iniecta manu à foro subduxit, vtiliorem componendis monumentis historiarum ratus. Malè enim respondent coacta ingenia, reluctante natura irritus labor est. Nec enim is solus reipub. prodest, qui candidatos extrahit & tuetur reos, & de pace belloq; censet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia instruit animos, qui ad pecuniam, luxuriamq; cursu ruentes prensat, atque retrahit, & si nihil aliud certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus præstat, qui inter peregrinos, & ciues, aut Vrbanus prætor, præeuntibus assessoribus tria verba pronuntiat; quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia? Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officijs, non deserueris, nec minus detractaueris. Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum, læuumq; defendit, sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigiliasq; seruat, & armamentario præest. Quæ ministeria quamuis interuenta sint, in numerum stipendiorum veniunt. Si te ad studia reuocaueris, omne vitæ studium effugeris: nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi grauis eris, nec alijs superuacuus: multos in amicitiam attrahes, affluetq; ad te optimus quisque. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoq; virtutis: si præualebit fortuna, & præcidet agendi facultatem, non statim auersus, inermisq; fugiat, latebras quærens, quasi vllus locus sit, quo non possit fortuna persequi: sed parcius se ingerat officijs, & cum dilectu inueniat aliquid, in quo vtilis ciuitati sit. Militare non licet? honores spectet, priuato viuendum est? Sit orator; silentium indictum est? tacita aduocatione ciues iuuet; periculosum etiam ingressu forum est? in domibus, in spectaculis, in conuiuijs, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam agat; officia si ciuis amiserit, hominis exerceat. Sed vide, ne totum istud vitium tuum sit. Non ius enim nisi consul, aut Prytanis, aut ceryx, aut suffes administrare rempub. Quod si militare nolis nisi imperator, aut tribunus? etiam si alij primam frontem tenebunt: te sors inter triarios posuit: inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Præcisis quoque manibus, ille in prælio inuenit, quod partibus conferat, qui stat tantùm, & clamore iuuat. Tale quidam facies, si à prima te reipub. parte fortuna submouerit: stes tamen, clamore iuues, si quis fauces oppresserit, stes tamen, & silentio iuues. Nunquam inutilis est opera ciuis boni. Auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacita, incessuque ipso prodest. Quid? tu parum vtile putas exemplum benè quiescentis? longe inquam optimum est miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis, aut ciuitatis conditione prohibetur. Nonquam enim vsque eo interclusa sunt omnia, vt nulli actioni honestæ locus sit. Qui tranquillè volet viuere, nec priuatim agat multa, nec publicè ad superuacua scilicet referentem. Nam si necessaria sunt, & priuatim, & publicè, non tantùm multa, sed innumerabilia agenda sunt. Vbi vero nullum officium solemne nos citat, inhibendæ actiones sunt. Et hæc est conclusio totius quæstionis a Seneca tractatæ; quamuis ipse omnino teneat debere bonum virum abdicare se ab officijs quibus potitur, vt infra *cap. fin. glos. 7.* Alius locus Senecæ in Thieste suo, vbi hæc per Chorum recitat,

*Stet, quicunque volet, potens*
*Aulæ culmine lubrico.*
*Me dulcis saturet quies,*
*Obscuro positus loco,*
*Leni perfruar ocio.*
*Nullus nota Quiritibus ætas*
*Per tacitum fluat:*
*Sic cum transierint mei*
*Nullorum strepitu dies*
*Plebeius morior senex.*
*Illi mors grauis incubat,*
*Qui notus nimis omnibus.*
*Ignotus moritur sibi.*

Demosthenes dicebat, duabus viis propositis, altera ad tribunal, altera ad inferos, prudentem virum præoptaturum esse eam, quæ ad inferos ducit, quia si malè rexero Diis displicebo, si benè ciuibus. D. Gregorius in Pastorali, *Nihil aliud est potestas culminis, quàm tempestas mentis.* Memorabile est Agamemnonis dictum, quod in ore frequenter Nicias habebat, vt de eo testatur *Plut. in eius vita 14. Pompa est, quæ per omnem nobis vitam imperat, cui autem seruimus plebs.* Anaxarcus quoque vt *id. Plut. in Alex.* 62. ait: *Carpere solebat eos, qui permagnos labores, & pericula, illustres & res magnas persequentes, nullam, aut perexiguam sibi voluptatem comparantes, nihilo ma-*

*gis quàm reliqui iucunditatis fructum adipiscuntur.* Tul. etiam 1. de off. inquit, *Est difficilis cura rerum alienarum; quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil à se alienum putat.* Iterum Tullius lib. mox citato. *Nec vero imperia expetenda, ac potius non accipienda, aut deponenda nonnunquam. Vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia, vt tranquillitas animi adsit, & securitas, quæ afferat tum constantiam, tum etiam dignitatem; multi autem sunt, & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, a negotijs publicis se remouerunt, ad otiumque perfugerunt. In his & nobilissimi philosophi, longèque principes, & quidam homines seueri, & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt:* & paullo post; *sed & facilior & tutior, & minus alij grauis, aut molesta vita est otiosorum: fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempub. & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Quapropter & his forsitan concedendum sit rempub. non capescentibus qui excellenti ingenio doctrinæ se se dediderunt; & ijs, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore causa impediti, à repub. recesserunt, cum eius administrandæ potestatem alijs, laudemque concederent, quibus autem talis nulla est causa, si despicere se dicant, ea, quæ plerique admirentur, imperia, Et magistratus, his non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu est non probare sed videntur labores & molestias, tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam timere & infamiam.* Rursus, *sed ij, qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiscendi magistratus sunt, & gerenda respub. est: nec enim aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo potest &c.* mox paucis interiectis. *Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat, ne id modo consideret, quàm illa res honesta sit; sed etiam vt habeat efficiendi facultatem, in quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, priusquam aggrediare adhibenda est præparatio diligens.* Hactenus Cicero.

Prędictis addamus exempla aliorum in vtramque partem. Plin. Ep. 6. lib. 8. ostendit, Pallantem, hortante licet Senatu, suadente populo, & iubente Cæsare repudiasse tamen sestertia centies quinquagies, & prætoria ornamenta. Adducit monimentum sub hac inscriptione.

TI. CLAVDIVS AVG L.
HVIC SENATVS OB FIDEM PIETATEMQ;
ERGA PATRONOS
ORNAMENTA PRÆTORIA
DECREVIT
ET H.S. CENTIES QVINQVAGIES
CVIVS HONORE
CONTENTVS FVIT.

subdit postea id. Plin. *mihi visum est pretium curæ ipsũ S.C. quærere. Inueni tam copiosum, & effusum, vt ille superbissimus titulus modicus;* & rursus. *Placuit are signari omnes honores fastidiosissimi mancipij, quos repudiasset, quosque, quantum ad decernentes pertinet, gessisset; incisa & insculpta sunt publicis æternisque monumentis prætoria ornamenta Pallantis, sic quasi fœdera antiqua, sic quasi sacræ leges. Tanta Principis, tanta Senatus, tanta Pallantis ipsius, quid dicam nescio, vt vellent in oculis omnium figi. Pallas insolentiam suam, patientiam Cæsar, humilitatem Senatus. Nec puduit rationem turpitudini obtendere. Egregiam quidem, pulchramque rationem, vt exemplo Pallantis præmiorum ad studium æmulationis ceteri prouocarentur. Ea honorum vilitas erat, illorum etiam quos Pallas non dedignabatur. Inueniebantur tamen honesto loco nati, qui peterent, cuperentque quod dari liberto, promitti seruis videbant. Quam me iuuat, quod in tempora illa non incidi, quorum sic me, tanquam illis vixerim, pudet.* Hactenus Plin. Plura de Pallante isto reperies apud Tac. xii. xiij. 337
Annal. Cetera prosequamur. Labeo, oblatum sibi ab Augusto consulatum, recusauit, vt habetur in *l. 2. §. post hunc ff de orig. iur.* Sueton. in Claudio dixit, Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Addamus exemplum Aristidis, qui vt Plut. in eiusdem vita ait, his vtitur. *Cum probè, integreque rempub. administro, existimationem meam multis maculis aspergitis: cum autem Vrbanis expilatoribus concedo, ne quasi summa virum, & ciuem admiratione dignum reputatis; quæ cum ita sint, Athenienses, his honoribus, quos mihi nunc decernere contenditis, vt* 338
*ego sentio, plus mihi dedecoris, & turpitudinis affertur, quam prius allatum est; cùm mihi repetundarum multam irrogastis, quamobrem magnopere me vestri miseret, apud quos improbis obsequi gloriosus est, quàm fortunas publicas conseruare. Hæc cum dixisset, & in huiusmodi facta vehementer inuectus esset, eos, qui sua laudis buccinatores, ac patroni fuissent, tacere fecit, solidam inde, & expressam quandam gloriam iustissimis ex causis adeptus.* Scribit etiam Valer. Max. *lib. 6. c. 4.* de Manlio, qui (cùm ei consulatus omnium consensu defferretur) sub excusatione aduersæ valetudinis oculorum, dixit, *Alium Quirites quærite ad quem hunc honorem transferatis: nam si me gerere eum coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.* Plura alia apud Liuium extant exempla, inter quæ illud de eod. T. Manlio Torquato *Dec. 3. lib. 6.* his conscriptum verbis. [Petiitque vt pauca sua verba audiret centuriamque quæ tulisset suffragium reuocari iuberet. Erectis omnibus expectatione, quid noui expostulaturus esset, oculorum valetudinem excusauit. Impudentem, & Imperatorem, & Gubernatorem esse, qui cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita & fortunas committi &c.] & *Dec. 1. lib. 5.* [Haud inuitis patribus P. Licinium Caluum prorogatum tribunum militum non petentem creant, moderationis expertæ in priori magistratu virum.] Et paullo post. *P. Licinius Caluus ita verba fecit. Omen concordiæ, Quirites, rei maxime in hoc tempus vtilis, memoria nostri magistratus vos his consilijs petere in sequentem annum video: sed si & collegas eosdem reficitis, etiam vsu meliores factos, me iam non eundem, sed vmbram, nomenq; P. Licinij relictum videtis, vires corporis affectæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus, En vobis,* inquit, *iuuenem, &c.* Plut. iterum in Pompeio sic ait, *Cum decreta ex litteris Senatus accepisset, circumgratulantibus amicis supercilium contraxisse fertur, crureque à se percusso, veluti qui dominari grauiter ferret, principatumque abhorreret, Heu infinita,* inquit, *certamina; quam satius fuerat ignobilem nasci, si à militari cura nunquam desinendum est; sicque hac exutum inuidia in agro degere cum vxore fas non sit.* Dion. *lib. 36.* his verbis vtitur, *L. autem Lucullus vrbana quidem prætura defunctus est; sed cum postea*

in

In Sardiniam, prætor vt iret sorte obtinuisset, detrectauit, negotiumque auersatus est hac de causa, quod plerique in prouincias omnia perperam agerent, & ipse satis superq; suam æquitatem demonstrauerit. Loquitur Eccles. cap. 7. Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris. Sueton. in Tiberio sic loquutus est. Quidam existimant adultis iam Augusti liberis, loco quasi & possessione vsurpati à se secundi gradus sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mytilenas abierit, ne aut obstare, aut obtrectare aliquid præsens videretur; quam causam & ipse, sed postea reddidit. Tunc autem honorum satietatem ac requiem laborum prætendens, commeatum petijt. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico deseri se etiã in Senatu conquerenti veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ vxore, & filio, confestim Hostiam conscendit. In Deuteron. cap. 24. hæc pariter habentur. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedat ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungatur publicè, sed vacabit absque culpa domui suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua. Eutrop. de Gest. Rom. lib. 3. loquens de P. Terentio Varrone sic scriptum reliquit. Honoribus quoque cum ei deferrentur à populo, renuntiauit, dicens, felicioribus magistratibus reipub. opus esse. Tacit. quoque lib. 3. Histor. hæc scribit. Blæso super claritatem natalium, & elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus à Cæcinna, & primoribus partium iam Vitellium aspernantibus, ambitus, abnuere perseuerauit, sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, vt parum effugeret, ne dignus crederetur. Idem Tacit. 4. Annal. Et quia Lepidus ipse diligi se per modestiã abnuebat, Valerius Naso è prætorijs sorte missus est.

Alios plures, qui honores vltrò sibi oblatos recusauerunt, recenset S. Antonin. in Sum. p. 2. tit. 3. cap. 5. in §. 2. Guliel. Bened. in c. Raynutius de testam. in verbis, duas habens filias num. 62.

Scripsimus supra nu. 372. etiam secundum Theologos, licere quibusdam honores appetere; nunc au-
339 tem Philosophorum aliorumque præcepta adducamus. Ex Epicteto scribit Stobeus serm. de iudicibus. Nemo prudens à se alienum iudicet, magistratu fungi: est enim impium sese abstrahere ab ijs, qui commoda abs te requirunt, & parum generosum improbis cedere: stultum est enim expetere malè gubernari, quam benè gubernare. Æmulos suos, inquit Gabinius apud Dion. lib. 36. contemne, quibus vt egrè facias imperium obtine, vt contra eorũ sententiã imperant, illi molestia afficiãtur. Hoc ipsum pluribus firmat Plato lib. xij. de legib in fine. Cum Epaminondæ contumeliæ gratia sordibus quidam & contemptus magistratus à populo Thebano deferretur, non aspernatus est dicens, non solum magistratum virum ostendere, sed virum vicissim ostendere magistratũ, & ita gessit, vt deinceps tanquam honestum munus à multis ambiretur. Habet humana conditio, inquit Athalaricus Rex apud Cassiod. ep. 14. vt celerius adepta fastidio sint, dum omne pretiosum vilescit oblatum: Et contra, dulcius accipitur, quod sub aliqua dilatione præstatur. Plut. lib. de ciuili administrat. sic loquitur. Quos vero vulgus appellat Magistratus, & quos decernunt honores, his equidem sæpe, ac nimis studendum haud existimo; neque enim aut pulchrum, aut populare videtur ambitiosè potentiam affectari: vt è diuerso ciuile non est honores publicè, & de more decretos repudiare, & vocantis munera patriæ detrectare; quandoquidem ciuis boni esse videtur, quodcumque patriæ munus ritè delatum admittere, & id pro virili parte curare, etiamsi humilius videatur, quam eius existimationi, cui demandatur, conueniat. Quin hoc nomine suscipi maximè debet, atque paulo splendidius geri. Par enim est, vt qui magnis honoribus decorati sunt, ab ijs minora munera vicissim ornentur. Inde etiam Pythagoram aiunt per fabarum abstinentiam, non leguminis (vt volunt) flatuosi, & cuius hilum pudenda effingat, vsum prohibuisse; sed ei, qui velit in pace degere, atque fortunæ ictibus non subijci, ambitiosè magistratus, & dignitates non esse appetendas, significauisse.

Præterea iucundus esse solet honor vltro datus,
& magnum apud omnes habet momentum opinio 340
probitatis tuæ semel conceptæ, atque ideo non recusandus, dicente Cicerone in prat. Vrb. Hoc si vobis leuius videtur, quod putatis onus esse graue, & incommodum iudicare; intelligere debetis, primum interesse vtrum id onus vosmetipsi reieceritis, an quod probare P. R. fidem vestram, & religionem non potueritis; ideo vobis iudicandi potestas erepta sit. Princeps etiam, cuius propriam est subditorum commoda inuestigare, te non delegisset; si meritorum tuorum experientia non esset promotus. Ait insuper D. Augustinus de ciuit. Dei lib. 19. cap. 19. Otium sanctum sic quærit charitas veritatis, vt negotium iustum suscipere debeat necessitas charitatis. Publicam si nullus sarcinam imponat percipiendæ, atque intuendæ est vacandum veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatis charitatem. Quæ si aliquos aliquando recusantes deuicerit, facilè alios in huius municipij classes non renitentes impellit, fugientes saltem, non affectantes locum regiminis reprimet. Vtilitatis publicæ causa non abnuendum tandem summum dignitatis gradum. Adducit Liu. Dec. 1. lib. 4. L. Quintium in hæc verba. Primo Quintius abnuere & quid sibi vellent rogitare, qui se ætate exactã tanta dimicationi obijcerent? Denique cum vndique plus in illo senili animo non consilij modo, sed etiam virtutis esse, quam in omnibus alijs dicerent, laudibusq; haud innumeris onerarent, & Consul nihil remitteret: precatus tandem Deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno dedecorisvè reipub. esset. Dictator à Cons. dicitur. Addendus & Symach. ep. 15. lib. 1. in hunc modum de seipso loquens. Quieto mihi iampridem à desiderijs honorum remoto Præfecturam, multis cupitam, sponte tribuistis. Ago gratias tot honorum circa me Principum voluntati. Sed intelligo, quantò plus sollicitudinis habeat magistratus, qui ex iudicio, quàm qui ex gratia venit. Ille enim vt meritis datus, spem sui debet æquare &c. Et paullo post. Mihi ad conscientiam satis est non affectasse publicam curam. Dixit Salomon Prouerb. xxi. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victima. Non etiam contemnendam esse publici muneris curam docet Lucianus de mercede conductis Dialogo 2. his verbis: Publicè summi imperij participes sumus, eiusq; administrandi prouinciam cum Rege partimur. Ipse ego si diligenter expendas Ægyptiaci regni portionem non minimam sub manibus, habeo, dum nunc pœnas statuo, nunc iusta tributa impero, nunc dictorum, factorumq; omnium rationaria conscribo, nunc litigantium acta certa lege perpendo. Ad hac Principis ipsius decreta ad certissima simul, & rectissima quæque summa fide perduco; eademque diligenter adseuerata subditis trado, reipub. cura in omne

aeuum

*auum conseruanda. Deinde praponitur merces non vulgaris, sed a Principe nec exigua, sed talentis numerata. Posthac, modo recta via res procedat, superest spes, neque hæc contemnenda, videlicet, vt prouinciæ alicui, quasi iam emeritus præficiaris, aut regium aliquod tibi demandetur.*

Recusandi autem essent, si vocatus penitus sit ad eos honores non idoneus & inhabilis, vt supra. Et paullo infra, quod etiam habetur *Eccles. cap. 7. in prin.* Permulta alia ex S. Thom. & alij retulimus infra hoc *eod. §. glos. 7. cap. vlt.*

Quoties igitur idoneo decernantur honores, sequatur Vespasianum, de quo sic loquitur *Vopisc. c. 9.* Pontificatum maximum, ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit; potissimum cùm hodiernis temporibus a quocũq; officiali nihil merito Regia Maiestas requirat magis, quàm vt iustitiam sincere, rectè, atque constanter administret, & quid è repub. sit agat, consultatve; hæc etenim est philosophiæ pulcherrima pars, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere, & exercere iustitiam, quæ ipsi doceant in vsu habere, ait *Plin. ep. 9.* Inquit etiam *B. Hugo de abus. clau.* Sunt quidam, qui sciunt, & possunt, & volunt præesse: quidam, qui sciunt, & possunt, sed nolunt: quidam, qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt: quidam, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, & posse, & nolle humilitatis est, vel inertiæ. Nec scire, nec posse, sed velle cupiditatis est, & stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est, & prouidentiæ. Qui enim sciunt, & possunt, & volunt, humilitatis est, quod renuunt; inertiæ verò, cùm sciant, omnino desistant. Qui autem nec sciunt, nec possunt, sed volunt; cupiditatis videtur quod volunt, stultitiæ, si velint, quod nec sciunt, nec possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Summa enim discretio est, nolle quod non potes, fugere quod nescis.

Aliqui sunt, qui, vt ait *Tacit. 1. Annal. in prin.* specie recusantis flagrantissimè cupiunt; cum tamen, teste *Plut. in Polit.* magni & valde strenui animi sit vel paruulas ciuitatis res curandas suscipere. Et paullo infra inciuile est, honores publicè, & de more decretos repudiare, etiam si humilius videatur, quam eius, cui demandatur, existimationi conueniat. Quinimmo & hoc nomine suscipi debet, & splendidius geri.

341 Sexagenarios à muneribus liberos fuisse docuit M. Varro apud Nonium Marcellum, inquiens, *Quum in quintum gradum peruenerant, atque habebant sexaginta annos: tum denique à publicis negotijs liberi, atque ociosi; ideo in prouerbium quidam putant venisse, vt diceretur sexagenarios de ponte deijci oportere, idest, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. Ex quo & senes depontani dicebantur.* Rationem Ouidius in v. Fastorum & Sex. Pompeius Festus explicant, is enim in dictione Scraptæ. *Sexagenarios de ponte deijci quidam putant, quod per flumen, & maria in patriam remitterentur.*

Imitetur L. Philippum, virum magno ingenio, imprimisq; clarum, qui, vt testis est *Cicero lib. 2. de off.* gloriari solebat, se sine vllo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima: non etiam vltra modum delatæ dignitatis se se efferat.

## CAPVT XXVIII.

*Neminem in viuentis locum esse nominandum; legendumvè.*

Docet *Tacit. Annal. 2.* in repub bene constituta Magistratuum electionis fieri antequam, 342 aut veniat occasio, aut electi magistratum ineant, non debere: hac enim ratione ad vsurpandam tyrannidem, seditionesq; mouendas viam aperiri dixit. Hoc ipsum sensit Capitol. in Clodio Albino, dum refert M. Auidium, sic dicentem. *Habemus igitur virum dignum consulatu, quem sufficiam in locum Cassij Papirij, qui mihi exanimus propè nuntiat us est, quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius affectos perueniat. Nosque videamur in locum absentis eos subrogare.* Liu hoc clarius lib. 39. probat, *neminem, nisi Senatu motus esset, vno viuo, alium nunquam lectum.* Iterum Tacit. histor. lib. iij Pridie Cal. Nouembris Roscius Regulus inijt, eirurauitque. *Annotabant periti, nunquam antea, non abrogato magistratu, neque lege lata, alium suffectum.* Quod etiam ab Augusto factitatum fuisse testatus est Dion lib. 39. inquiens. *In alius pratoris locum extrema Magistratus die defuncti, alium ad reliquas horas ordinauit.* Quinimo, vt Valer. scribit de Catone, dum Senatus extra ordinem illius rationem habere vellet, id fieri passus non est; iniquum affirmans, quod nulli alij tribueretur, sibi decerni. Ex prædictis arguas quæ cumulauit Melchiorius *decis. Lusitan. 2.* qui contrarium conatus est docere. Augeri tamen dignitas merentibus non iniquum existimauit Traianus, de eo dicens *Plin. in Panegyr.* Aucta est dignitas dignitate, neque continuatus tantum, sed geminatus est honor, finemque potestatis alterius, tanquam parum esset excipere, præuenit; quod etiam infinitis comprobare exemplis alijs ex iam deductis poterit quisque.

EA;

## CAPVT XXIX.

*De electo non esse disputandum.*

PRædicta omnia diximus consideranda esse in nominatione facienda, & ante lectionem, cum
343 sciremus & *Ecclesiastes* 8. scriptum esse. *Obserua Regis os, quia quicquid nolueris, efficiet, summa praditus authoritate loquitur. Et quis ei dicet. Quid agis?* Et apud Tacitum 6. Annal. *Non est nostrum æstimare quẽ supra ceteros, & quibus de causis extollas. Tibi summũ rerum iudicium dij dedere; nobis obsequij gloria relicta est.* Consimile Cassiod. Var. lib 9. vbi Athalaricus Rex ad Paulinum loquitur. *De illo enim nefas est ambigi, qui meruit eligi iudicio principali*; nam vt idem ait *lib. 1. var.* quibus fas est, de cunctis optimos quærere, videntur semper meritos elegisse. Principalis siquidem iudicij culmen excelsum est, cum qui de eo prouehitur, præcipuus, & plenus meritis æstimari: nam si æqualis credendus est, quem iustus elegerit; omnium profecto capax potest esse meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, quam inuenisse laudum testimonia, vbi gratificatio non potest esse suspecta? Regnantis quippe sententia iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus domini potestate munitus. Hactenus ille.

Idcirco dubitare an is dignus sit, quem Princeps elegerit ad instar sacrilegii crimen est ex *l. disputari C. de crim. sacril. cum ibi not. & in l. imperialis C. de leg. in l. sacrilegij instar C. de diu. rescrip. in l. repetita C. de err. mil. ann. lib. 12. per Capol. de Imper. elig. in verbo pro imper. in 2. col. qui alias leges cit. Anchar. in cons. 404. num. 5. & Afflic. in const. lib. 1. rubr. 4. n.* 8. quan-
344 doquidem vt *Simach dixit lib. 1. ep. 20.* qui summi loci Iudices decolorant, sacri testimonii facilitatem videntur incessere. At cum Principi spectat honorem conferre *l. 3. de cons. & non spargen. lib. 12.* honorandus est quem Princeps honorat, *l. restituenda in fi. C. de aduo. diu. iud* quia iudicium ipsius Principis est consequutus *l. 1. ff. de albo scrib.* & quem Princeps iudicat dignum, nos quoque approbare debemus, vt ait *glos. in verbo. dignus 17. q. 3. & trad. tex. in l. 1. §. his cunabulis in verbis credidit eum Princeps ff. de off. pref. prat.* ex quo idoneus præsumitur, vt mul-
345 tis probat *Mascard. de proba. conclu* 593. licet detecta ipsius electi inhabilitate debeat remoueri etiam sub peccato, vt ibi per eum, & supra *cap. 23. circa fi.* & licitum sit etiam de ipsius electione differere, si constat electum malum esse, vt tradiderunt *Card. in cons. 43 num. 2. Bellam. in c. si quis suadente §. qui autem sub num. 1. 17 q. 4.* & alii plures.

## CAPVT XXX.

*Apud veteres qui mos fuerit in petendo Magistratu.*

REdeamus iterum ad petitores, ac ad inuitos & rogatos, siue ad munus ipsorum petitorum in ipso Magistratu petendo; difficilis, & lubrica hodiernis temporibus tractatio; quam temen Deo dante absoluemus, si antiquum morem in petendis, decernendisque honoribus hoc loco ante omnia de- 346
scribamus; & mox legitimum modum, quo nunc petitores vti possint, vt Magistratum obtineant, afferamus. Petitorum aliqui rogati erant, alii verò vt plurimum voluntarii. Rogatum petitorem dixerim P. Æmilium, vt de eo Plut. scribit 14. 15. & 16. in hæc verba, *Hac Roma nunciata effecerunt, vt homines reiecta potentium gratia, virum idoneum tantis rebus gerendis huic bello præficerent.* Hic erat P. Aemilius, ætate quidem senior (quippe sexagesimum iam agebat annum) sed robusto corpore, & filiorum adolescentium, amicorumque, & necessariorum multitudine circumseptus; qui omnes voluntati P. R. ad consulatum ipsum inuitantis parere Aemilium suadebant. Ipse verò à principio cunctatus suasiones reiiciebat, eorum studium, & cupiditatem arguens; quasi sibi non expediret consulatum gerere; sed tandem concursu populi, qui singulis diebus ad eius ianuam conueniebant, & descendendum in forum prouocabant vociferabantque. Confirmatus ad petendum descendit, nec in eius petitione tam affectare consulatum, quam ciuibus suis victoriam repromittere visus est. Designatus fuit Consul cum summa spe, & voluntate P. R postea subdit id. Plut. *Aemilius aduocata concione,* inquit, *se primum quidem consulatum gratia sui ipsius, secundum verò gratia P. R. qui id flagitabat petiisse. Itaque se nullas eis habere gratias; quinimò, si censerent id bellum melius per alium agi posse, læto animo se concessurum; quod si in ipso fiduciam haberent; nec turbarent, nec verba facerent, sed cum silentio, quæ opportuna forent, subministrarent.* Hactenus Plut. de Aemilio. Idem scribit de Numa, qui instantibus legatis, vt Regnum sibi oblatum susciperet, respondit; primo omnem vitæ humanæ mutationem esse periculosam, licet tandem, ne populus iterum in seditionem veniret, annuerit. Scipio quoq; ille Aphricanus consulatum sibi ad vitam oblatum recusauit, ad tempus autem suscepit.

Sciendum est etiam cuique concessum fuisse Magistratum petere; vt infra num. 295 qui vero pete- 347
bant candidati dicebantur, à toga candida, quam gestabant. Ad populum professionem faciebant impetrata ab aliquo Magistratu concione vel per se, vel per amicos oratione declarabant, velle se Magistratum populi beneficio obtinere; non tamen semper eorum, qui professi essent, ratio habebatur, quoniam ne indigno, aut contra leges alicui mandaretur Magistratus, Magistratuum, & Senatus cognitio erat publicè considerare candidatorum cau- 348
sas; quæ deinde ad populum allegatæ efficiebant, vt eorum tantùm, qui digni essent, ratio haberetur. Ac sæpe etiam contra populi manifesta studia Magistratus iudicio, aut Senatus decreto excludebantur nonnulli. Oportebat enim, eos candidatos ante

te comitiorum diem sua nomina etiam profiteri apud Magistratum illū, qui comitia habiturus erat.
349 Tum si digni iudicaretur, quibus pars aliqua gubernationis reipub a populo committeretur; nomina eorum à Senatu recipiebantur: sin minus, non recipiebantur, neque tùm Populus, etiam si maxime vellet, creare eos poterat. Vellei Paterculi testimonio vtor, qui *lib* 2. sic ait. *Tum in comitijs habendis præcipuum egit consulem. Nam & quæsturam petentes, quos indignos iudicauit, profiteri vetuit: & cum id facturos se perseuerarent, Consularem, si in campum consscendissent, vindictam minatus est. Et Egnatium florentem fauore publico, sperantemque vt Præturam ædilitati, ita Consulatum Prætura seiuncturum, profiteri vetuit.*

350 Professio porrò, quæ integrum annum ante Comitia nonnunquam incipi solebat, posita erat, vt apud *Cicer. de petit. consulatus* Q *Cicer.* prolixe dispu tat, in amicorum, & populi voluntate concilianda: studia enim eorum plurimum ad petitionem valebant. Qui verò aliquid voluntatis ostenderunt, ij
351 fermè aut salutatores, aut deductores, aut sectatores fuerunt. Salutatores prima diei hora domum petitoris veniebant, atque salute dicta inde discedebant. Deductores præterea tantisper expectabant, dum illum domo exeuntem in forum deducerent, atque hi etiam obseruare eum dicebantur. Sectatores assidui cum eo omnibus horis erant, eiusque latera stipabant. Hic petitorum mos erat, vt summo mane domi inambularent, ac sui copiam salutatoribus facerent.

Popularis ratio, siue voluntatis populi concilia-
352 tio quatuor habebat partes: nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, & benignitatem. Nomenclatio eam habuit vim, vt petitor suo quemque ciuem nomine appellaret, & salutaret. Fuit ergo illud in primis petitori elaborandum, vt singulos ciues nosset, eorumque nomina teneret. Siquidem, qui aut non tenet, aut oblitus est nominis alterius, is parum eius rationem videtur ducere. Sed quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, vt æque omnes cogniti essent, ministrum instituerunt, qui petitori nomina omnia ciuium, vt quisque occurrebat, suggereret, eumque nomenclatorem vocarunt. Cicero pro Murena monitorem. Festus Fartorem appellat, quod clam veluti infarciret in aures candidati nomina salutandorum ciuiū. Altera pars popularis rationis est blanditia. Est autem blandidè appellare, non proprio nomine, sed honestiore salutare, vt patrem, aut fratrem, aut patronum. Ad assiduitatem pertinebat ambire, prensari, ac rogare. Ambire erat circuire. Ambibant autem petitores non solum Romæ, & in foro; sed etiam in conciliabulis Italiæ, in quibus ciues multi negotiandi causa versari solebant. Prensare erat rogandi causa singulorum dextram præhendere. Rogare erat precibus petere, ac beneficium reposcere. Atque in hoc quidem munere supplicationis, vel admonitionis, aut ipsi versabantur, aut alios claros viros adhibebant, qui vices suas sustinerent, qui suffragatores dicti sunt. Ii, cùm virtutes petitorum populo commemorabant, tùm beneficia accepta exponebant. Hæc omnia Quintus Cicero de *petit. consulatus. Plut. in Coriolano Fenestella lib. 2. cap. 7. Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem. Plin. 2. ep. 17. & 25. lib. 4. ep. 6. & 19. lib. 6. ep. 14. & 23. lib. 8. & alij.*

353 Sed hæc Roma libera existente peracta fuisse vt plurimum dignoscimus; ea vero sub Imperium, vel Tyrannidem redacta magis varius mos fuit & petendi, & concedendi Magistratus; siquidem & vltrò ab Imperatoribus daretur, aliquando ad gratiam, aliquando præuia monitione Senatus, Populique, & eius approbatione, aliquando ex ambitu, facta professione, & aliis modis, vt ex multis antiquorum scriptorum locis supra relatis dignoscere licet, potissimum Plinii. Is enim *lib. 3. ep. 20* sic ait: *Meministine te sæpe legisse, quantas contentiones excitarit lex tabellaria, quantumque ipsi latori, vel gloria, vel reprahensionis attulerit? At nunc in Senatu sine vlla dissensione hoc idem vt optimum placuit. Omnes comitiorum die tabellas postulauerunt: Excesseramus sanè manifestis illis, apertisque suffragijs licentiam concionum. Non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni vndique, dissonique clamores. Procurrebant omnes cum suis candidatis, multa agmina in medio, multique circuli, & indecora confusio. Adeo desciueramus à consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, maiestatem loci, pudoremque retinebant. Supersunt senes, ex quibus audire soleo, hunc ordinem comitiorum. Citato*
*nomine candidati, silentium summum. Dicebat ipse pro* 354
*se, vitam suam explicabat, testes, & laudatores dabat, vel eum, sub quo militauerat, vel eum, cui quæstor fuerat, vel vtrumque, si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus, illi grauiter, & paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces ponderat, nonnunquam candidatus, aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat Senatus grauitate censoria, ita sæpius digni, quam gratiosi prævalebant. Quæ nunc immodico fauore corrupta, ad tacita suffragia &c.* reliquum epist. positum est supra. Ad rem etiam insigne illud. Aulus Sempronius, atque M. fratres candidati magistratus petebant, Vargulamque suffragatorem amplectabantur. Sed Vargula muscas eos vocauit, quàm festiuissimo ioco. Ait enim: *Puer abige muscas* Sueton. autem in Iul. *cap* 41. vnicuique tribui scriptura breui libellos mittebat in hæc verba: *Commendo vobis illum, & illum, vt vestro suffragio dignitatem suā teneant.* Apud Liuium lib 10. *Fabius Maximus ita suffragationem suam enunciat. P. Decium expertum mihi concordi collegio virum dignum vobis, dignum parente suo, quæso mecum consulem faciatis. Eos vero qui suffragia candidatis pollicebantur, his verbis vsos fuisse verisimile est.* Fauebo tibi, vt ex loco Cicer. qui à Quintil refertur *lib. 5 cap. 4.*

Prædictis paullo supra allatis, accedat alius locus *Plut. in Catone Vticensi* 13. huiusmodi. *In petitione quoque tribunatus, legem, quæ candidato nomenclatores adesse vetat, solus seruat, per se ipsum appellans populum, atque alloquens: quare ipsis quoque laudantibus grauis erat, & eo magis quod videbant hoc genus laudis mutari non posse.* Iterum Plin. ep 19. lib. 6. legem recitat in candidato latam, quæ talis erat. *Candidati ne conuiuentur, ne mittant munera, ne pecunias deponant, ex quibus duo priora tam apertè, quàm immodicè fiebant, hoc tertium quamquam occultaretur, pro comperto habebatur.* Et paulo infra. *Nam sumptus candidatorum fœdos illos, & infames ambitus lege restrinxit. Eosdem patrimonij tertiam partem conferre iussit in ea, quæ solo continerentur, deforme arbitratus (vt erat) honorem petituros, vrbem, Italiamque, non pro patria, sed pro hospitio, aut stabulo, quasi peregrinantes habere. Concursant ergo candidati, certatim, quicquid venale audiunt, emptitant, vt sint quoque plura venalia efficiunt.* Idem Plin. epist. 25. lib. 4. *Scripseram tibi*

ve-

*verendum esse, ne extractis suffragijs vitium aliquod existeret; factum est proximis comitijs, in quibusdam tabellis multa iocularia, atque etiam fœda dictu, in vna verò pro candidatorum nominibus, suffragatorum nomina inuenta sunt. Excanduit Senatus, magnoque clamore ei, qui scripsisset iratum Principem est comprecatus; ille tamen fefellit, & latuit, fortasse etiam inter indignantes fuit. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re serie tempore; tàm scurriliter laudat? qui denique omnino in Senatu dicax, & vrbanus, & bellus est &c.* Scribit etiam Plut. in Catone Vticensi 75. *Cum autem P. R. largitionibus corruptus, tamquam mercenaria opera suffragijs vteretur, cupiens mederi huic parti reipub. Cato Senatum suasit decernere; vt hi, qui designati essent, si nullum accusatorem haberent, ipsi tamen iudicium subire, atque rationem reddere cogerentur. Hoc periniquè ferebant hi, qui Magistratum petebant, iniquius etiam plebs largitionibus assueta*, & paulo infra. *Hi vero, qui Magistratum petebant, cum singuli à largitionibus deterriti essent, in vnum conuenerunt, contuleruntque vnusquisque duodecim millia, & semis drachmarum argenti, facta sponsione, vt qui ex eis per largitionem peteret, id argentum perderet; arbitrum ad eam rem Catonem eligunt, & pecuniam apud illum deponere statuunt: sed ipse Cato pecuniam quidem recipere noluit, fideiussores tamen recepit. Cum autem dies Comitiorum venisset, obseruans etiam suffragia deprehendit quendam ex sponsoribus contra pacta egisse, ipsumque damnauit, & eius pecuniam alijs tribuit. Illi verò iustitiam, atque integritatem hominis admirati, pœnam remiserunt, satis pœnarum dedisse illum arbitrati, quod à Catone esset damnatus*. Aliud huiusmodi contigisse Augusto scribit Dion. lib. 5. *(iam enim ab eo lata erant seuerissima leges de ambitu) in hunc modum, Augustus cum Consules, & reliqui Magistratus culparentur, quod largitionibus eas sibi dignitates parassent; neque inquisitionem instituit, & totam rem dissimulauit: quia neque punire quemquam, neque criminis manifesto vlli veniam dare statuerat: sed pecuniam pigneris loco ab ijs, qui petituri essent Magistratum aliquem accepit. quam qui largitiones fecissent, amitterent; idque eius factum ab omnibus laudatum fuit*. Præteritus autem ille dicebatur, qui in petione Magistratus repulsam patiebatur; vti ex *Liuio lib. 38.* Cicerone in oratione pro Plancio, & in Tusculanis perbelle obseruauit Marcellus Donat. *in dilucidat. in Liu. eo lib. 38.* Contra vero, quorum petitio iusta & legitima videbatur, eorum nomina accipi ab eo, qui Comitijs præerat, eorumq; ratio haberi. *Liu. lib 9.* de Cn. Flauio testatur. Sic etiam *A. Gellius lib. 3. cap. 9. Sueton. in C. Iulio cap. 18.*

## CAPVT XXXI.

*Qui mos in Magistratu petendo nunc legitimus sit?*

355 PLutar. est sententia in eo lib. num seni gerer; respub. vt sicut athleticis certaminibus, ita quoq; ciuilibus negotijs procurandis, sui veluti fines, terminiq; quos prætergredi non liceat constituti sint. Propterea quis mos legitimus sit in acquirendis sibi officijs, nunc breuiter est attingendum: ante omnia tamen nonnulla præmittenda esse existimamus, quæ cuicunque honesto, modestoque petitori multum conferre arbitramur. Imprimis illud Theophrasti notabile dictum adducemus dicentis, *Oportere virum, qui administratione dignus haberi vult, sacrificandi crebro studiosum esse, parentes honestè alere, suamque vitam ad ipsorum voluntatem instituere. Qui enim talis non est, sed natura, & ciuitatis leges negligit, iustitia modum transgressus est*, inquit. *Vxoris etiam, & liberorum honestè, & humaniter habendam esse curam. Rependent enim officia liberi in senectute. Iusta hac sane Theophrasti sententia, & à quolibet petitore Christiane sequenda: nam sicuti omnes dignitates, omniaque dona à Deo O. M. procedunt, ita etiam eum coli ardentius à petitore necesse est: omnesq; scriptores ex rerum priuatarum administratione ad publicum regimen indicia, & argumenta sumunt.* Post hæc audiat Mamert. in Panegyr. pro Cons. Iuliano dicto, sic loquentem. *Sed multo, multoque nunc facilior est ratio honorum petendorum. Quisquis, inquam, capere magistratum voles; auri, atque argenti negligens esto; nullas ostiatim potentium ades obito, nullius pedes, nullius genua complectitor. Adhibeto tantum tibi gratuitas, & paratu facillimas comites, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, atque prudentiam; vltro ad te maximus Imperator accedet, & vt capessas remp. flagitabit. Otiose tibi, atque alia curanti prouincia, præfectura, fasces, sella curulis, atque insignia omnia magistratuum perferentur.*

Aliud est memorandum ex sacra Scriptura dictum, noli fieri iudex nisi virtute valeas erumpere 356
iniquitatem; propterea noscat se ipsum petitor, viresque suas ponderet, ne grauiori onere onustus succumbat; clara est hac in re Epitecti sententia dicentis. *Quemadmodum nolles in magna, pulchraque naui, & onusta auro nauigans submergi; sic etiam non desiderare debes in amplo, magnificoque throno sedens, curis obrui.* Propterea Socrates eos impostores habendos volebat, qui dolo persuaderent, se idoneos gubernandæ reipub. D. etiam Greg. in reg. inquit. *Quisquis Sacerdotem non ad elationis culpam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat; prius vires suas cum eo subiturus onere metiatur, vt & impar abstineat, & ad id cum metu, cui se sufficere existimat, accedat.* Iterum idem D. Gregor. Ecclesi. vij. in glos. *Debet quisque proprias virtutes perpendere; & pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur loco gloria, fiat subditis author ruina: & qui grauatur pondere suorum, velit fieri iudex alienarum culparum. Durum enim est, vt qui nescit tenere moderamina vita sua, iudex fiat aliena.* Idem voluit Athalaricus Rex apud Cassiod. ep. xviij. lib. viij. his verbis. *Conscientia lata est, qua prouehitur meritis; sed sub reatu iacet, qui se imparem cognoscit muneribus consequitur. Temeritatis enim, & arrogantia vitio non caret, qui opus attentat, vires, & facultatem excedens, ac grauiter peccat*, teste 357
*D. Thom. 2. 2. q. 21. art. 4. & quæst. 130. art. 1. & 2.* idem quoque *art. 4. ad 1. quæst. 53. & q. 97. art. 1. & art. 2. ad 2.*

Idem tenuit *Dion. lib. 36.* inquiens, *in huiusmodi re expedit munus impositum considerate subire, vt tutò id ipsum liceat exequi: multoties etenim temeritas in se aliquid recipientis præpropera in rebus agendis damnum affert: contra, accurata consideratio ab initio adhibita in actionibus perdurat, omnibusq; emolumento cedit*, & *lib. 52.* idem ait. *Priuato etiam sui commodo consulendum est, quomodo laborem die, noctèque, tot, tantisque rebus administrandis impendendum, toleraturum is putat, quomodo valetudinem suam ad id suffecturam.* 358
Firmat hoc ipsum Plut. num seni geren. respub.

dum sic loquitur. *Non satis profuerint, nisi talem nanciscantur naturam, quæ, & laboris sit patiens, & nullam fortunæ aduersitatem reformidet.* Rursus. *Si vero in senectute aliquis, neque priusquam ætatis annum quinquagesimum agat ad rempub (velut de Epiminedine Cretensi, quem adolescentem dormitum iuisse, & in senectute à somno excitatum ferunt) omni scilicet tranquillitate vitæ, & otio, qua frequi potuit, relictis, accedat, & in forenses contentiones, occupationesque ciuiles descendat, maxime cum se exercitatione nulla formauerit, neque in ciuilibus negotijs, immò ne cum ipsis hominibus satis versatus sit: huic rectè forsitan vnus aliquis, quòd à Pythia ex Apollinis oraculo responsum est, obiecerit.*

*Serò nunc ades,*
*Regnum simul, atque imperium postulans:*
*Sed limen aulæ serius pulsas modò.*

Aliud etiam considerandum esse voluit Plato in Lachete, nimirum, quicunque ciuilia tractant, tam filios, quam cetera domestica negligunt. Et secundum *D. Gregor. in Pastorali*. Sæpe suscepta cura regiminis cor per diuersa diuerberat, & impar quisque inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa. Tritum quoque illud est. Non est honor sine onere. *c. ex literis de pign. c. aduersus de immun. eccles.* Alia per *Guliel. Bened. in c Raynutius de testam. in verbis. Duas habens filias sub num. 62.* post *Luc de Penna in l. iubemus C. de prox. sacr. scrin. lib. 12. & in l 1. de Veter. eod. lib.*

359 Sed esto, quod quis se habilem existimet, dicatq; cuique idoneo permissum esse ius Magistratus petendi, ex *l Barbarius ff. de off. præt l. eos ff. de decur. l. 1. in prin. ff ad l. Iuliam de ambitu, & §. cogitatio in auth vt iud. sine quoquo suffrag.* & ex traditis per *Cassiod. lib. 7. ep. 38.* dicentem *Constat iucundum esse rerum bonorum saporem, & vtilem ambitum laudis qui appetitur per augmenta virtutis.*

360 Erunt tamen permulta ipsi petitori necessaria in superioribus capitibus narrata, sine quibus dignus eo senatorio munere quis esse non poterit. Et quibus addas; petendum esse Magistratum sui ipsius primùm, tum reipub. causa, vt de P. Æmilio supra retulimus, & de Catone Vticensi, de quo scribit Plut. non eum quæsijsse honores, sed operam suam patriæ obtulisse, etiam non sine periculo. His vtitur etiam Tacitus. Ego te Vespasiane ad imperium voco tam salutare reipub. quam tibi magnificum.

361 Congruit etiam, vt petitor Catonem eundem Vticensem imitetur, qui non prius Quæsturam aggressus est, quam didicerit omnes leges, decreta, & alia ad id munus opportuna mente tenuerit. Hæc etiam *Gell. de se ipso lib. 14. cap. 2.* scribit. *Quo primum tempore à prætoribus lectus in indices sum, vt iudicia, quæ appellantur priuata, susciperem; libros vtriusque de officio iudicis scriptos conquisiui.* Huius sententiæ rationem reddit Epictetus in hæc verba. *Quemadmodum si gubernare nauim conareris, omnino prius artem gubernandi perdisceres; ita ciuitatem recturus, regendi disciplinam addiscito. Vt enim illic nauis vniuersa fidei tuæ committitur, ita hic tota respub. gubernanda tibi est. Alias honoris magnitudo ijs, qui non pro dignitate eius vitam degere instituunt, supplicij accessio erit.*

362 Ceterum audiendus est *Plut. in lib. de ciuili admin.* qui sic ait. *Te ipsum ita excolere, ita mores exornare tuos, sic vitam omnem tueri debes, vt qui in aperto, medioque spectaculo ante omnium oculos vitam acturus. Quod si tibi non tam facile forte fuerit vniuersa omnino, si quæ sunt, animi extergere vitia, ac penitus emaculare, illa certe tibi tollenda minuendaue sunt, quæ apparent maxime, primoq; conspectu occurrunt auditui. Proditum est. Timistoclem, vt animum ad rem capescendam reipub. compotationibus, commessationibusque primò abstinuisse, secundo loco vigilijs se sollicitum, & sobrietati se dedisse, amicis dicere solitum, quò minus dormiret Milciade sollicitari tropheo. Pericles item rationem viuendi, & cultum corporis traditur immutasse, incessu tardo, orationeq; leni vsus est, compositum os, & vultum sibi constantem solitus præseferre, postremo manu contenta intra amiculum, vnam omnino vsurpasse viam, quæ ad forum, & curiam duceret.* Et paullo post. *Vt hæc igitur præclare curare optimum est, ita quoque vitam sibi quisque, & mores pulcherrime excolere debet, quo prorsus omni nota vituperationis careat: quando præsertim eorum qui reipub. præsunt, non modo singula verba, nec res tantùm publicitus gesta animaduerti, notarique solent; sed virtus quoque, ioci simul, & seria quæque, domus, ipsa familia, vxor, cubile, curiosius conquiruntur.*

Præterea, ad honoris augumentum non ambitione, sed labore conuenit peruenire. *l. contra rempub. C. de re milit. & l. fin. C. de tyr. lib. xij.* labores 363 enim, & stipendia dignitates tribuunt, non suffragia emendicata. *l. fernitijs C. de palat. l. 1. C. de castrensianis eod. lib. xij. l. nemo C. de off. mag. off. & l. virtutum C. de stat. & imagin.* leges de Ambitu quando latæ, tradit *Dion. lib. 36.*

Ambitus autem duplex est, alter quidem permissus, & laudatus, quem popularem *Cicero vocat in Orat. contra Salust.* cùm quis operam suam Magi- 364 stratum petendo reipub. offert, iudiciumque de se faciendum populo absque malo dolo permittit. Et hoc ambitionis genus nullis legibus prohibetur; sed à maximis, præstantissimisque viris appetitum est vtsupra. Alter vero, genus quoddam infamiæ est, ac legum seueritate notatum; hoc est, si sine merito, & suffragio temporis vellet honores quærere, & ad summum ascendere, vt per *Cassan. in Catal. glor. mun. par. 1. consid. 60.* Ambire enim est auaritiæ 365 causa honores circumeundo, supplicandoque affectari. Vt apud *Varron. lib. 4. & Festum.* Hinc ambitiosa diligentia, pro nimis anxia, & inusitata, in nullo remissa a Vlpiano in *l. si bene ff. de vsufruct.* 366 & Ambitiosa decreta in *l. ambitiosa ff. de decret. ab ord. facien.*

Est autem Ambitio secundum *D. Bernardum de consider lib. 3.* futile malum, secretum virus, pestis 367 occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuor patens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium; ex remedijs morbos creans, ex medicina languorem generans.

Hinc Ambitiosus, vt ait *Innoc. de vil. cond hum.* semper est pauidus, semper attentus, ne dicat quod 368 displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur. *Et paullo infra.* Ambitiosus promptus, & feruidus vbi placere cognouerit, remissus, & tepidus vbi putauerit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum alijs probat, & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à singulis approbetur.

tur. Sed ecce grauem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animam, ambitio continet manum, & quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Colludunt ad inuicem mater, & filia, iniquitas, & ambitio: hæc vendicat sibi publicum, illa secretum. His similia dixit prius *Cicero in Rethor.* Ambitio multos mortales falso fieri coegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias, inimicitiasq; non ex se, sed ex commodo æstimare, magisque vultum, quàm ingenium bonum habere. Est autem in hoc genere molestum, quod in magnanimis, & munificis sæpius incidit potentiæ cupiditas. Alia *Seneca in ep.* Æque ambitio non patitur quemquam in ea mensura beatorum conquiescere, qua quondam fuit eius impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur, quod non est ad præturam vsque productus. Si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit, sed vnus est vltra: cupiditas enim, non vnde venerit, respicit, sed quo tendit. Iterum idem *Seneca de benef.* Numquam improbatæ spei, quod datur satis est, omnia meruisse se existimate, neo satis pretio æstimata putat: maiora enim cupimus, quo maiora venerint, intentioque concitatior est. Ambitio, siue cupiditas in magnarum opum congestu collocata, vt flammæ infinita vis acrior est, quo ex maiore incendio emicuit. Permulta ex his sane signa eliciuntur dignoscendi Ambientem honores, quibus addas alia ex *eod. Ioann. eod. lib. de vtil. condit. bum.* Ambitiosus statim vt est ad honores promotus, in superbiam extollitur, in iactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, grauis & importunus.

Erit ergo ex prædictis fugienda ambitio, & quia Proph. dixit. *Beatus vir, qui in cathedra pestilentia non stetit, nempè in cathedra ambitiosa per ambitum obtenta*, vt omnes sacri Scriptores declarant, nam secundum *S. Thom. 2. 2. q. 131.* Ambitio est inordinatus apetitus honoris, cuius quidem cohibendi causa lata est. *l. Iulia ambitus à Iulio Cæsare, & Octauio*, vt Suetonius refert, quam in Vrbe cessare scribit *Modestinus in l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu*, & subscribunt *Arcad. & Honor. in l. vnic. eod. tit.* de ambitu Mediolani data, quæ & si de honoribus, & gradibus annuis, vel biennalibus loquatur, vt illos repetere non liceat; tamen ad perpetuos etiam adaptari potest, & fortius; nam & difficile est, vt quæ malo inchoata sunt principio, bono fine peragantur, vt scriptum est *in c. principatus 1. q. 1. & in c. fin. de accus.* vel vt ait *Salustius in Iugurth.* difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se se probos simulauerint. De hac re etiam habes à *Io. Maienz. in Dialog. p. 4. cap. 9. & 10.*

369 Ambitiosus dicetur etiam ille, qui pecunia consequitur officia quæ de iure vendi non possunt *l. Baphij C. de murileg. lib. 11. & in auth. vt iud. sine quoquo suffrag.* sequitur, & dicit *glos. in d. l. Baphij*, alia *glos. in c. 1. de magistris.* Item alia *glos. in d. l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu, vel erit simoniacus*, vel secundum *Bar.* erit ambitu petitor reus, dum ait, illud quod canonistæ vocant simoniam, legistæ dicunt ambitum. Et dicit *Mart. Laud. de official. domin* quod qui dat pecuniam pro habendo officio præsumitur habere animum malè faciendi. Alia plura per *Cur. Pisan. lib. 3. cap. fin. Opt. Sidon. Apoll. lib. 7. Epist. ad Agretium*. Et si me immerito quæri iudicaueritis, inquit, dicere auderem tam præcipitis animi esse plerosque, tamq; periculosi, vti sacrosanctam sedem dignitatemq; affectare precio oblato non reformident, & rem iamdudum in nundina mitti, auctionemq; potuisse, si quam paratus inuenitur emptor, venditor tam desperatus inueniretur.

Fugiendus erit quoque vxorius ambitus, vt per 370 *Tacit. 1. annal.* de Tiberio loquentem in hæc verba. *Dabat & fama; vt vocatus, electusq; potius à repub. videretur, quàm per vxorium ambitum*, quod etiam firmat *Dion. lib. 57.* & ibi Xiphilinus hæc inquiens de Liuia. *Nam obtinente Augusto principatum summa fuerat eius auctoritas, & dicebat ad se. Tiberium Imperatorem esse factum, ob eamq; causam non solum volebat ex aquo cum Tiberio Imperatore, sed etiam eo superior esse.*

Erit insuper ambitiosus ille, qui honores quærit, non vt prosit, sed vt præsit, vt iam dictum est, quia 371 licet ex *l. 2. C. de off. rect. prouin. l. licet C. de assessor. l. magistros C. de profess.* & per *l. contra publicam vtilitatem C. de iur. milit. lib. 12.* liceat honores appetere; prout paullo supra diximus; id tamen intelligendum est non prece, & suffragio amicorum, aut pecunia, (hæc enim parificat *glos. in l. 1. ff ad l. Iul. de ambitu*, & sequitur *Mart. Laudens. de offic. prin. q. 95.*) sed virtute, & labore; inordinatus autem appetitus honoris, ambitio est, non autem secundum virtutem, vt per *S. Anton. in sum. par. 2. tit. 5. per totum potissimum in §. 5.* vbi hæc tradit. *Sed quid de officijs, & dignitatibus secularibus si appetantur, & petantur, & procurentur per preces, & obsequia, vt officium potestatis, & Senatoris &c.* Si quis huiusmodi appetat, vel quærat, magis curans de honore, & lucro, quàm de iustitia seruanda, vt si paratus est seruire amicis in licitis, & illicitis, & lucrari per fas, & nefas, & deuiare à iure, ne displiceat magis, vel non punire crimina, vt debet, vtique mortaliter peccat, faciens contra illud sapientiæ. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*: Similiter si ignorat ea, quæ spectant ad executionem debitam officij, nec per alium iuuari potest, vt per assessorem; In laicis enim intollerabilis videtur ignorantia, dicit *Leo Papa distin. 38 c. si laicis, loquens de rectoribus.* Similiter si paratus est se intromittere de his, ad quæ sua potestas non se extendit, quamuis ita consueuerit fieri &c. si autem intendit seruare in omnibus, & administrare iustitiam, in agendis saltem per practicam competenter edoctus, & in dubijs intendens consilia quærere: illa tamen quærit, & propter honorem mundi, & ne despicabilis habeatur non participando officia ciuitatis, vt cœteri, vel vt inde lucrum consequatur, quo se, & familiam valeat sustentare, & hoc per salarium deputatum, & alia consueta, vt de pœnis pecuniarijs & litigijs, nil extorquendo à subditis vltra constitutum, scilicet apportationem lignorum, & victualium, & huiusmodi, humana tentatio est, non tamen condemnandus, & multo minus, cum hæc quærit, ne priuatus his conculcetur à cœteris, & imponantur ei onera importabilia. Si quis autem hoc faceret ad obuiandum malis zelo iustitiæ, Deum, non homines

mines timens, optimum esset, sed quis est hic, & laudabimus eum? hæc D. Anton. subdens tutius tamen esse his se non immiscere, quasi obijciat se malis multis, & opponat se torrenti, nam secundum Innoc. non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto crimini desinit obuiare. *c. error di-*
373 *stinct.* 83. Durissimum etiam erit iudicium aduersus eos, qui præsunt, vt *Sap.* 6. potissimum si mali, vel imperiti, si enim vt Leo Papa, ait, ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire, & notari ambitu solent, quos probitatis documenta non adiuuant *c. miramur distin.* 61 & licet mali iustè iudicarent scandalum tamen est populi &c. Confirmat hæc *Latin. Pacat. in panegyr. ad Theodos.* 12. inquiens, *Illi enim, illi audi regna desiderent, quos soluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indemnatus necandi, cupiditas priuata rapiendi, libido honesta fœdandi ius, atque impunitatem requirunt.* Alia, nimirum, vtrum officia, & dignitates liceat expetere, scribit *Io. Matienz. in Dialog. par.* 4 *cap.* 13. *&* 14.

374 Legitima ex prædictis in petitore hæc esse dignoscuntur, virtus, labor, vtilitas publica, addas nunc legitimum fauorem. Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenuum est, vt possit emergere, nisi illi materia, occasio, fauor etiam, commendatorq; contingat, ait *Plin. ep* 23. *in fi. lib.* 6. Propterea idem *ep.* 17. *lib.* 4. de se loquens in hæc verba scribit: *Ille meus (C. scilicet Cacilius) in petendis honoribus suffragator, & testis, ille in incohandis deductor, & comes, ille in gerendis consiliator, & rector, ille denique in omnibus officijs nostris, quamquam imbecillus, & senior quasi iuuenis, & validus conspiciebatur. Quantum illi fama mea domi, in publico, quantum etiam in Principem adstruxit. Nam cum forte de bonis iuuenibus apud Neronem Imperatorem sermo incidisset, & plerique me laudibus ferrent; paulisper se intra silentium tenuit, quod illi plurimum authoritatis addebat, deinde grauitate, quam noras necesse est inquit, parcius laudem secundum, quia nihil, nisi ex meo consilio facit. Qua voce tribuit mihi quantum petere voto immodicum erat, nihil me facere non sapientissimè, cum omnia ex consilio sapientissimi viri facerem.*
375 Hæc Plin. qui partes prudentissimi suffragatoris, & laudatoris apud Principem, & alios nobis ante oculos posuit. Ea est enim profectò iucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt ex *Cicer. ep.* 248. & alibi sententia, potissimum si coram Principe. Docet etiam Cicero ad Atticum *lib.* 1. *ep.* 1. culpandum non esse eum, qui sibi consultum esse voluerit, ne in offensionem eius
376 incurreret per quem ornandum se sperat, vt quia aduersus eum aduocationem non susceperit. Quæ vero per epistolas fit commendatio, vel laudatio, si ab amico, vel charo accepta quoque esse solet: huius generis epist. plures extant eiusdem Plin. omnino videndæ potissimum *lib* 2. *ep.* 9. *&* 13 item *lib.* 10. *ad Traianum ep.* 12. 26 60. 89. 90. 91. 98. 99. 108. 109. 110. *&* 111. Item Symachi aliæ permultæ potissimum *lib.* 1. *ep.* 19. 35. 69 71. 87. *lib.* 2. *ep.* 14. 39. 42. 73. *lib* 3. *ep.* 31. 87. *lib.* 4. *ep.* 37 *lib.* 5. *ep.* 73. ex quibus vera alicuius, honestaque laudatio elici poterit.

377 Digni tamen sint petitores, & chari, acceptique suffragatores; à Principe enim damnatos fuisse eos laudatores, qui pro indignis verba fecerunt, testimoniumque dixerunt, testes sunt *Lamprid. in Alexandro seuero, & Dion. in Augusto.* Hinc Plut. in Politica. [Quemadmodum, inquit, edera nascentis alicuius futuræ præualidæ arboris stipitem vndique amplexa vna consurgit, & indolescit; ita illorum quisque seniorum adolescens, & gloriosum inglorius, subiens, ac se dederes, paulatim sublatus, & sensim adactus radicibus iam altè actis subnixus, extitit demum, atque ad rempub capessendam, & gubernandam se se idoneum præbuit. Siquidem Aristidem Clesthenes Phocionem chabrias, Sylla Lucullum, Catonem auxit Maximus Pammenes Epaminondã. Agesilaus Lysandrum.] *Et paulo infra.* Enimuero eiusmodi is sibi virum, & ducem deligere debet, qui ad ciuitatis munera obeunda se idoneum vult, cuius non tam opibus, & potentia, quàm virtute, probitateque initi firmarique possit. Quemadmodum enim non quæuis arbor vitis amplexus admittere, & perferre vult: quin pleræque vitem ipsam præfocant; ita in ciuitatibus non omnes admittunt, sed iunioribus tanquam futuræ gloriæ segetem subtrahunt. *Rursus.* Eiuscemodi itaque viros sequi oportet, & ijs inniti, non vt regulus Aesopi, qui humeris vectus Aquilæ præuolutus repente, excussusque decidit.

Hæc de suffragatoribus, & petitoribus non vendicant sibi locum in ecclesiasticis officiis, nam motu proprio quisque pro aliquo intercedere potest, secus verò ad instantiam ipsius petitoris, vt latè per *Gugliel. Benedic. in a. c. Raynutius de testam. in verbis, & vxorem nomine Andelasiam num.* 88. *& plur. seq.* redeamus ad secularia officia.

Vbi competitores probi, & optimi sint, salubre 378
est *Plin. consilium ep.* 6 *lib.* 6. his verbis: *Petit honores Iulius Naso, petit cum multis, cum bonis, quos vt gloriosum, sic est difficile superare. Pendeo ego, & exerceor ipso, afficior metu, & me consularem esse non sentio.* Et paulo infra. *Quibus ex causis exigo vt venias, & suffragio meo tuum iungas, permultum interest mea te ostentare, & tum circuire, ea est autoritas tua, vt putem me efficacius etiam meos amicos rogaturum &c.*

Petatur honor loco, & tempore, seruenturque 379
modi consueti, & liciti; ex his quæ supra *num.* 498. & quæ tradit. Plut. de Catone Vticensi petente, consulatum 85. in hunc modum. [Competitores Catonis duo fuerunt, ambo gratiosi, quorum alter P. Sulpitius plurimùm Catonis authoritate, ac potentia omni tempore fretus, non rectè tunc facere videbatur, neque satis gratum se erga Catonem præstare. Ipse tamen Cato numquam questus est, sed minimè admirandum esse dixit, sed id, quod quis 380
maximum bonum esse putat, alteri non concedat. Senatui verò persuasit, vti ipsos, qui consulatum peterent, per se P. R. appellare iuberent, nec per alios quicquam agere: ob quod etiam homines sibi magis aduersos fecit, quasi non solum accipiendi pecuniã, verum etiam gratiam concedendi pop. Rom. reuerentiam abstulisset. Ad hæc accedebat, quod nec ipse ad dicendum pro se satis idoneus erat, sed dignitatem morum potius conseruare volebat, quam cõpellando, atque rogando dignitatem magistratus acquirere, neque vt amici hoc facerent, permittebat, ob quod multitudo capi, & deliniri solet. Itaque virtu: à competitoribus consulatum non obtinuit, & cùm ea res non solum ijs, qui repulsam tulerant, verum amicis quoque, & familiaribus rubori esse soleret, & tristitiam atque calamitatem per multos dies afferret; ipse Cato ita negligenter id tulit, vt &c.] *& paulo post.* Hoc factum Catonis Cicero reprehendit, quod rebus poscentibus vt Cõ-

sul fieret, non studuerit populum humanitate delinire, sed etiam ad reliquum tempus defessus fuerit; Reprehendunt alii Catonem, quod potissima causa fuerit, vt Cæsar Romanam libertatem opprimeret. De honoribus tamen vehementer contendere contra officium magnanimi esse docet *Cicero lib. 1. de offic.*

381 Præterea ex eodem *Plut. in Lucullo* 3. accepimus eundem Lucullum, quamuis maiorem natu, cum legitimam fratris ætatem in petendo magistratu moratus esset, vt eius quoque ratio haberi posset; tantam sibi hac humanitate apud populum gratiam conciliasse, vt vel absens, vel vna cum fratre ædilis declaratus sit. Cum Romæ contentio esset de eligendo nouo Magistratu, qui postea dictator dictus est: ierunt omnes ni eam sententiam, vt alter ex duobus consulibus Cœlio & T. Largio crearetur: omnesque electionem ad alterum collegam permiserunt. Sed tanta de ea re humanissima, amicissimaq; disceptatio orta est; vt diem totum absumpserint in mutuis laudibus, vterque cupiens alterum collegam sibi proponi, vt vix postridie Cœlius potuerit efficere, vt Magistratus ad T. Largium deferret.

Postremo meminerint *legis Sancimus C. ad l. Iul. repetundarum*, quam referre libet. [Sancimus eiusmodi

382 viros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione, vel pretio, sed probatæ vitæ & amplitudinis tuæ solet testimonio promoueri: ita sanè, vt quibus hi honores per sedis tuę, vel per nostram fuerint electionem commissi, iurati inter gesta depromant, se pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quippiam, neque daturos vnquam postmodum fore, siue per se, siue per interpositam personam, in fraudem legis sacramentique, aut venditionis, donationisue titulo, aut alio velamento cuiuscunque contractus: & hoc (exceptis solis salariis) nihil penitus tam in administratione positos, quàm post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quàm gratuito meruerunt, accepturos. Et licet neminem diuini timoris contemnendo iusiurandum arbitramur immemorem, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat: tamen vt ad salutis timorem etiam necessitas periculi subiungatur, si quis ausus fuerit præbita sacramenta negligere, non modo aduersus accipientem, sed etiam aduersus dantem, accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem: quadrupli pœna eo, qui conuictus fuerit, modis omnibus feriendo.]

Vbi autem petitor repulsam passus, siue præteritus fuerit, sciat patientia quæri debere, quod gratia impetrari nequierit, & si quem audierimus, vt ait *Plut. de tranquil. animæ dictitantem*, tenuem, ac pudendam fortunam nostram esse, quod nec consulatum gerimus, nec alium magistratum, dicere illi possumus, præclaram, splendidamque nostram cõditionem esse, nec eam stipem ostiatim petimus, nec inter phalangarios, vectiariosque subeundis, ac moliendis oneribus fatigamur, nec assentatorum more supparasitari potentibus cogimur. Vbi vero voti compos factus sit, intelligat quam industriè sibi gerendus sit Senatoris munus, quem tanto labore impetrari sensit. *Ait Valer. lib. 7. cap. 5.*

## *Glosa Quarta.*

Qui in eo sedebunt.

### *SVMMARIVM.*

1 *Senatus dictio, accipitur pro Senatorum cœtu, & consilio, ac pro loco in quo Senatores, & Præses sedent.*
2 *Locus Senatus publicus esse debet, & conueniendis Senatoribus accommodatus.*
3 *In priuatas ædes Præsidis & Senatorum Senatus haberi non debet, certis casibus exceptis, & num. 5. & 6.*
4 *Locus Senatus in Curia Regis vel Ducis constitui debet, & ideo curia dicebatur. num. 7.*
8 *In Senatu conueniunt Senatores certis diebus descriptis in libello dierum vtilium.*
9 *Sedere est sessionem facere, & in loco conuenire.*
10 *Olim, dum Senatus sedebat, cæteri Magistratus stabant.*
11 *Cum summo adeo mane adiretur olim Senatus, sacrum post dimissum Senatum dicebatur, nunc autem cum orto sole adeatur, sacrum antequam sedeant dicitur, & cur. num. 12. & 13.*
14 *Nihil rectè, nihilque prudenter auspicantur homines, sine Dei ope, & consilio.*
15 *Dies in quibus Senatus non sedet feriæ dicuntur.*
16 *Qui iudicarios dies præscripserit.*
17 *Præsidi data est potestas conuocandi Senatum quoties voluerit. & num. 100.*
18 *Quibus horis & diebus Senatores olim expeditionibus vacarent.*
19 *Romanis quid vsui esset in habendo Senatu.*
20 *Conuenire in Senatu tenentur Senatores singulis diebus, & horis statutis, cum hoc eorum præcipuum munus sit, vt assidui sollicitique sedeant, rebusque deliberandis incumbant.*
21 *Quæ excusationum legitimæ sint causæ, ob quas ad Senatum venire quis non cogatur.*
22 *Quibus pœnis affecti sint contumaces, & negligentes.*
23 *Ratio sedendi in Senatu à quibus desumpta, & num. seq. potissimum num. 26. & 29.*
24 *Consilium vnde dictum.*
25 *Magis honoratur sedens quam stans.*
27 *Senatores super throno sedere iudicantes.*
28 *Sedentis & quiescentis promptior est effectus. Senatus effigies secundum Alciatum.*
30 *Mos sedendi in Senatu Romano.*
31 *Senatoris officium grauissimum ex eo solum iuramento, quod in ingressu officij præstare tenetur. Et ipsius iuramenti formula varia. Et num. 32.*
33 *Iurat Senator in manibus Illustrissimi Præsidis, & qua formula vtatur. & num. 34.*
35 *Manibus tactis sacris Euangelijs iurandum est.*
36 *Præscriptis verbis iurandum est.*
37 *Omnes iudices in ingressu officij teneri iurare.*
38 *Iuramentum à se præstitum seruare tenetur Senator, & ea omnia quæ sub eo iuramento continentur. num. 39.*
40 *Iuramentum fidelitatis præstat Senator, & eius effectus.*
41 *Iurat Senator se iustè munus Senatoris exerciturum.*

42 *Iu-*

42 *Iurat seruare constitutiones & ordines editos, & edendos, quos seruare omnes tenetur. nu. 45.*

43 *Qui iurat seruare statuta, an teneatur seruare edenda.*

44 *Qui iurat seruare statuta, iurat vnumquodque ipsorum seruare.*

46 *Constitutiones & ordines, qui non sunt vsu recepti, non tenebitur seruare.*

47 *Vel si sint contra vtilitatem publicam, aut ecclesiæ vtilitatem; vel sint illiciti, aut iniusti. n. 49. aut inualidi n. 50.*

48 *Iurans seruare statuta. an teneatur seruare, ea quæ sunt reuocata, vel abrogata.*

51 *Qui iurauit non reuocare statuta, si reuocet efficitur periurus. sed reuocatio tenet.*

52 *Possunt quandoq; absq; periurio ordines non seruari*

53 *Si inter statuta duo reperiantur contraria, quod seruari oporteat.*

54 *Pœna statuti iurati, vel iuris communis. vtrum sit irroganda.*

55 *Iurans seruare ordines & Constitutiones, tenetur etiam seruare statuta, & ius commune.*

56 *Iurat Senator secreta non reuelare.*

57 *Item se fideliter executurum ea, quæ sibi Senatus mandabit. & quæ mandata sint exequenda.*

58 *Munera illicita non accipere iurat Senator, & an Xenia accipere possit.*

59 *Quod ab omnibus illicitis abstinebit iurat Senator, & sic ea tantum facere poterit, quæ per leges concessa sunt.*

60 *In dubio quis præsumitur potius facere notum licito modo, quam illicito.*

61 *Iurat Senator, se omnia facturum, quæ veri, legales & fideles Senatores facere tenentur.*

62 *Præstito iuramento pro Senatore præsumendum esse.*

63 *Si quid faciat Senator, ob quod fiat periurus, emolumenta officij perdit, nisi post commissam culpam fuerit toleratus.*

64 *Iuramentum in forma specifica obseruare tenetur Senator.*

65 *Transgressio iuramenti grauissimum est peccatum, & an grauius sit homicidio, vel transgressione voti.*

66 *Iuramentum officialis præstitum in die feriata tenere.*

67 *Senatus Romanus antequam sententiam diceret, tenebatur iurare eam è repub. esse.*

68 *Omnes Magistratus ex antiquissimo instituto iurare tenebantur in officij ingressu.*

69 *Præses caput est concilij, & in loco eminentiori sedet.*

70 *Senatores alij ad dexteram, alij ad sinistram sedent.*

71 *Dextera pars honoratior & excellentior.*

72 *Qui Præsidi proximior est dicitur altius, & honoratius sedere.*

73 *Primus locus in ordine sedendi est dexteræ partis, daturque seniori: secundus vero locus est sinistræ partis caput. num. 77.*

74 *Prærogatiua præcedentiæ consideratur non solum in sedendo, sed etiam in subscribendo, incedendo, & loquendo.*

75 *Prærogatiua de qua supra vnius tantùm horæ spatio, & momento tantùm insurgit.*

76 *Consuetudo. vt priori loco adscitus non admittatur, non est admittenda.*

78 *Vno ex electis decedente, ipsius locus datur proximiori immediatè sequenti. Sedendi ordo in Senatu quis.*

79 *Seruatur talis ordo sedendi etiam si Senator maiorem consequatur dignitatem, & num. seq.*

81 *In alijs sessionibus quis locus honoratior præcedere, sequi, mediumque locum obtinere, remissiue.*

82 *Sedes in curia tum Senatorum tum consulum, quales apud veteres fuerint.*

83 *Non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem, voluisse Agesilaum.*

84 *Ex duobus vel tribus eodem tempore electis, quis in loco præferendus.*

85 *In dignitatibus duplex est ordo, sed in Senatoribus ordo temporis vnicus est.*

86 *In gratiosis tempus datæ attenditur.*

87 *Vtrum Princeps ex sola concessione transferat possessionem, & num. 92.*

88 *Senatoris officium annexam habet administrationem.*

89 *Honor est administratio reipub. cum dignitate, & differt à munere.*

90 *Res denominationem non recipit ab eo quod erit, sed ab eo quod est.*

91 *Electus antequam iuret administrare non potest.*

93 *Absens causa reipublicæ quando pro præsente habeatur.*

94 *Qui non iussus abest, vel affectata vtitur absentia pro non præsente habetur.*

*Quid vero si duo electi vno tempore fuerint, sed data priuilegij alia anterior, posterior alia. Item quid vero si concessa est dignitas cum administratione, & alia, sine quis præferendus. remissiue.*

95 *Sedere quo loco debeat priuatus officio, mox illi restitutus; & quid si non priuatus, sed se abdicauerit officio, & iterum illud sit consecutus.*

96 *Loqui quis prius ex sedentibus debeat.*

97 *Ordo loquendi in Senatu Romano quis fuerit.*

98 *Sententia dicta senatoribus non sedentibus an nulla.*

99 *Romani Senatores, & consules stantes sententiam dicebant, non sedentes.*

100 *Ad Præsidem spectat ius habendi Senatum: Si vero abest antiquior Senator loco Præsidis ea vtitur potestate, & Propræses appellatur; qui tamen in his quæ iure aliquo speciali Præsidi spectant se intromittere non potest.*

---

## CAPVT PRIMVM.

*Senatus locus qualis.*

DVplicem sensum habet vox Senatus: sumitur enim pro Senatorum cœtu, & consilio. ac pro loco ipso senatus in quo Senatores & Præses sedent vt diximus supra in prin. cap. 1. num. 2. & tradunt *A. Gell. noct. Attic. lib.* 18 *cap.* 7. inquiens, *Senatum dici pro loco & pro hominibus. Bart. in rub. ff. de Senat. & Bellon. supput. iur. lib. 4. cap. x.* hic igitur tex. noster, dum ait, qui in eo, subintelligit loco Senatus, in quo Præses, & Senatores, qui Præsidis & Senatoriam dignitatem habent, sedebunt. Locus Senatus publicus esse debet. & conueniendis Senatoribus, vt munus suum exercere possint, accomodatus, vti tradiderunt Curia Pisana *lib. 1. cap.* 15. vbi *Azeued. per l. 2. C. de decur. & Tessaur. in præfat. decis. suarum n.* 36. *Zosimus Histor. lib.* 5. de incendio Constantinopolim conflagrante sic ait, *Irruit ignis illam in domũ,* in

*in qua Senatus haberi solebat. Ea domus ante palatium sita erat ad omnium elegantiam, & magnificentiam elaborata. Nam Simulacris artificum exornata erat, ipso adspectu maiestatem praeferentibus, & coloribus marmorum, quae hisce temporibus non eruuntur. Ac perhibent eas etiam imagines, quae in Helicone montis olim collocatae Constantini temporibus, in res omnes perpetrati sacrilegij vim expertae, cum caeteris fuerunt huic loco deductas, igni tum perijsse.*

Non enim in Praesidis & Senatorum priuatas aedes, nisi necessitas suggerat, vt infra paullo, conue-
3 nire singuli debent, sed in ipsum Senatum, qui hac in vrbe insignis & magnificus existit ab antiquis huius dominii ducibus constitutus in curia, vt ait *d. l. 2. de decur.* & iuxta praeceptum Domini *Eccles. cap* 18. his verbis. *Iudices, & Magistratus constitues in parte sua, vt iudicent populum iusto iudicio, & ante iudicium para iustitiam.*

4 Nec extra locũ Senatus causae graues sunt pertractãdae, ex ordine regio anni 1581. qui ita loquitur *Auertẽdo che nelle picciole feste, nelle quali i Senatori si cõ-*
5 *gregano in casa del Presidente, non si hà da trattare, ne ispedir quiui cosa alcuna cõtrouersa fra parti, ma solamẽte l'altre facili, & ispedienti, al cui trattato non habbia anco à trouarsi minor numero di quattro Senatori. Incaricandoui di più che v'asteniate di trattar fra voi negotij toccanti à tutto il Senato in altro tempo, che quando tutti vi trouarete à sedere pro tribunali, per quanto importa seruar in ciò il debito ordine, & decoro.* In alio quoq;
6 ordine Regio anni 1604. 28. Maii de quo infra cap. sequenti num. 12. inducta est nullitas actus, quoties Senator causas appellationum in pleno Senatu non referat. Extat insuper alius ordo, cuius verba alias adduximus, vt in eodem frequenti Senatu causae criminales referantur, & decidantur.

Quod autem in priuata Praesidis domo conueniant Senatores non legitimis diebus, sed festis, id maximae laudi eis dandum est, quod spontaneum hunc laborem suscipiant, vt celerius aliorum commodis ac necessitatibus consulant.

Locus in quem antiquus Senatus conueniebat, curia dicebatur, vt iam diximus ex *d. l. 2. C. de decur.* (vt etiam apud nos dicitur) & firmat *Virg. lib.*
7 *11. Aeneid.*

*Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces*
*Regibus omen erat: hoc illis curia templum.*

Ad domum ergo Regis, quasi ad locum publicum, conuocabatur Senatus, vt idem ait in 7.

*Tali intus templo diuum, patriaque Latinus*
*Sede sedens,*

Alia per *Var. lib. 4. Liuium lib. 48. Valer. lib. 2. Dion. lib. 54. Halycarnass. pluribus in locis, & Festum*, ait enim ibidem *Dion. Post haec Augustus in aliud quinquennium praefectus morum factus, sanxit, vt Senatores, quoties in curiam conuenire &c.* Plura alia infra hic *cap. 3. & per Zamosc. lib. 2. de Senatu Romano, & Marcellum Donat. in dilucid. ad Suet. in Caesare Aug. cap. 35.*

Locus autem, vbi Senatus Constantinopoli haberi consueuerat, Septimus appellabatur, ex pluribus Iustiniani iuribus, vt in *l. pen. C. de sac. san. Eccles.* & alibi, prout not. *Pancirolus in not. Imper. Orien. cap. 72.* Areopagitae autem teste *Aeliano de varia Hist. lib 5.* iudicabant in templo Martis de voluntaria caede ijdem de inuita in Palladio. Cum verò quis maleficium fatebatur, sed iure fecisset, & licuisset ne facere, id erat in controuersia, is in Delphinio rationes reddere cogebatur.

## CAPVT II.

*Senatus quo tempore habendus?*

IN Senatu conueniunt Praeses & Senatores certis 8
statutis diebus descriptis in libello, qui vocatur, Dierum vtilium, ibique sedent. Sedere enim est sessionem facere, & in loco conuenire, idq; summo 9
mane factum est olim, & ante solis ortum. Dum autem Senatus sedebat, ceteri Magistratus silebant, teste *Boss. de Prin. sub num. 226. in fine*; ex eo for- 10
san instituto, quod *Dion. lib. 55.* refert, nimirum Augustum certos dies statuisse, quibus Senatus haberetur, & in ijs diebus cauisse, ne iusdicere, vel aliud id genus publicum negocium, quod Senatores impedire posset in Senatum venire, attingere fas esset. Ea de causa sacrum post dimissum Sena- 11
tum dicebatur. Cum autem iam orto sole Senatum adirent patres: fluxit Regius ordo anni 1604. viij. Maij tenoris huiusmodi. *Suelese en los Tribunales del Senado, y Magistrados ordinario, y estraordinario celebrar la Missa despues de hauerse acabado los negocios que se tratan en los dichos Tribunales. Y porque parece mas justo y conueniente que se celebre antes que* 12
*se junten a tratar dellos, assi porque al principio de qualquier acion se deue de tomar de la innouation del auxilio Diuino, como porque mientre se dize la Missa, se da mas tiempo a los Senadores y Maestros para juntarse, no podiendo todos en vn mesmo tiempo venir al Tribunal: es mi voluntad y mando que se celebre la Missa en cadauno de los dichos Tribunales a media hora despues de hauer esclarecido el dia, hallandose presente a ella alomenos dos de cada Tribunal y que despues de oida, hauiendose juntado quatro por lo menos, y no de otra manera, se attenda al despacho de los negocios, segun la disposicion de las constituciones dese Estado.* Mane Senatum adire debent, vt promptio- 13
res sint Senatores, & aptiores. Qui enim maturius mane operatur, tertiam partem operis conficit, secundum Haesiodum, & quae scribit *Alciat. in l. 2. §. vlt. ff. de verb. sign.* alia per *Cabed. decis. Lusit. 1. num. 5. & duob. sequen. p. 1.* & diximus supra *glos. 3. cap. 1. sub num. 22.* Reges Aegyptios consueuisse mane libellos legere.

Mos sacra faciendi apud Athenienses, & Lacedaemonios iam antiquissimus fuit: hi namque omnibus publicis concilijs Mantes Sacerdotes, qui sacra facerent, adhibebant: illi vero augurem semper adesse voluere. Romani quoque hoc ipsum sequuti sunt, ex *Dion. lib. 54. Suetonio in vita Augusti, Appiano lib. 2. Gellio lib. 14. cap. 7. Tessaur. in d. praefat. sub num. 37. Manutio de Senatu Romano cap. 5. Alex. Genial. dierum lib. 4. cap. 11.* Ea sanè ratione qua *Plin. in Panegyr.* quia nihil rectè, nihilq; pru- 14
denter auspicantur homines, sine Dei Immortalis ope, & consilio; itaque rerum gerendarum initia à praecationibus esse capienda. Nec reticenda videntur hoc loco quaedam egregia verba Vopisci in Aureliano, quae locutus est Vlpius Syllanus. Sero nimis P. C. de reipub. salute consuluimus, sero ad fatalia iussa respicimus, more languentium, qui ad summos medicos, nisi in summa desperatione non mittunt, proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura, cum omnibus morbis occurri sit me-

melius. *Et paullo post*, cum adulando dicerent, tantam principis esse virtutem; vt opus non sit deos consuli, proinde quasi & ipse vir magnus deos non colat, non de dijs immortalibus speret. Quid plura? audiuimus litteras, quibus rogauit opem deorum, quæ nunquam cuiquam turpis est, vt vir fortissimus adiuuetur. Hactenus Vopiscus. Cambises Cyro filio ad Astiagem ituro sic præcepit. Hæc a me discas fili, quæ habentur maxima, nihil a te vel publicis, vel priuatis in rebus agendum, nisi sacris peractis, Deorumq; voluntate perspecta; cui parentis mandato Cyrus omnino paruit. In consilijs enim primò Christi consilium quærendum est; quis enim consiliarius prudentior est Christo? inquit *tex. in c. sanctum distinct. 4. Deus namque propè est inuocantibus eum. Psal. 144. & in 1. Iacobi, si quis indiget sapientia, postulet à Deo.* Sic etiam *Afflic. ad constit. lib. 1. rub. 45 num. 48.* Præterea quicquid agebatur a Senatu Romano, id orto sole, clara luce; sine vlla fraudis, dolive suspicione, sine timore, sine odio, aut beneuolentia, liberè, securoq; animo, vt fieret sancitum fuisse, testatur *Gell. loco supra citato.*

15 Certis igitur, & designatis diebus, & horis habetur Senatus noster, & ij sunt annotati in libello quodam satis noto; reliqui autem dies feriæ dicuntur. De his autem ferijs plura per *Tessaur decis. 29.*

16 Dies feriatos à M. Antonio Philosopho designatos fuisse tradit Capitol. in hæc verba *Iudiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit. fastis dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibusq; disceptandis constitueret.* Alia *Ouid. Fast. 1. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 16. Fest. lib. 6. Liu. lib. 9.* vbi scribit, *Flauium fastos dies circa forum in albo proposuisse, vt quando lege agi posset, sciretur.* Et *lib. 1 Numam Pompilium nefastos dies fastosq; fecisse, quia aliquando nihil cum populo agi vtile futurum erat. Seneca lib. de tranquil. vitæ 1. cap. vlt* legum conditores, ait, festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.

17 Habetur quoque Senatus alijs diebus, & horis, quibus Præsidi placuerit; is enim habet potestatem conuocandi Senatum, non solum ex antiquo illo instituto, sed etiam ex ordine Regio anni 1604. his conscripto verbis. *Siempre que al Presidente del Senado le pareciere juntar el Tribunal extraordinariamente, para el buen despacho de los negocios, lo podra hazer despues de comer por dos horas.*

18 Aliud tempus ex Erectione illa antiquiori fuit Senatui assignatum in hæc verba. *Volumus vlterius, quod dictus Senatus habeat litigationibus causarum, expeditionibus supplicationum, & alijs negotijs occurrentibus vacare duabus horis de mane, & duabus post prandium diebus non feriatis in honorem Dei, & Sanctorum horis congruentibus, & prout per eos pro meliori fuerit deliberatum.*

19 Quid autem Romanis vsui esset in habendo, & conuocando Senatu tradunt *Liu. lib. viij. Dec. 1.* & alibi, nempè *lib. xxiij* dicens, *Consules edixerunt quoties Senatum vocassent. Dionys. Halycarnass. lib. x. Cicero lib. xij. famil. Epist. & Gell. lib. xiv. cap. vij.* nimirum conuocabantur Senatores, aut edicto a Coss. aut ab alio Magistratu proposito, aut præconis voce cum aliquid incidisset, de quo propere, & sine mora consulendi essent patres; neque operæ videretur in aliud tempus differre negocium. Hæc etiam *Appian. lib. 1. & alij, quos in cap. seq. citauimus.*

Senatus aut legitimus erat, aut indictus. Senatus legitimus statis diebus agebatur. *Capitol. in Gord. Sueton Aug. & Cæsare Spartian. in Adriano, & Appian. lib. de bell. ciuil. 1.*

Ius conuocandi Senatum fuisse primo apud Reges, & inter Reges indicat illa nota Seruij apud Linium quærela Quid hoc Tarquini rei est? qua tu audacia me viuo vocare ausus es patres? Item apud Dictatorem ex *Liu. Consulem, apud Salust. in coniur. Catil. & Liu. lib. viij. Prætorem id. Liu. lib. xxij. Tribun. pleb Cicero Ep. ad Trebonium, & lib. 3. de orat. Dionys. lib. 10. Præfectos Vrbis Ateius Capito coniectaneorum 259. Magistrum equitum, Liu. lib. viij. Dion. lib. 42. postremo apud Cæsares, Dion. & cæteri.* Improbat *Plut. in Polit.* illud Atheniensium, Cleon enim coacto Senatu, dijs se inquit rem sacram fecisse, hospites lautè accepturum, precari perinde Senatum in præsens dimitti, atque in diem insequentem reijci. Id risu Athenienses excipientes continuo cœtum soluerunt.

---

## CAPVT III.

*Senatum adire qui cogendi.*

Conuenire autem in Senatu tenentur omnes patres singulis ipsis diebus statutis, cùm hoc ipsorum munus præcipuum sit, vt assidui, sollicitiq; sedeant, rebusq; deliberandis incumbant, vt infra *cap. 6. glos 6* quod etiam ex *xij. tab.* sancitum fuisse 20
testatur *Cic. ij de legib.* his verbis. SENATORI, QVI NEC ADERIT AVT CAVSA, AVT CVLPA ESTO. Et paullo infra. HVIC IVSSA TRIA SVNT VT ADSIT. NAM GRAVITATEM RES HABET CVM FREQVENS ORDO EST. Et à quamplurimis obseruatum, vt frequenter & assiduè Senatum peterent, patet, & ex *eod. Cic. in orat. pro domo sua.* Senatoris est boni semper in Senatum venire. *Plut.* dicente, Catonem maiorem, quamuis annis grauiorem nulla re, nulloque negocio adduci potuisse; vt frequentem Senatum venire moraretur; & Niciam, quoties Magistratum gessit, in curia ad noctem vsque permansisse, ac in Senatum primum omnium venisse, postremum digressum fuisse. Addas Q. Scæuolam augurem senem, & debilem, teste *Cicer. Philip. viij* primùm venisse in curiam, ac Senatores plerosque, secundum Festum, in Senaculo, hoc est in loco Senatus stationem habuisse, & inde citato gradu, non expectato edicto in curiam ire solitos. Horum testimonio subscribit *Valer. Max. lib. 2 cap. 1.* in hæc verba; *Antea Senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur: nec expectabat, vt edicto contraheretur, sed inde citatus, protinus in curiam veniebat; ambigua laudis ciuem existimans, qui debitis P. R. officijs non sua sponte, sed iussus, fungeretur. Suet. in Augusto. Capitol. in Gordiano, in M. Antonio Philos & in Pertinace. Spartian. & Dion in Adriano tradunt Senatui semper interfuisse & Augustum, & Gordianum, Adrianum, & Pertinacem; vt in glos. præcedenti cap. 1. num 24. & duob. seq. & in glos. 2. cap. 4 in fine,* vbi idem ex *Dion de Caio Calligula, & Plin. lib. 4. epistol.* Qua de causa varia decreta edita fuisse demonstrauimus supra *ead. glos. 2. cap. 4. propè finem,* ne quis ab Vrbe abesset.

Pluri-

21 Plurimas excusationum causas, ob quas ad Senatum venire, quis non cogeretur, referre libet; eam primum, quam *Seneca de breu. vita cap. vlt.* in hunc modum. Lex à sexagesimo Senatorem non citat, *& lib. 11. controu. vlt.* Senator post sexagesimum, & quintum annum in curiam venire non cogitur, quod etiam comprobat *Gell. lib. 4. cap. 7.* inquiens, *Si qui Senatores quintum & sexagesimum annum aetatis excessissent, eos cogi inuitos, aut contumaces pignore, vel pecunia plecti non licebat. Senatori quoque sexagenario, ad eam aetatem in Senatum non venire nulla fraude fuit: semper tamen in Senatum frequentem venisse, & fortem sententiam dixisse boni Senatoris est habitum. Hac Gell.* Secunda excusatio fuit aduersa valetudo, ex *eod. Senec. lib. de breuit. vita cap. vlt. & Cic. 1. Philip.* dum conqueritur, quòd aduersus se ipsum nimis grauiter, quia Senatui non interfuerat, fuisset animaduersum, his verbis. *An ea res agebatur, vt etiam aegrotos deferri oporteret?* & probatur *ex c. placuit, & c. si quis episcoporum 18. distinct. ex l. vlt. C. de legat. lib. 10.* vbi *Bar.* idem firmat *Natta cons. 67. in prin.* Tertia causa potuit esse funus, ac aliae omnes, quae in *tit. de in ius vocan.* referuntur, & tetigit *Cicero pro Rabirio.* Quarta causa fuit, & sanè honesta, cum de alicuius re agendum esset, eum enim praesentem ibi reperiri modestiae ratio non patiebatur, vt ex *Liu. lib. 26. Plut. in Marcello, & Valer. Max lib. 4. cap. 7. cum alijs in glos. sequenti adductis cap. 22.* Quinta causa munus iudicandi: ijs enim dabatur excusationis venia, qui iudicijs operam nauabant. Idcirco Augustus cauit, vt caetera iudicia silerent ijs diebus, quibus Senatus haberetur, teste *Dion. lib. 55. Sallust. in libro de Repub. ad Caesarem.* His tempestatibus, alij iudicijs publicis, alij priuati suis, atque amicorum negotijs implicati, haud sanè Reipub. consilijs adfuerunt. In nonnullis alijs casibus non erat opus excusatione, nec poena tenebantur, veluti cùm de triumpho alicui concedendo, vel denegando tractaretur; aut cum supplicatio decernenda erat, tunc enim rogabantur ab ijs ipsis, de quorum interesse agebatur, vt adessent. Quod *Cic. Philipp. 1.* meminit his verbis. *De supplicationibus referebatur, quo in genere Senatores deesse non solent: coguntur enim non pignoribus, sed eorum, de quorum honore agitur, gratia: quod idem fit. cùm de triumpho refertur. Et deindè: ita sine cura Consules sunt, vt penè liberum sit Senatori non adesse.*

Quibus autem poenis affecti fuerint contumaces 22 differit *Gell. d. c. 7. lib. 4. & lib. 13. Cicero iij. de Orat. & Philip. 1. Liu. lib. iij. & xxxvij item lib. 8. 2. belli Punici. Plut. in Catone. Dion. lib. 54. Valer. lib. 2. & Card. Paleotus in tract. de sacr. consistorij consult. par. 5. q. 8.* vbi etiam tradit, ad quid in foro interiori teneantur; alia per nos supra *glos. 2. cap. 4.*

Contumaces, & negligentes impunè Senatores aliquando extitisse docet *Tacitus in German.* his verbis. *Illud enim ex libertate vitium, quod nec simul, nec iussi conueniunt, sed & alter, & tertius dies cunctatione coeuntium absumitur?*

## CAPVT IV.

*Sedere cur debeant Praeses, & Senatores.*

ROmulum in sede conspicuum sedentem dedisse populo iura, iudiciaq; exercuisse tradit *Plut. in Romulo 56.* 23 Eadem forma vsos fuisse alios habetur *Deut. c. 2. & 16. Esdra. c. 8. Io. Euang. c. 18. & c. in loco 5. q. 4.* & tradunt *Sigon. de repub. Hebreorum lib. 6. c. 6. Cic. pro Rab. adest tex. in auth. de iud. coll. 6. §. sedebunt, in l. 2. §. confestim ff. ad sen. consul. Tertull.* scribunt *Angel. in l. fin. §. sedendi C. vbi sen. Specul. de sent. §. iuxta, vers. item est nulla ratione modi. Luc. de Penna de stud. lib. Vrb. Rom. lib. 10. c. Praeses igitur, & Senatores conueniunt in Senatu, ibiq; consilium sedendo constituunt:* 24 nam sedere teste *Seruio in 9. ex Plauto,* consilium capere est. Consilium autem dictum est secundum *Sex. Pompeum lib. iij. Aegid. de regim. prin. lib. 3. par. 2. cap. 17. & Isern. in c. 1. col. 3* hic finitur lex, vt sit quasi considuum, vbi plures considere debent, tum auctoritatis, & maiestatis causa, tum quia sedendo animus prudentior fit. *Plaut. in Mostellaria. Nimio plus sapio sedens. Varro lib. 1. de re rustica,* 25 commune prouerbium Romanorum esse dicit. *Romanus sedendo vincit.* Quod fecisse Carolum V. annales Gallici prodiderunt. Magis etiam honoratur sedens, quàm stans, ait *Bal. in l. quoties C. vbi Senator vel clariss. per illum tex. in verbo sedendi quoque, & Luca 22.* qui recumbit maior est, quàm qui ministrat, iuncto *tex. in c. Episcopus 95. distinct. & l. quis quis C. de postul. in fine,* cum traditis à *Specul. de disput. & alleg. aduoc. §. 6. in prin.* Quod etiam firmat *Homer. Illiad. 8. lib.*

*Sedebunt politis lapidibus sacro in circulo.*

Et Iuuenalis Satyra septima.

*Consedere duces, surgis tu pallidus Aiax.*

Alia videri poterunt in *glos. sequen. cap. 11.* vbi ostendimus, eos, qui in Senatu sententiam dicebant, solitos fuisse insurgere, alia quoque apud Platonem in apologia Socratis. Sedebunt eo Magis Senatores, 26 cum Principem repraesentent, rescripta omnia sub nomine Regio expediant, & vt oculos omnium ad se trahant, sicuti de Brenno legitur, qui capta Vrbe Romanos Senatores in foro tacitos, intrepidosq; consedentes est admiratus, secundum *Plut. in Camilli vita.* Vt sedeant iubet ipse Rex in dicto ordine anni 1581. huiusmodi. *Auertendoui ancora, & incaricandoui, che vi asteniate di trattar frà voi negotij toccanti à tutto'l Senato in altro tempo, che quando tutti vi trouarete à sedere pro tribunali, per quanto importa seruar in ciò il debito ordine, & decoro.* Nec abs re 27 dicitur, Senatores super trono sedere iudicantes duodecim tribus, vt viam iustitiae legum doctrina aperiant, atque remp. recta administratione custodiant, *instit. in proem in fine, & ff. eod. §. incipite.* Sedent postremo, quia sedentis, & quiescentis promptior est affectus, ex *Arist. vij. Physic. & Alciato in Emblemate de Senatus pictura,* 28 his verbis.

*Effigies manibus truncae antè altaria Diuum*
*Hic resident, quarum lumine capta prior.*
*Signa potestatis summae, sanctiq; Senatus.*
*Tebanis fuerat ista reperta viris.*
*Cur resident? quia mente graues decet esse quieta*
*Iuridicos, animo nec variare leui.*

*Cur sine sint manibus? capiant nec xenia, nec se*
*Pollicitis flecti, muneribusue sinant.*
*Cæcus at est Princeps, quod solis auribus, absque*
*Affectu constans iussa Senatus agit.*

29 Causas sedendi reperies apud *glos. in c. fin. in verbo sedendo de re iud. in 6. Bal. in l. 1. col. 2. C. de senten. ex breui recit, & D. Menoch. de arb. iud. lib. 1. q. 61.* Sed his contenti erimus. Illud tantùm adducemus, eum qui benè sederit cathedra, honorem accepturum cathedræ; qui verò malè sederit, iniuriam factururum cathedræ, vt ait *text. in cap. multi 40. distinct.*

Mos sedendi in Senatu Mediolanensi tradetur in-
30 fra *cap. 6.* ille verò Romanorum colligi poterit ex illa Laberij, & Ciceronis dicteria. Petebat Laberius a Cicerone se in Senatum recipi: ei verò Cicero in hæc verba respondit, *Reciperem te nisi angustè sederem. At ille nimis mordaciter. At qui solebas duabus sellis sedere. Obijciens tanto viro lubricam fidem*, licet ex Macrobio Saturnal. quod Cicero dixit, *nisi angustè sederem, scomma est, quia in Senatu adeo multos admiserat, vt eos quatuordecim gradus capere non possent. Tempore verò Augusti*, vt *Dion. lib. 59.* refert, *premium Senatoribus, ne in nudis asseribus sederent, pulminaria subdita.*

---

## CAPVT V.

*Quod iuramentum præstet Senator antequam sedeat, singularumq; partium ipsius iuramenti ius.*

31 ANtequam autem Senator sedeat iuramentum præstare tenetur, hoc est in ingressu officij, *Ang. in auth. vt iud. sine quoquo suffragio § iusiurandum collat. 2. Paris de Puth. de sindic. verbo iuramentum.* Si enim aliquid ante præstitum iuramentum ageret, id omnino nullum esset, vt scribit *Afflic. in constit. lib. 1. rub. 67. tit. de Sacramento præstando à baiulis*: teneretur q; parti ad interesse *c. 1. §. iudices de pace iur. firman. vbi Bal* ac puniri posset acriter, secundum *Lucc. de Penna in l hac sanctione C. de diu. off. lib. 12.* Iuramenti formulam subijciam, vt sciant cuncti, ex hoc solum graue munus Senatoris esse.

Iuro me fidelem futurum P. Regi Hispaniarum D. nostro, Munus Senatoris fideliter, & legaliter exercebo.

Ordines, & Constitutiones factas, & quæ fient, seruabo.

Quæ in Senatu secretò tractabuntur, præcipue aliorum Senatorum vota non publicabo.

Quæ Senatus mihi mandabit, fideliter exequar.

Illicita munera non accipiam, & ab omnibus illicitis abstinebo.

Demum, ea omnia faciam, quæ veri, fideles, & legales Senatores facere tenentur.

*Alia forma iuramenti.*

IVro me fidelem ab hodierna die perpetuo futurum N. Domino meo, & successoribus eius, & nunquam scienter in consilio, nec extra fauorem, aut auxilium alicui præstaturum, vt idem Princeps Dominus meus, eiusvè successores in persona, vel in statu, vel in honore iniuriam aliquam, damnumvè accipiant: & si sciuero, vel audiuero aliquid huiusmodi tractari, quantò citius fieri poterit, bona fide, ipsi, aut agentibus eius enuntiabo.

Si quid secretò mihi mandatum fuerit, illud absque illius, vel agentium eius licentia nemini reuelabo requisitus.

Consilium, quod magis expediens videbitur, pro meo captu fideliter præstabo.

Nihil, quòd ad eius. successorumvè eius damnum, iniuriamvè pertineat, sciens faciam.

Officium mihi demandatum iustè, fideliter, sincerè, & sine sordibus administrabo: eaq; omnia faciam, quæ boni, viri, & fideles vassalli, & subditi, ac officiales erga Dominum suum facere tenentur, & prout in forma veteris, & nouæ fidelitatis scriptum est.

Constitutio illa Senatus anni 1499. aliam dat iuramenti formulam, mandans. vt postquam Senator creatus litteras electionis suæ præsentauerit, & priusquam ad dicti officii exercitium admittatur, debeat in præsentia totius Senatus, & in manibus in eo Præsidentis iuramentum huiusmodi præstare.

Quod pro dicto officio per se, vel interpositam personam nemini dedit, vel promisit, seu promitti fecit pecuniam, vel aliam rem æquiualentem. Et si aliquam pecuniam, vel rem æquiualentem per se, vel interpositam personam reperiretur donasse, aut promisisse directè, vel indirectè, vult, & ordinat ipsum à dicto officio repellendum, arbitrioq; Senatus puniendum.

Varias hac in re iusiurandi formulas tradiderunt 32
*Specul. de iur. iur. vers. illud autem, & Afin de execut. §. octauo cap 109. & sequen.* illa vero quæ magis supradictis conuenire videtur, est quam habemus *in auth iusiurandum, quod præstatur ab his qui administr. accip. in prin.* quæ ibi extensa longius, hæc in summa continet. *Iuro ego N. per Deum omnipotentem, & filium eius Vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum Sanctum, & per Sanctam gloriosam Dei genitricem, & semper Virginem Mariam, & per quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per Sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, me pura conscientia, Dominis meis seruiturum occasione tradita mihi potestatis, & communicator ero sanctissima Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, & nullo modo aduersabor ei, nec alium quemcunque iuxta vires meas aduersari permittam. Iuro quoque me nihil dedisse, aut promisisse, nec alium pro me occasione mihi data potestatis: & quod purè me exhibebo circa subiectos, contentus ijs, quæ mihi statuta sunt de Fisco Annonis: omnemq; prius habebo curam circa fiscalia, non ob hoc lucrum considerans, aut per gratiam, & odium exigens: & æquus in causis vtriqueparti, & in publicis disciplinis ero: nullique parti, citra quàm iustum, sed exequar vniuersa dicta. & omnem æquitatem seruabo; innoxios illæsos conseruabo, noxijs autem imponam supplicium, secundum legem, & omnem iustitiam. Quod si hæc omnia non seruauero, recipiam hic, & in futuro sæculo in terribili iudicio magni Dei Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, & habeam partem cum Iuda, & lepra Giezi, & tremore Cain.* Aliud est iuramentum, quod habetur *in auth. vt iudices sine quoquo suffragio, §. si vero aliquibus in prouincijs, & in §. si igitur, & in §. oportebit igitur collat. 2.*

Inter has autem iuramenti formulas, prior tan- 33
tùm supra ab initio huius capitis relata, nunc vsu recepta est, quam suscipere tenetur Senator, in manibus Præsidis, tactis sacris Euangeliis, formiter, atque

que iisdem præscriptis, conceptisque verbis; omnia sanè iuxta iuris dispositionem. Nam iurandum esse in manibus mandantis, vel eius loco, probat *l. rem*
34 *non nouam in prin. & in auth. hodie iurant C. de iud. collat. 2. vbi Ang. & auth de defens. ciuit §. interim in fine collat. 3. & l. fin. C. ad l. Iuliam repetundar. quam supra glos. præcedenti num. 321. retulimus, & l. vnusquisque, & ibi Luc. de Penna col. 2. vers. Sacramenti C. de prox. sacr. scrin. lib. 12. & tradunt Paris de Putheo de Sindic. in verbo iuramentum officialis, & Martin. Laud. in trac. de offic. prin. quæst.* 5.

35 Manibus tactis sacris Euangeliis iurandum esse voluit *Alber. in auth. sacramenta puberum num. 3. & seq. C. si aduers. vend. & Afflic. in c. vnico §. item Sacramenta in tit. de pac. iuram. firm. in vsib feud. num.* 38.

36 Formalem expressionem requirere, & iisdem præscriptis, conceptisque verbis iurandum esse dixerunt *Butr. in c. ab excommunicato col. 5. de rescrip. per tex. in c. pen. de iur. iur.* quod etiam sequitur *Soc. cons. 99. col. 3. lib. 3.* & satis superque per nos probatum est. *quæst. pub. tract. lib. 1. cap. 2.* Omnes enim iudices in
37 ingressu officii sui iurare tenentur iuxta loci consuetudinem, vt per *Fran. Marc. decis.* 684. *par.* 1. & habetur in §. *sit igitur in d. auth. vt iud. sine quoquo suffrag. §. 1. per totum, & in auth. iusiurandum quod præst. ab his.*

38 Propterea, si iuramentum apud omnes nationes summa in reuerentia semper est habitum, ex his quę scribunt *Gell. lib. 7. cap. 18. & Alex. ab Alex. gen. dierum lib.* 5. multo magis à Senatore haberi debet,
39 qui cæteris, virtutis, & relligionis specimen esse debet, & qui tenetur ad ea omnia, quæ sub iuramento continentur, secundum *Alex. in cons. 79. col. 5. lib. 1.* cuius quidem iuramenti præcipuas partes nunc explicare lubet.

40 Præstat primò Senator fidelitatis iuramentum, de quo habetur in *c. 1. in tit. de form. fidel. & in c. 1. de nou. forma fidel. & in decretis 22. distinc. per Alex. d. cons.* 79. quod sex continere *not. Afin. de execut. §. 9. cap 4 pag.* 277. Iurare quoque tenentur omnes consiliarii se fideliter consulere, *ex l. 1. C. de silent. vbi Luc de Penna lib. 12. & c. fin. de procur.* & horum consilium debet esse liberum sine hæsitatione *c. fundamenta de elect. lib 6.*

41 Secundò iurat se iustè munus Senatoris exerciturum, vbi cautum est in *c. veniens de iur. iur. in d. l. rem non nouam & in auth. hodie C. de iud. in l. 2. in prin. de iuram. calum, & in §. qui a vero multa in auth. de iud.* hoc est, quod iustè iudicabit, vt tradunt *Mart. Laud. & Cardin. Alexan. in c. 1. de controuers. feud. apud pares termin. Tiraquell. de præscrip. §. 1. glos. 8. in vers. adde quod cum*, vbi refert Aegyptiorum Reges sua ipsorum lege iudices ad iurandum compellere, ne quid iniustè, etiam si Rex ipse præciperet, iudicarent.

42 Tertiò, iurat Senator se seruaturum Constitutiones, & ordines editos, & edendos: de qua sanè iuramenti specie meminit *tex. in c. pen. de iur. iur.* & ibi Scribentes copiosè tradiderunt, inter cetera vo-
43 lentes, iurantem seruare statuta, non teneri vinculo iuramenti seruare, illa quæ post edita fuerint; quod etiam comprobarunt *Bar. Ang. & Alex. in l. si stipulatus §. cum stipulamur de verb. oblig Crot. cons. 120. num. 42. lib. 1.* licet aliter sentiat *Ias. num. 12. in d. §. cum stipulamur*, post *Imol. num. 1. & alios*, de qua re latè per *Afin. de execut. §. 9. cap. 392. vbi nu.* 4. ait iurantem seruare statuta in vno volumine redacta, videri iurasse seruare quodlibet ipsorum separatim de per se, citat *Dominic. d. Santo Gemin. in c. cum contingat num. 6. de iur. iur. in 6. Archidiac. in c. inter catera 22 q. 4 eundem Gemin. & Abb. in addit. in c cum accessissent num. 4. de constit. & Fel. in c. ego in fine de iur iur.* idem tenuit *Alciat. in cons. 36. nu.* 44
4. *lib.* 1. prior autem difficultas an iuramentum comprehendat post edita, cessat in casu nostro, cum in specie iurandum sit, etiam respectu futurorum, atq; ideo ordines, & constitutiones tam editas, quam 45
edendas seruare teneatur Senator. Modo tamen 46 moribus vtentium sint receptæ, vel contraria consuetudine non abrogatæ, *l. de quibus in fine de legib.* ibi *per desuetudinem abrogentur. l. 1. in prin. C. de cad tollen.* ibi *vel per desuetudinem abolitam*, & in *c. venerabilem de elect Bal. in prælud. feud. col. 5. vers. item nos dicimus. Imol. in c. 1. de his quæ fiunt à maiori par. cap.* Modo etiam non sint contra vtilitatem publicam, vel ecclesiæ vtilitatem *d. c 1. & c. 1. de iur. iur in 6.* vbi latissimè *Imola, glos. sing. vbi Bar. & ceteri ff. ad Sen cons. Trebell. in l. si quis priore. Rol. cons. 93. num. 7. lib. 2. Decian. resp. 26. n. 19 & seq. lib. 1.* Aliud oritur dubium à scribentibus nonnullis 47
excitatum, an is, qui iurauit seruare id, quod in statuto continetur, liberetur ipso statuto reuocato, vel abrogato, ita *Bal. in d. prælud feud. col 5 vers. item non dicimus*, quem sequitur & defendit *Crot. in l. sciendum num 46. ff. de verb. oblig.* tenentes non liberari. liberari verò, si iurauerit tantùm seruare statuta, vt ibi per eos, & per *Abb. & Dec. in d. c. cum accepissent de constit.* nulla enim maior causa, vel ratio recedendi à statuto, quàm quod amplius non dicatur statutum, ita *Bal. in l. Clari & aperti C. de fidei*, quicquid velit *Crau. cons. 290 num. 6.* Iurans 48
item seruare ordines, non tenebitur illicitos, inhonestos, aut iniustos seruare, *c. 1. de iur iur. Rom. cons. 218. col. 2. ad fin. Paris. cons. 10. num. 32. lib. 4. Mancin. post Seraph. priuil. iuram. 61. nu. 4. & Crau. de antiq. tempor. §. videamus modo num. 6. vers. dixi statutum in trac. de iuram. par 4. effectu 177. & priuil.* 49
117. Non etiam tenebitur seruare inualidos, *idem Mancin. par. 2. art. 17. num 16.* Amplius, si quis iurauerit non reuocare ordines, vel statuta, si reuocet; 50
efficitur periurus, licet reuocatio teneat. *Butr in c. 1. col. 8. de his, quæ fiunt à maior. par. cap. Scribentes omnes in l omnes populi ff. de iust & iur. Corn. cons. 102 col. 1. in fine lib. 1.* licet contrarium teneat *Bald. in d. l clari de fidei.* Poterunt insuper Senatores 51
non obstante iuramento, de quo supra ex aliqua causa non seruare ipsos ordines, absque periurii reatu, vt post multos tradit *Boer. decis. 204. num. 25.* puta periculi imminentis, vel scandali euitandi, ac aliarum omnium, in quibus iura transgredi licitum est, de quibus latè per *Fel. in c. 1. n. 51. & sequen. de constit. & Gram. decis. 36. num. 3. & seq.* 52

Quærit Gemin. si inter ordines, vel statuta duo 53 legantur contraria, an vtrumque iurans teneatur seruare, quasi vtrumque seruare promiserit, & sic ambiguitatem soluit. Aut alterum prædictorum duorum statutorum contrariorum est illicitum, & tunc res est clara; nam licitum tantùm seruare tenetur, vt est *tex. in d. c. contingit de iur. iur.* Aut vtrumque est licitum, quod sanè accidere potest, vt scilicet duo sint contraria statuta, & vtrumque sit licitum, iuxtà not. à *Io. Andr. in c fin. de consuet. in 6.* & tunc, si contrarietas potest aliqua distinctione

concordari, vtrumque in casu suo seruari debet *arg. c. cum M de testam. & c. cum expediat de elect. lib 6.* aut non possunt distinctione conciliari, & tunc aut vnum est conditum a superiore, aliud vero ab inferiore, puta si aliquis ordo Regis adesset, alter vero Senatus, & tunc seruandum est illud, quod conditum est a superiore. etiam si prius conditum *clem. ne Romani de elect.* Aut ambo edita sunt ab eodem, aut pari auctoritate fungente, & tunc seruatur vltimum; nam legum, ordinum, constitutionum, & statutorum peculiare est, vt secundum primum corrigat. *c. 1 de constit. in 6.* At si non appareat quisnam ipsorum prius sit, scripturæ ordo seruandus erit. *c. pen. de elect. lib. 6. c. mandata de praeben. eod. titulo. Io. Andr. in d. c. contingit de iur. iur. vbi hac Gemin. num. 14.*

54 Quærendum est etiam hoc loco, quid si ordines, vel statuta minorem pœnam quam ius commune irrogent, vtrum omnino pœna statuti sequenda sit? *Guido de Suzaria lib. 1. cons. crim. cons. 1.* cum aliis cumulatis per *Clar in praxi q. 85. vers. debet etiam iudex*, tenent pœnam iuris communis eligere posse iudicem. Contrarium vero dicendum erit ex doctr. *Bar. in l. 1. vers. quaro statuto cauetur ff. vi bon. rap.* quam seruari per totum orbem testatur *Alber. de stat. p. 1. q. 8. Bal. in l qui sepulchra in fine, vbi Salic. nu. 8. Castrens. in l. 1. §. dixerit aliquis num. 6. ff. de vi pub. Corn. cons. 114. vers. sed breuiter de offi deleg.* cum aliis latè adductis per *Clar. loco supra citato. Mars. in praxi §. quaritur modo in prin. & Rol. cons. 35. num. 48. lib. 2.*

Quæri potest etiam, vtrum semper rigorem iuris ex hoc iuramento sequi teneantur Senatores. Res sanè maximi momenti, siquidem illud sit in ore omnium, summum ius, summa iniuria, & de hoc est *tex. in l. si seruum §. sequitur ff. de verb oblig.* loquiturque *Colum. lib. 1. de off. patr. famil.* Quinimmo summum ius antiqui summam crucem putauerunt, hoc est nō ex æquo, & bono agere, sed stricto, aspero, duro, & iniquo, secundum corticem litteræ, omni remota benignitate. Hoc summum ius perquam durum appellat *Vlpian in l. prospexit ff qui & à quib. vbi not. Alber.* versutum & callidum: existunt enim, inquit *Tull. 1 de off.* sæpe iniuriæ, calumnia quadam ex nimis callida iuris interpretatione; cui sententiæ mirè consonat illa Celsi adolescentis sententia relata, & laudata a Paulo in *l. si seruum 91. ff. de verb. oblig.* dicentis. *In quæstionibus æqui & boni sub auctoritate iurisscientia plerumque perniciosè errari.* Non dissentit *Ammian. Marcell. lib. 28. c. 4* arguens Maximianum in hunc modum. [ Interdum enim exoratus parcebit aliquibus, quod propè vitium esse legitur apud Tullium. Nam si implacabiles iracundiæ sunt, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas quæ tamen vt in malis acerbitati est anteponenda ] Item & *lib 29 c. 2.* erat tamen ipsa nimietas odiosa. Vnde animaduersum est rectè hoc definitum. Nullam esse crudeliorem sententiam ea, quę est, quum parcere videtur asperior. Nec sapientissimi Salomonis alius sensus fuit, cum nimium iustos nos fieri vetuit, quia non tam iustos damnasse iis verbis existimandus est, quam eos qui summo iure vterentur. Grauiorem pœnam, quam culpa sit non esse irrogandam docet *l. rescriptum ff. de his quib. vt indign.* Hinc *Cicero d. lib. 1. de off* inter alia iniuriarum genera statuit, illos quoque iniuriose agere, qui in eum quem diximus modum ius exercent. Hæc enim iniquitas potius, quàm vera iustitia appellari potest, teste D. Augustino de vera religione, dum ait. *Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata iustitia facit perfectos; quippe qui multum corrigit, offendit. c. cum beatus 45. distinct.* Iudicibus tamen decere potius clementes esse, quàm crudeles voluerunt *Arist. 1. Reth. c. 10. Ægid. Rom. de regim. Prin. lib. 2. p. 2. cap. 23.* cum aliis, quæ de rigore vitando congessit *Tiraq. de retrac. 1. § 35 glos. 1.* Tutius est tamen, si cum mansuetudine seueritate vtatur, vt supra, & habetur in *c. 2 4. distin. in c. plerumque c. licet disciplinam, & c. sunt namque ead. distin.* Optimè D. Ambrosius *lib. de off. 11. cap. 24* inquiens. *In ipso munere neque seueritatem esse duram conuenit, nec nimiam remissionem, ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videatur.* Exemplum subiiciens in *c. 27. eiusdem lib.* de corporibus in parte aliqua graui morbo affectis, his verbis. *Cum dolore amputatur etiam quæ putriuit pars corporis, sed diu tractatur, si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc à bono medico abscinditur.* Congruit quoque illud Plut. in Phocion. scriptum in hæc verba: *Opere pretium est in Ciuitatibus & populis gubernandis solem ipsum imitari, sapientissimum rerum parentum & seruatorem. Hunc mathematici perhibent supremi orbis vi ac impetu raptum, iter obsequi: nonnihil tamen contra tendere, nitique sed ea modestia & arte vt illi nec omnino obsequi, nec obsistere contumaciter videatur. Nam cum intelligeret hinc superioribus cœli viribus parendum esse, illinc rerum naturam sine contrario motu altero haud posse consistere, cepisse illum aiunt iter ex transuerso, obliquè, moliterque deflexum; eaque ratione nouum quoddam motuum ac temperamenti genus excogitasse, quo vno rerum ortui, ac saluti perquam utiliter consuleret. Sic itaque in ciuitatibus dura nimium & populari voluntati semper aduersa seueritas, contraque item blanda, vel ad vulgi tantum libidinem accommodata facilitas pari ciuitates labe ac periculo afficere. Qui vero in administrandis rebus ita versantur, vt ad salutem, publicumque commodum, velut ad metam sua consilia dirigant: nonnihil interdum ciuium gratia & voluptati concesserint, nec singula velut ad filum redacta velint seueritate potius, & vi, quam mansuetudine & humanitate conficere. Hi mihi planè videntur sapientissime seruandarum rerum viam incedere: quanquam existimo haud parui esse negotij, seueritatem posse cum comitate retinere: quod qui nactus est, rem profecto est assecutus, quia nulla est neque harmonia concinnior; neque concinnitas suauior; neque suauitas gratior, aut vtilior &c.* Erit igitur non impossibile, sed optimum, vt in vino, ita in viro; suauitatem esse cum austeritate coniunctam.

Quandoque tamen rigore vti oportet solo, tum quia prona ad malum est natura hominis, quæ si aliquando impunitatem, vel mansuetudinem assequitur, tanquam prouocata magis dilabitur, tum quia facilitas veniæ tribuit incentiuum delinquendi, vt habemus in *l. haud facta ff. de pœn. & in c. vt fraus de sen. excom.* Nec est crudelitas crimina pro Deo punire *c. legi 23. q. 8.* sed illatum supplicium delinquentibus reliquos facit saluos, vt in *auth. de mand. prin. §. homicida coll. 3. & in auth. de nup. §. si vero filios ex aliqua, vers. si quis enim.* & ad coercendam audaciam multum valet propositum punitionis exemplum; cum ipsa miseri præsens forma viuentis ad recordationem admonet consocios, & ad considerationem cogit ignaros, teste Orosio, de quo *Cagn. in Ep. boni Prin. num. 36. & 37* Malum enim cum perseuerat, augetur, & remediabile bonum est in

pec.

peccatum accelerata correctio, inquit *Cassiod. ep. 14. in fine lib. 3.* Et sicut nec inuidere, ita nec misereri cadit in sapientem, ait *Cic. 3. Tuscul.* Cum Psalterio ergo deprecari Altissimum oportet. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*: optandumque est, cum *Cic. d. lib. 1.* vt ij qui præsunt reipub. legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Et tandem concludendum cum Amm. Marcellini sententia. *Regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli sunt deuitanda.* Quæ sanè ex verbis præcitatis iuramenti non immutatur: siquidem licitum est, vt alios diximus, & iura transgredi, & proprium est Senatus ex bono & æquo iudicare. Cauendum tamen est summopere ne Fisco, vel priuato alicui damnum inferatur.

55 Præterea, cum dictum sit supra num. 39. iuramentum huiusmodi obligare iurantem ad ea omnia, quæ sub iuramento continentur; dicendum esset, illud compræhendere tantum ordines, & constitutiones, non autem Regia rescripta, nec leges iuris communis. *vulg. l. si quis in fundi vocabulo ff. de leg. 1. cum simil.* Verum quia ex litteris Regiis anni 1581. (de quibus latè per nos in §. sequenti) mandatur Senatui, vt statuta, constitutiones, & ius commune seruet; non video quomodo ad illarum obseruationem non teneatur. Literæ enim ipsæ Regiæ, Ordines ab ipsomet Senatu dicuntur, atque ideo sub ipsamet formula iuramenti compræhensæ. Quicquid igitur vel per ordines ipsos tam Regios, quam Senatus, per decreta vel constitutiones, & denique per ipsum ius commune mandatum est; seruare Senator suprascripti iuramenti virtute tenebitur, non obtemperans mandatis Principis in causis grauibus morte punitur, secundum *Luccam de Penna in l. 1. in fine C. vt dign. ordo seruet. lib. 10. Gram. voto 40. num. 20.*

Et stante huiusmodi iuramento, qui non adimpleuerit illud, censetur in dolo, vt in *l. dolus ff. mand. & in l. tutor. datus ff. de admin. tut.* nec requiritur interpellatio, quia iuramentum istud interpellat pro homine, vt ait *Ant. in c. breui per illum tex. de iur. iur. Cremen. sing. 122. Ias. in l. quod te col. 9. ff. si cert. pet.*

56 Quarto iurat Senator secreta non reuelare, de qua re infra *glos. 5. num 33. & seq. & glos 6. huius §. cap. 25. per totum.*

57 Quintò iurat etiam Senator, se fideliter executurum ea, quæ sibi Senatus mandabit, de qua re in *c. ad hæc per scriben. de appell.* vbi ligare tantum quoad mandata iusta aiunt, prout in specie ibi *not. Dec. nu. 2. & traditur in c. Quintauallis de iur. iur. & per Bal. in l. 2. col. 2. vers. secundo quoties. C. de reb. cred. & Abb. in rub de iur. iur. num. 3.* Secundo, dicunt non ligare, si repugnet officio, vel ordini iurantis, aut mandatis Regiis, ex his, quæ tradit *Gemin. in c. 1. in fine de iur. iur. in 6. Imola in c. dilecti de maior. & obed. & Fel. in c. ne Dei n. 5. de Simon.* Tertio, intelligendũ est de iussu totius concilii, hoc est Senatus, non Senatoris solius. Quartò, quatenus erit Senatus *c. per venerabilem de elect. vbi Abb. in vlt. notab.*

58 Sextò, iurat Senator se munera illicita non accepturum, non enim Pacem cum legibus habere potest, qui munera accipit, dicebat Alcamenes, propterea hinc quæri posset, an Xenia sint ex illicitis, ex quo Senatores salarium annuum habent à Fisco? in defectum enim salarii Xenia accipi posse voluit *glos. in l. plebiscito ff de off. procons.* quæ tenet *l. antiquam solet §. fin. ff. de off. procons.* esse correctam per legem authenticorum, eandem sequitur *Alex. cons. 206. num. 9. lib. 6. Corset. sing in verbo sportulæ Boss de officiali corrup. tit 6. n. 3.* Vrget admodum etiam Constitutio nostra infra *tit. de spor. in prin.* cuius verba generalia admodum sunt, his addas quæ supra in *glos. præcedenti cap. 15. num. 184. & 185.* audiui sæpius quondam grauissimum, incorruptumq; Senatorem dicentem illud *Virg. Æn. II.*

*Et procul, o, miseri, quæ tanta insania ciues?*
*Creditis euectos hostes, aut vlla putatis*
*Dona carere dolis Danaum?*

Et paucis interiectis.

*Timeo Danaos, & dona ferentes.*

quod prohibita quoque sub nomine illicitorum sint, Xenia, firmat *Maynard. decis. Tholos. 86. p. 1.* Addo ego, non debere etiam ex minimo huius legis prohibitionem violari. *l. pen. C. de aduoc. diu. iud. & l. si quis in graui §. si quis tabulas ff ad Syllan. vbi glos.* Præterea iuramentum de non recipiendis muneribus adimpleri debet in forma specifica *c. debitores, vbi omnes de iur. iur.* ergo etiam minima continebit, *c. ad nostram 1. de iur. iur. cum not. à Bar. in l. amplius non peti ff. rem rat. hab. & à Decio in rub. de iud. n. 20. & in c. quo vult Deo num 130.* quia integrè, & formaliter iuramentum adimpleri debet *Dec. in d. c. 1. num. 127.* Ideo si quid minum reciperet iurans, actus non diceretur perfectus, aut impletus *glos. in l. communi diuidundo ff. de com diu. Bal. in l. cum sit C de sepulch. viol. Modestinus enim in ea l. plebiscito, & Vlpianus in l. solet § is vero de off. procons. & leg.* voluerunt Proconsules, & prouinciarum Præsides, qui & temporarij erant, & in longinquas prouincias missi, *tot. tit. ff. de off. procons. & leg.* & vix per se ius dicebant *l. principalibus, & l. sequen.* vbi *Alciat. & alij ff. si cert. pet.* posse aliquid esculentum, & poculentum, aut xenia à prouincialibus suis, & hospitibus obtinere; non alia sanè ratione, ne plus æquo rigidi, morosique, atque barbari ab illis haberentur. Verus enim prouerbium fuit, valde inhumanum esse à nemine accipere, sed passim vilissimum, & per omnia auarissimum. Quod an rectè scriptores istud accommodent ad Iudices nostros, quisque diiudicet; longe sanè constat alium proconsulum, prouinciarumq; præsidum, quam eorum, qui nunc sunt iudicum fuisse rationem. Perpetui siquidem hi sint patricijq; proprias[q]; domos inhabitant, iusq; per se absque assessore vllo reddunt. Dicuntur etiam xenia proprie munuscula hospitibus, & amicis dari solita. Cum mos apud veteres inualuisset, vt peregrinis, & hospitibus munera exculenta mitterentur, quæ xenia, idest hospitalia appellabant. Nam, vt author est *Vitruuius lib. 6.* cum fuerint Græci delicatiores, opulentioresq; aduenientibus hospitibus instruebant cubicula, & triclinia, & cum penucellas; primaq; die ad cœnam inuitabant: postero mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquasq; res agrestes, quæ xenia ab hospitibus appellauerunt. Xenos enim græcè hospes dicitur, vt apud *Appianum in Illiric.* Phameam, qui cum Scipione nauigauerat, à Senatu susceptum, xenijsq; plurimis donatum. *Cassid. item lib. var. 7.* in formula Comitiuæ partium: vnusquisque per solemnitatem communitus offerat voluntarium munus; Xenia enim sunt non debita. Hinc & Iuppiter xenius dictus est, seu hospitalis Deus cui hospites curæ erant. *Virg. 1. Æneid.*

*Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur.*

Quid.

Ouid. Metam. lib. x.

*Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara.*

Sic & apud *Cicer. in orat.* pro Cælio xeniæ balneæ, id est hospitales.

Senatoribus autem illud tantum prohibitum est accipere munus, quod illicitum sit. Licita sane existimo ego xeniola quædam, cetera vero illicita, neque enim fieri potest, vt qui munus acceperit pronior in datorem non sit, quam in aduersarium; parentes enim ipsi in suam, liberorumq; perniciem, & ignominiam corrumpi posse testatur *Iuuenalis Satyr.* 10.

*——— Nam prodiga corruptoris*
*Improbitas ipsos audet tentare parentes,*
*Tanta in muneribus fiducia.*

Sicut & vxores in pernicem maritorum; teste *Homero Odis.* 11. Cum enim Amphiarao cum Adrasto nescio quid controuersiæ fuisset, iurauit vterq; se arbitrio Eryphilæ de omnibus controuersijs transacturum. Ad quam cum huius rei gratia itum esset, illa accepto ab Adrasto monili aureo, secundum eum, in perniciem Amphiarai mariti sui sententiam dixit de hoc etiam meminit *Cic. de inuent. lib.* 1. *& 6. in Verr. act.* Sed de hac re plurima per *Ian. Langlaum Semestr. lib. 6. cap. 1. & 2.* Diximus etiam nos supra *cap* 11. *glos.* 3. sæpe deceptos, ex Tacito, prauitatibus vxorum maritos.

Tutior ergo sententia *Plin. qui sic Ep. xiv. lib. v.* loquitur. *Quam me iuuat, quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xenij semper abstinui.* Oportet quidem quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Sequitur *Mart. Laudens. in tract. de consil. Prin. q.* 8 inquiens, *Consiliarium Principis debere esse purum vndique, iustum, optimum, & ijs contentum, quæ sibi de fisco, vel à Principe dantur, alias repellendum, & eius loco alium subrogandum*, citat *Io. Andr. in c. quanto de iur. iur.* optimus est *tex. in l.* 4. *C. de accus. & D. Ambros. de off. ij cap. vi.* docet omnino abstinendum esse à muneribus, ne vtilitatis fons excitet pecuniæ cupiditatem, quandoquidem, vt est *Prouerb. xvij.* munera iniquus recipit, vt peruertat semitas iudicij, immundasq; faciat manus; ex *Esaia c. 33. beatus est, qui excutit manus suas ab omni munere*; vt ait *D. Gregor.* & quod nihil accipi possit, videtur *tex. in auth scriptum exemplar in fin. col. 2.* & ibi *glos. quæ ait, dispositionem l. quod plebiscito, & l. solent ff de off. præs. esse correctam*; prout tenent *Afflic. in constit. lib. 1. rub. 41. tit. de off. capit. Alber. in d. l. solent* §. *non vero. Luc. de Penna in l. sacris q 3. C. de prox. sac. scrin. Imol. in in c. cum ab omni de vit. & honest. cler. P. Nugnez de exeq. reg. mand p. 1. c. 2. num. 4.* Neque consuetudo munera accipiendi est attendenda, vt habetur *in c. nulli vero in auth. vt nulli iud. coll.* 9. & firmat *Mars. sing.* 190. Budeus Cupedipetas iudices vocat, cupedijs inhiantes, qui scilicet muneribus exculentorum & poculentorum lautiorum ad iudicia ferenda incitantur. Plura apud *Rauord. lib. 5. c. 6. de iur. ambig & Boss. de Prin. num. 65. & de carcerato sub num.* 34. vbi inter cetera ait, post recensitam pœnam quibusdam Senatoribus Prouinciæ Aquarum Sextiarum illatam, munere soluere vincula, & carceratum liberare. Plenius *à Ioanne Matienzo in Dialog. p. 3. cap. 24. & duob. sequen.* item & plenius, & clarius *ead. par. cap.* 32. 33. & 34. & nouissime per *Maynar. d. decis. Tholos.* 86. *qui num.* 3. sic ait. *Ne ergo eiusmodi, aut alijs corrumptionibus in Gallia locus daretur, ipsamet etiam parlamenta curam admodum vigilem adhibuere, quod satis comprobat arrestum illud supremæ curiæ Parisiensis, quo sollicitatorem, qui spe futuræ corruptionis duos aureos libello supplici, qui Senatori exhibebatur, inseruerat; condemnauit, vt non solum in posterum ab omni sollicitatione in curia ille abstineret, sed etiam vlterioris pœna loco facem ardentem in manibus ex palatij area vsque ad templum cathedrale B. Virginis, præeunte quodam commentariensi gestare deberet. Eandem ferè pœnam dictauit parlamentum Tholosanum cuidam procuratori, qui à cliente suo cautionem extorserat, qua is promiserat se daturum aliquod aureos, vt de ijs præsidi, & referenti causa honorarium offerretur.*

Ceterum hodie plurimi tam supremarum, quàm inferiorum curiarum assessores in Gallia causantur, se prædictas constitutiones ideo amplius non obseruare, quod vili precio vendere nequeant id, quod tanti emerunt: atque ideo dici non posse, quod vlli iniuriam faciant, dum à se emptum rursus vendunt, iuxta illud tritum, *Emerat ille prius, vendere iure potest, cum ea quæ emeris vendere gentium ius sit.* Quanta autem venditio officiorum mala pariat, non tantum experientia satis testatur, sed etiam colligi potest ex ijs, quæ habet *Iustinianus in Nouell.* 8. *Fran. Marc. decis.* 749. *Iodoc. in praxi crim. cap.* 131. *Marsil. in praxi* §. *occurrunt num. 4. arg. c. qui rectè. q. 3. c. cum ceteri de iud. in 6.* Sanè inter inconuenientia illa, quæ venditionem officiorum comitantur, haud minimum illud est, quod ij, qui largitione Magistratus adepti sunt, dare operam consueuerunt, vt illa lacuna rei familiaris expleatur, atque exinanitæ, vel immunitæ emptione dignitatis opes redintegrentur. Et quomodo qui patitur mercatores potestatum, damnare eos poterit, & non erubescet eos punire, ad instar Alexandri Seueri, à quo tales mercatores emerant illud, quod postea vendebant. Verum ipsos emptores cogitare oportebat, quod temerè, & contra leges ad emptiones rei non venalis, & cuius commercium non est, accedere non debuerant, & quod multo satius fecissent, si ab emptione abstinuissent, atque ea ratione vlterior consequentia vitata fuisset, cum mercatus à venditoribus celebrari haud possit, si nulli emptores concurrunt. *Et paullo post.* Emptores interim contenti sint regijs stipendijs, & sportulis, quas litigatores exsoluunt, atque ab alijs acceptionibus puras manus habeant, donec tandem prosperius tempus, atque benignior fortuna ipsi malo medeatur. Hactenus Maynardus.

Scribit Gram. voto 17. ex frequentia accipiendi munera parua quem posse sindicari.

Septimò, iurat Senator, quod ab omnibus illicitis abstinebit; hoc est non iustis *l. non iustam C. ad sen. cons. trebell.* ergo licita tantùm facere tenebitur 59 ea duntaxat, quæ per leges permittuntur. *l. 1. ff. de iust. & iur.* licere enim dicimus, vt ait *Cicero Philipp. xiij.* quod legibus, moribus, institutisq; conceditur; nec enim quod quisque potest, id licet, nec si non obstatur, non permittitur. *l. nec non* § *quod eius* ibi, *non illud pollicetur restituturum si leges permittant, sed si leges non prohibeant ff ex quibus causis maior. l. intersgentium* §. *si paciscar. ff de pac. l.* 3. §. 1. ibi, *iure licito, & l. 7. eod. ibi liceat occidere ff. quod met. caus. l. semper ff. de ritu nupt.* ibi, *non solum quid liceat considerandum est: sed & quid honestum.* Illicitum autem dicitur, quod sit contra leges, *auth. de incest. nupt.* §.

*sanci-*

sancimus. l. 2. C. de instrum. & iure hasta fisci lib. 10. ibi, illicita ista redarguere. l. si filia C. de don. ante nup. ibi, illicitæ nuptiæ, l. illicitas §. quod illicite ff. de pub. l. illicitas de off. præsid. l. 1. §. si quis illicite ff. de leg. 3. Adest. tit. de colleg. illicitis. dicitur in c. vlt. de
60 pac. illicita pœna, & passim in iure habemus illicita adoptio, pactio, res, sponsio, venditio, machinatio, petitio, nox, fœnus illicitum, & plura alia id genus. In dubio autem quis præsumitur potius facere actum licito modo, quàm illicito, vt per Albam. cons 583. num. 2. & 623. num. 2. idque etiam iuris præsumptione, vt ibi per eum.

Quod autem omnino illicitum esse credimus, illud est, de quo scribit D. Ambros. de off. 1. c. 24. Non defendas improbum, & sancta indigno committenda arbitreris, neque iterum vrgeas, cuius crimen non deprehenderis, nec personam alterius accipias in iudicio, gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem immo fidem grauat; quàm si in iudicando potentiori dones causam inferiores, vel pauperem innocentem arguas, diuitem excuses reum culpæ. Cauetis ergo in commune, inquit Cassiod. ep. 1. cap. 3. quæ sunt amica iustitia: quia nescit personas accipere, qui meram cogitat veritatem. Quod omnes probant in c. nouit vers. ceterum de iud. & in c. summopere 2. q. 3. Aurea est sententia in Eccles. cap. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute erumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua; facit c. nemo 11 q. 3. & quod dicitur in Leuit. c. 19. Non facies quod iniquum est, neque iniustè iudicabis: non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo. Deseruit & illud Claudiani ad Honorium.

*Te ciuem patremq; geras, tu consule cunctis,*
*Nec ubi, nec tua te moueant; sed publica vota,*
*In commune iubes, si quid censes esse tenendum.*

Propriam affectionem & vtilitatem abijcere debere consiliarios, publicam vero assumere, dixit Mart. Laud. de consil. Prin. q. 20. Hinc scriptum est, Areopagitas, vt in non dicentes, sed in ea quæ dicebantur, defigerent oculos, consueuisse nocti, & in tenebris cognoscendis causis operam dare. Et voluit Sot. de iust. & iur. lib 3. c. 6. art. 5 quem communiter sequuntur recentiores, omnia etiam gratuita congerere in fauorem vnius partis, vitium esse acceptionis personarum siue in Principe, siue in iudice. Alia per Afflic. in Constitut. lib. 1. rub. 45. num. 62.

Postremo iurat Senator, se omnia facturum, quæ veri, legales, & fideles Senatores facere tenentur,
61 hoc est, non solum ea, quæ superius expressa sunt, aut aliquo iure scripta reperiuntur; sed etiam quæ neque scripta, neque mandata sunt, sed officium Senatoris concernunt, de quibus latè per nos in hoc §. primo. Oportet enim, vt Senator præbeat exactæ vitæ testimonium, nihil obscurum agat, nihil perperam, sed omnia diligenter, in tempore, prudenter, patienter, sollicitè, sine personarum acceptione, cum constantia, veritate, grauitate, & comitate, ac Dei timore. Nec admitterem id quod tradit Bal. in l. obseruare §. proficisci ff. de off. proconf. & leg. iuramentum officialium non extendi ad minima, quia, qui in vno deliquit, factus est omnium reus, vt in sacris litteris.

62 Præstito autem per Senatorem huiusmodi iuramento, pro eo præsumendum erit, ex his, quæ scribit Bal. in l. fin. C. ad l. Iuliam repetund. Natta cons. 525. n. 45. lib. 3. cum aliis quæ paullo supra.

Sed si aliquid agat, ob quod fiat periurus, inquit Curt. iun. cum emolumenta officij in l. diem functo num. 44. de off. assess vigore legis si quis maior perdere, nisi post commissam culpam fuerit toleratus. Rationem eam esse puto, quia venit contra iuramentum, quod indiuiduum est, & in forma specifica implendum erat c. ad nostram, & c. debitores de iur. iur., gloss. in l. si pecuniam ff. de cond. ob causam, & quia huius iuramenti transgressio grauissimum est adeo peccatum, vt multi dubitauerint, an sit maius homicidio, Bar. in cons. 217. lib. 2. Adulterio, vt Thales milesius, & transgressione voti, D. Thom. 2. 2. q. 89. 63 64 65

Postremò, si Senator ingressus sit officium in die feriata, & ea die iurauerit; dubitari posset vtrum tale iuramentum valeat per c. 1. de fer. Quæstionem hanc latè disputat Mancinus de iuramento 2 par. art. 17. num. 9. & plur. sequen. & concludit valere, teneriq; iurantem ad illius obseruationem. 66

Quæri potest vtrum electus, antequam iurauerit, habeat aliquod ius; de hoc videas Areti. cons. 108. per totum.

Apud Romanos in vsu fuisse, vt Senatus iuraret antequam sententiam diceret eam è repub esse, testatur Tacit. 10. annal in verbis: vt iudicio iurati Senatus Cretam amoueretur, & alibi eodem libro: P. Suillium amouendum in insulam censuit tanta consensione animi, vt & iureiurãdo obstringeret è repub. id esse. Idē etiam lib. 1. Iterum iudicio iurati Senatus, quod erat, cùm Senatus Deum testem aduocabat, se censiturum quod è fide sua, neque publica videretur. Liu. quoque tum lib 42. vt iuratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret decerneretque, Tum & lib 30. Patres igitur iurati (ita conuenerant) ita censuerunt, vt consules inter se prouincias partirentur. Plin. lib. 5. epist. docet id lege quadam a Traiano sancitum fuisse. Quinetiam Dextrum, qui primus diuersum censuerat, perlata lege de Senatu habendo iurare coegit è repub esse quod censuisset. Qui mos antiquissimus dignoscitur ex Dionys. lib 5. tempore Coriolani, Senatus iuratus sententiam dicat, vti solet in concessu iudicum; & vsui quoque fuisse apud Græcos dignoscitur ex Xenophonte lib. 5 in oratione Hecatonymi. 67

Præterea omnes etiam magistratus ex antiquissimo instituto ad ius reddendum deputatos iurare oportere voluit Liu. lib. 1. belli Macedonici, dum ait non licuisse Romanis Magistratus plus quinq; dies, nisi qui iurassent in leges, retinere. Hoc ipsum firmat Ascon. in diuinat. Diuus August. de Ciuitate Dei lib. 3 cap. 2. Plato de legib. 19. & Plut. in apoph. Item Reges iudices adiurabant, ne quid iniustè, etiam si Rex imperasset, iudicarent. Alius est locus in Tacito 4. Histor. his verbis: Senatus incohantibus primoribus iusiurandum concepit, quo certatim omnes Magistratus, ceteri vt sententiam rogabantur, Deos testes aduocabant, nihil ope sua factum quo cuiusquam salus læderetur, neque præmium, & honorem ex calamitate ciuium cepisse. Cum tamen apud Athenienses quidam sanctè grauiterque vixisset, & testimonium dixisset publice, & vt mos est Græcorum, curandi causa ad aras accederet, vna voce omnes, ne is iuraret proclamasse aiunt. Cicero in orat. pro L. Cornelio Balbo. Id quoque Xenocrati apud Athenienses remissum legimus. 68

CA-

## CAPVT VI.

### *Sedendi ordo in Senatu quis?*

69 ORdinem cunctis in rebus seruare cùm oporteat, Præses, qui caput est consilii, vt iam diximus, in loco eminentiori, dignioríque sedet; hoc est in capite ante alios, vt cunctorum ad se trahat aspectum, prout ait *Cassiad. lib. 3. epist.* ac in medio Senatorum, vt habetur in *c. 9 Regum lib. 1.* ibi: *Et dedit eis locum in capite eorum, qui fuerunt inuitati, in c. tua 50. distin.* ibi, *à capite incipiens*, diciturque in Euangelio *Luca 2.* Christum consedisse in medio doctorũ. Idem probant *Salust. in Iugurt. Luc. de Penna in l. quisquis C. de prafec. prat. Montaig. in tract. de auct. Mag. cons. num. 36. & sequen. Azeued. ad Cur. Pisan. lib. 2. cap. 2. num. 11. & seq.*

70 Senatores verò alii ad dexteram, alii ad sinistram sedent, vt in *Euang. & in c. solita de maior. & obed.* ibi *in sinistra parte sedere*; hæ namque partes participant de capite, quod sequi debent, vt ars imitet naturam, ita *Prepos. Mediol. Card. Alex. in c. Episcopos col. 2.* Et licet dextera sit excellentior, & honora-

71 tior, vt habetur in *l. decernimus iunctâ glos. C. de sacr. san. Eccles.* vbi *Bal. in 3. notab. in c. quoniam periculosum 7. q. 1.* & per *Abb in d. c. solita*, & ibi *Fel. de maior. & obed. Soc. cons. 99. num. 18 Io. Montaig. d. loco num. 105. Bar. in tract. de insign. & arm. Veron. in tract. de imperat. elig. in verbo ratione dignitatis, & Tiraq. de*

72 *primog. in prefat. num. 14. & duob. sequen.* Tamen qui Præsidi proximior est, dicitur altius sedere, vt ait *glos. in § alia instit. de bon. possess.* vbi *Port. & Aug. Ares* idem tenuit *Io. de Imola in l qui soluendo ff. de har. instit. & Bal. in l. qui obseruare §. antequam vero circa finem ff. de off. procons. & leg. latius de honore sedendi iuxta Principem habetur Esdra c. 3. & ab Ant. Gamma decis. 1. num. 8.*

73 Ideo primus locus in ordine sedendi est dexteræ partis honoratiorique datur, nempè seniori, non ætate, sed officii functione, vt quia ante alios in numerum Senatorum admissus, fuerit & cooptatus. *c. statuimus de maior. & obed. c. fin. de consuet. in 6. c. si quis iusto* ibi: *is qui primò. de elect. in 6. § fin. instit. de iur. natur. l. 2. § Seruius Sulpitius ff de orig. iur. l. 2. C. de praf. prat. siue vrb. l. 1. C. de prapos. sac. cub.* cum honor consistat in sedendo ante alios, secundum *Bal. in l. decernimus 2. notab. C. de sacr. san. Eccles. in l. liberti libertaque C. de oper. libert & in c. cum olim de consuet. post glos. in c. placuit dist. 16.* cum aliis traditis per *Tiraq. prafat. de primog. num. 13 & Ant. de Lara in l. si quis à liberis in prin. ff. de lib. agnosc.* istud ipsum firmarunt *Bal in auth hoc amplius C. de fideicom. Ias. in cons. 192. col 4. lib. 2. & Rebuff. de nominat. quast. 21. nu. 1. & 2.* Atque in beneficialibus obseruari probant *c. cum te de rescrip. c. si eo tempore eod. in 6. c. mandato de praben. in 6 & l. quoties ff. de vsufruc.* Qui enim, ait *Bal. in l. si plures col. 1. C. de cond. inser.* primum esse habuit, prius etiam frui debet; & qui potior in tempore tamquam antiquior, honoratior quoque fit, vt habetur in *l. 3. C. de Tyron. lib. 12. in l. 1. C. de consult. eod. lib. in l. 1. C. de prafec. prat. in l. 1. C. de prapos. sacr. cub. eod. lib. in c. placuit 18. distinc. in c. episcoporum 74. distinc. in c. fin. distinc. 85.* & in *c fin. & c. tria de maior. & obed.* Quod etiam voluerunt *glos in clem. vnic. in verbo regum de baptismo*, vbi *Barb. in c. quorumdam de elect. lib. 6. & in c. alienus 24. q. 1.* & sequuti sunt *Dec. in c. in ecclesiis nu. 3. cum seq. de iud. Afflict. decis. 1. sub num. 7.* vbi ait in Collegio Apostolorum Iacobum, quamuis minorem ætate, maiorem fuisse nuncupatum, quia prior ad Apostolatum fuerat delectus Alios citant ibidem *Vrsill. Gramat. & nouissimè appostill. nempè Pisanellus, Carauita. de Martino. & Puluerinus. Maynard. decis. Tolos.* de eius parlamento loquens *72. & 73. p. 1.*

Quod locum habet non solùm in sedendo, sed etiã in subscribendo, incedendo, & loquendo; in his enim maiorem prærogatiuam habet, qui prior est tempore, vt est casus in *c. concilium §. fin. in fin. 13. dist.* cum aliis adductis per *Franc. Marc. decis. 808. num. 1. Auendan. in c. pratorum 19. num. 15. in prin. lib. 1. Anil. in eod. c. pratorum 44 glos. & Ant. à Gamma decis. 1. num. 1. & 14. vbi etiam Diaz Mena.* 74

Quæ quidem prærogatiua ex antiquitate, vel prioritate vnius tantùm horæ spacio, immo vno momento insurgit, iuxta doctrinam *glos. in c. duobus de rescript. in 6. & in l si ex pluribus §. fin. ff. de solut.* quam communiter acceptam esse firmat *Cassiad. decis. 20. de prab.* etiam si ex partium confessione constiterit, vt per *glos. in verbo si non apparet d. c. si duobus, vbi scrib. omnes, Stafil. de literis gratia tit. de off. & pot. leg. num. 29. & Cassiad decis. 1. num. 2. de reseruat. & d. decis. 20. de prab.* 75


Nec erit attendenda consuetudo, vt priori loco receptus non præcedat tamquam nutriens peccatum, scandalum pariens, & inimicitiarum causas præbens, iuxta *tex. in c. fin. de consuet. in c. legimus 93. distinct. in l. omnes C. de decur. lib. 10.* vbi *Bar. & Io. de Plat.* Et quæ scribunt *Abb. in cons. 21. lib 1. Fel. in c. statuimus de maior. & obed. Cassan. in Catal. glor. mundi part. 4. consideras. 46. & Curia Pisana d. c. 2. lib. 2.* & ibi *Azeued. sub num. 19. vers. tertio ampliatur.* 76

Secundus locus erit illius, qui post primum fuit electus, prioremq; locum is obtinebit à sinistris propè Præsidem, iuxta illud Euangelij, vnus a dextris, alter vero a sinistris, & tradita per *glos. in d. c. quàm periculosum 7. q. 1. Tiraq. in d. prafat. de primog. num 12. & 17. cum alijs seq.* vbi docet filium primogenitum, vel honorabiliorem debere sedere a dextris, secundo verò genitum à sinistris. 77

Tertio loco electus in dextera parte post primum immediate sedebit, & quarto loco in sinistra parte immediate post secundum, & sic successiuè, vsque ad vltimo loco electum, qui vltimum locum consequetur, vt in exemplo de quo paulo infra.

Vno autem ex ijs decedente; aut deficiente, huius locus datur proximiori immediate sequenti; vt ex constitutione Senatus dicti anni 1499. in hæc verba. *Volumus etiam, quod aliquo ex dictis Senatoribus nostris togatis, absente, aut deficiente; alius immediatus subsequens, & eo absente, vel deficiente, alius subsequens, & sic deinceps eiusdem deficientis, vel absentis locum obtineat. Et successiuè, & gradatim cateri subsequentes locum aliorum, vt permittitur ascendentium. Ita quod ille, qui de nouo in locum deficientis creabitur; nouissimum locum inter cateros consequatur.* Et idem in militaribus viris volumus obseruari. 78

Hunc




Hunc ordinem sedendi seruari oportere, etiam si
79 Senator maiorem consequatur dignitatem voluit Rex noster, ex decreto relato per *D. Monoch. cons.* 902. *lib.* 10. huiusmodi 1595. 23. Februarij. *Habens dignitatem Præsidis Magistratus ordinarij, vel extraordinarij, si contingat quod euocetur ad auditorium Senatus, de aliqua sententia votum prolaturus, sedeat in loco, vbi sederet si perseuerasset in dignitate Senatoria. Extra Senatum præcedat Senatorem seniorem electione inter Senatores. Sedeat vterque memoratus Præses in Ecclesijs, vel alibi vnitim cum Quæstoribus sui Magistratus, quamuis adsit Senatus, &c.*

80 Voluit enim omnium primus Innoc. quem cæteri sequuntur, potissimum *Fel. ante num. 4. in c. statuimus de maior. & obed.*, vt primò receptus præferatur post electo, quamuis digniori. Ideo si Episcopus eligeretur, vel Senator episcopatus dignitatem obtineret, & ad Senatus auditorium euocaretur, vel posteriorem loco tunc sedere, vel in eo, qui illi daretur si adhuc esset Senator teneretur; tunc enim consideratur tantùm vt Senator & consiliarius, non autem vt Episcopus, vt in specie dixerunt *Fran. decis.* 138. *col. 2. num. 3. Anna sing. 6. in addit. in fine. Marin. Neccia de feud. lib. 1. quæst. incip.* Alia fuit *pag. 23. col. 1. in fine sub num.* 8. *vbi sub num. 26.* ait in Collegio Neapolitano Episcopum collegiatum neminem præcedere, sed suo priori ordine sedere inter collegiatos. Alia plura *id. D. Monoch. d. cons.* 902. *num.* 18. 26. 27. *& sparim.* Tradit etiam *Maynar. d. decis. Tholos.* 73. Præsides inquisitionum extra classes suas seu cameram suam reliquis Senatoribus qui prius admissi fuerint, non præferri.

81 In alijs autem sessionibus quis locus honoratior, præcedere, sequi, mediumvè locum obtinere. Videndus erit *Bal. in l. obseruare* §. *antequam ff. de off. procons. Boer. decis.* 23. *num.* 60. *Cassan. in Catal. glor. mun. par.* 10. *consider.* 25. qui dicunt consuetudinem esse attendendam.

Sedes in Senatu quales in *glos. sequenti. num.* 43. describuntur.

82 Sedes in curia tum Senatorum, tum Consulum quales apud veteres fuerint haberi possunt à *Tacito* 50. *annal.* Consules sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, hoc est in sedibus Prætorum, aut Tribunorum, vt per Lipsium eo loci. Clarius *Dion. lib.* 56. in morte Augusti. Sederunt autem vulgus Senatorum, quo quisque loco solebat: Consules verò inferne in subsellijs, alter Prætorum, alter Tribunorum. Nec dissimile est quod Sueton. scribit, Claudium de maiore negotio acturum, medium inter Consulum sellas, Tribunicio subsellio sedisse. Humiles erant Senatorum omnium sedes, longum subsellius dicit *Cicero in ep. ad Ap. Pulchrum*. Sed sedes altæ consulum, & excelsæ vocat *Lucanus* 5.

*Vt primum mæstum tenuere silentia cœtum,*
*Lentulus è celsa sublimis sede prafatur.*

Lentulus namque ibi Consul. Alia supra *cap.* 3. & 4. Consules item sellis curulibus in Senatu sedisse pluribus in locis legitur, Ephorum sedes ex quibus solebant ius dicere, & ciuilia administrare à Cabromenijs fuligine fuerunt aspersæ, vt ex *Æliano de varia Hist. lib.* 2. Erant autem sellæ quatuor pedum. Vopiscus in firmo dicit habuisse duos dentes Elephanti pedum denum, è quibus Aurelianus ipse sellam constituerat facere alijs additis duobus. Erant præterea sellæ familiares, quibus ad vsum domesticum vtebantur, vt Varro in agricultura scribit. *Et sellarum inuentores fuerunt Ethrusci.* Cicero pro Cornelio, loquens de subsellijs in Senatu, sic ait. *P. Africanus cum consul esset, passus est, tum primum à populari concessu Senatoria subsellia separari.* Quo in loco sedere debeat Senator, qui ex dispensatione alicuius partis fit aduocatus. *Vincen. de Fran. decis.* 138.

Non omittam hoc loco illud insigne dictum Agesilai, qui adhuc puer, ostendam, inquit, non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem, dum iussus in loco non honorifico, vt spectaret quosdam ludos publicos, consedere paruit, simile quidam tribuunt Aristippo. 83

## CAPVT VII.

*Ex duobus, vel tribus eodem tempore electis, quis in loco præferendus.*

Prioritatem ex spatio horæ, vel momento considerari paulo supra diximus: vbi autem de prioritate non constet, merita personarum erunt attendenda, & dignitates; honoratior enim erit præferendus, vt ait *Boer. in addit. Io. Montaig. ad tract. de auct. mag. cons. num.* 64. per *tex. in l.* 1. cum ibi not. per *Bar. & Alex. de o. seq. præstan.* & alia iura quæ allegat. Propterea secundum hanc sententiam, si vnus ex Aduocatis fiscalibus, vel ex Quæstoribus eligatur, alteruero Aduocatus, vel iurisperitus tantùm, nullo officio vel Magistratu Regio decoratus; Quæstor, vel Fiscalis erit præferendus. Si verò ambo Fiscales, vel Quæstores, vel iurisperiti; erit ille præferendus, qui in locum antiquioris est suffectus, vti contigisse dicitur, dum vno, & eodem tempore lecti in Senatores fuissent Bartholomeus Brugnolus; & Alfonsus Gallaratus, item Madius, & Conradus. Comprobari hæc eadem sententia ex proxime dicendis poterit. 84

## CAPVT VIII.

*Præferendus vtrum sit prius electus alteri post electo, qui tamen prius possessionem sit adeptus.*

85 IN dignitatibus duplicem ordinem reperiri fir-
mat *Io. à Platea in l. 1. C. de consul. lib. 12.* alte-
rum temporis, alterum vero honoris. At cum in
Senatoribus, æqualis sit inter omnes dignitas; vi-
dendum erit quis prior tempore iuxtà *tex. in d. l. 1.*
quo decisum est, eum præferri, qui prius inter con-
sules consulatum meruit, huic non dissimilis est al-
ter *tex. in l. cuicunque C. de prox. sac. scrin. lib. 12.*
quo cauetur, eum, qui posteriori tempore in mili-
tiam sacrorum scriniorum admissus est, posteriori
loco sedere debere. Tertius adest *tex. in l. 1. C. de
propos. sacro cubili eo. lib. 12.* per quem deciditur
præpositos sacro cubili æquiparari Præfecto Vrbi,
Præfecto Prætorio, & Magistro militum; post de-
positas administrationes, sed inter eos præcedere,
qui prius promotus. Adsunt etiam alij *tex. plures
sententiam hanc probantes in l. 1. ff. de albo scrib. in l. 1.
& 2. C. de Præfect. prætor lib. 12. in c. fin. 75. distinct.
& in c. qui prior de reg. iur. in 6.* Eandem sequitur
*Fel. in rub. de maior. & obed. Dec. in l. cum quid ff. si
cert. pet. Cassan. in Catal. glor. mun. par. 4. consider.
23. par. 12. consider. 99. col. pen. par. 3. consider. 76.
par 7. consider. 47. par. 10. consider. 29. Grat. respons.*
86 *116. num. 6. lib. 2.* Nec nouum est tempus datæ in
gratiosis attendi, per *c. tibi, & c. si eo tempore de res-
cript. in 6. c. cui de præb. eod. lib. c. eam te, c. constitu-
tus, & c. Sancta Crucis de rescript.* vti tenuerunt *Bal.
& Castrens. in l. fin. C. ne lit. pend.* Et licet potior sit
ratio possidentis, prout consultus respondit *Natta
cons. 351.* contra eum, qui tempore electionis erat
in alio officio, & exinde post multos menses iura-
uit, vt non possit præcedere alium, qui interim di-
ctum ordinem est ingressus, & prius iurauit; veris-
sima tamen videtur ratio *Bal. in l. 1. C. de rer. per-
mut. Rom. cons. 298. & Marin. Frecc. qui alios citat de
subfeud. num. 64. fol. 94.* qui dixerunt Principem ex
87 sola concessione transferre possessionem per *d. c.
Sancta Crucis.*

Quæ omnia licet huiusmodi sint, non desunt ta-
88 men alia plura pro parte contraria. Primo enim
dicitur, negari non posse, quin Senatoris officium
habeat annexam administrationem, sine qua admi-
nistratione quis non dicitur officialis, vt tradit *Bal.
in l. sed & milites §. quæsitum per illum tex. ff. de excus.
tut.* qui etiam in eadem lege in verbo primipilaris
dicit, *priuilegium concessum ratione officij requirere offi-
cium in actu, non autem habitu,* & sequitur *Paris. in trac.
sindic. vers. electio officialium cap. 3. Boer. decis. 150.
col. 2. Freccia de subfeud. lib. 2. tit. quis dicatur Dux
num. 52.* Confirmatur hoc ipsum per *tex. in d. l. 1. C.
de consult. lib. 12. iuncta glos. in verbo auspicia,* quibus
cautum est, eum, qui Consulatus auspicia præten-
debat (quæ tamen non erat adeptus) non præce-
dere alium, qui actu consul extitit, licet ille prius ha-
bitu fuerit consul, quo *tex. motus,* ibi *Io. à Plat. in 1.
notab.* ait, *inter pares dignitate, ita demum præferendū
esse eum, qui prior tempore creatus est, si actus administra-
tionis non sit posterior, quia administrans præfertur,* &
allegat *tex. in l. 2. C. vt dign. ordo seru. & l. 2. C. de
primip. lib. 12.* hoc ipsum voluerunt *Rom. cons. 333.
Afflic. in prælud. Constit. quæst. 26. num. 4. Frecc. loco
citato num. 43 & Grat. respons. 116. lib. 2.* Quid plura?
videndus erit *Vlpian. in l. 4. ff. de off. procons. & leg. §.
fin. in fine,* sic egregiè dicens. Est enim perquam ab-
surdum antequam ipse possessionem nanciscatur
(nec enim ei prius competit, quàm in eam prouin-
ciam venerit) alii mandare quam non habet; adest
aperta decisio *Mar. Laud. in tract. de dignit. conclus.
32.* inquiens, *quod qui prior est in executione officij de-
beat præcedere* per *l. fin. ff. de albo scrib.* quam in pun-
cto Senatorum contendentium citat *Natta d. cons.
351. num. 4.* vbi etiam inquit hanc firmari ex ipsa
definitione honoris. Honor est administratio reip. 89
cum dignitate, & differt à munere, quod consistit in
administratione sine dignitate *l. honor in prin. ff. de
mun. & honor.* Præterea secundum eundem Nattam,
vbi quis nondum suscepit administrationem officii,
non nominatur simpliciter sub nomine dignitatis,
sed cum adiuncto, electus, vt electus Episcopus, ele-
ctus Rector, & electus Senator; & ex hoc colligitur
hunc neque propriè, neq; absolutè talem esse prop-
ter adiunctam qualitatem *l. hoc legatum ff. de leg. 3.*
cum aliis ab eo citatis. Licet enim sit in via eam
dignitatem habendi, nondum tamen eo peruenit, &
non habetur pro facto, quod requirit factum desti-
natum. *l. in tantum §. fin. cum l. seq.* & ibi *Bal. ff. de
rer. diuis.* vt in officio in quo sola electio non sufficit,
sed requiritur aliquid in eo geri, secundum *Bar. in l.* 90
*absenti ff. de donat. & Bal. in l. si nondum C. de fur.*
vbi multa alia, & inter cætera vt res non recipiat
denominationem ab eo quod erit, sed ab eo quod est:
mox infert, vt si Ciuitas interficiat electum, non di-
catur interfecisse Episcopum, cuius dictum pluribus
firmat *Natta ibidem in fine.* Et hæc potissimum stan-
te iuramento, quod electus in ingressu officii subire
tenetur, sine quo administrare non potest. Ideo si
ante iuramentum non competit ius officium admi- 91
nistrandi, sequitur vt ante ingressum eiusdem nulla
acquiratur iurisdictio iuribus per eundem Nattam
adductis, & præcipuè per *Ang. in §. iusiurandum in
auth. vt iud. sine quoquo suff. ag.* dicentem, Potestatem
eo ipso, quod ingreditur ciuitatem, non habere iuris-
dictionem incontinenti, antequam iurauerit, & per
iuramentum sibi fuerit administratio decreta, re-
quiritur enim vt prius iuret, secundum *Bar. in l. ab-
senti ff. de donat. idem tenuit Bal. in rectore studij electo
in auth. habita col. 10. vers. dicto de scolaribus C. ne fil.* 92
*pro patr.* Quibus stantibus inanis redditur assertio eo-
rum, qui dixerunt per solam concessionem Principis
transferri possessionem. cum, vt iam diximus, requi-
ratur exercitium iurisdictionis, & ante omnia iura-
mentum. Electio namque tribuit dignitatem Con-
sulatus, & Principatus; sed non aliorum *l. ex eo vbi
glos. & Bar. ff. de testam. mil. § illud in auth. de admi-
nistr. §. generaliter in auth. constitutio quæ de dignit. l. fin.
C. de decur. lib. 10. auth. sed Episcopalis dignitas,* &
ibi *glos. & Salic. C. de epis. & Cler. l. 2.* ibi, *prout quis-
que in ordinem venit. ff. de albo scrib.* idem noluit *glos.
in §. filius in verbo illico instit. quib. mod. ius patr. pot.
sol.* quæ relata ad *tex.* qui loquitur de Senatore, vi-
detur hunc casum decidere. *hac Natta d. cons. 351.
num. 1.* addo ego *tex.* alium *tex. in c. tibi qui de rescrip.
in 6.* ibi; *ex quo alteri ante receptionem collata non ex-
titit,* vbi *Archidiac. & alij,* sic etiam iudicatum fuisse
*Reg. Consil. Lusit.* firmat *Cabed. decis. 5. p. 1. & May-
nard. d. decis. 72. & 73. p. 1.*

93 Et quamuis placuerit quibusdam, eum, qui distulerit venire, quia absens causa reipub. haberi pro præsente, *ex l. si quis stipulatus ff. ex quib. caus. maior.* & ibi *glos. in verbo eadem*, quam *Alber.* ibidem commendat, & alibi sequitur, *de stat. lib. 1. q. 184. num. 2.* ac ex *l. si quis Titio, l. Iulianus §. fin. eod. tit. vbi Bar. Fulgos. & Alber. iuncta l. Seia §. Pamphila ff. de fun. instruct.* cum aliis per nos supra adductis *glos. 2. cap. 4. num. 24.* Ea etiam ratione, quod tempus absentię pro seruitio reputetur, secundum *Bal. in l. liberti nu. 16. C. de oper. liber. per tex. in l. qui mittuntur §. fin. ff. ex quib. caus. maior.* absensq; pro præsente habeatur per *Bal & Alber. in l. iurisperitos ff. de excus. tut. Oldr. cons. 48. Boer. decis. 17. num. 7. & 8. Feder. de Sen. cons. 246. Paris. cons. 32. num. 2. & 18. lib. 4. Osasch. decis. 92. num 10.* Prout iuxta hanc opinionem pluries in causa præcedentiæ inter Regentes iudicatum fuisse testatur *Fab de Anna cons. 42.* quam etiam multis tuetur per totum illud cons. Et quamuis, inquam, absentia ex causa Reipub. secundum prædictos non obsit; dicerem ego absentiam non obesse, quoties qui præsens est eligitur, & ante ingressum officii iussu Regis alio se confert; secus autem si is, dum absens est, eligitur, & mox etiam iussu Regis detinetur, ex his, quæ idem Natta tradit *d. cons. 351.* vbi inter cetera, vltra iam relata, inquit: *Considerandum est etiam, quod iste fuit electus, dum gereret Præturam Mantuæ, & sic electio ius aliquod huic tribuere non poterat, cum eodem tempore esse non posset, vt Præturam Mantuæ gereret, & munus Senatorium in Monteferrato exerceret.* Hac ipsa consideratione vtitur Imola in simili *in c. propter col. 7. vers. in quantum dicit*, quod
94 potestates, quæ sanè non videtur contemnenda, ex quo vno, & eodem tempore quis diuersis officiis inseruire non potest. *d. l. 4 ff. de off. procons. & leg.* Idque verissimum existimo, si quis nullo iussu absit, vel affectata vtatur absentia, ex *Rom. sing. 597. & tex. in d. l. 4. §. fin. in fine ff. de off. procons. & leg.*

In casu in quo duo Senatores vno tempore electi fuerant, sed litteræ in datanon conueniebant, quia prior erat vna, altera vero posterior data legebatur. Ille vero qui posteriorem datam habebat, prius possessionem fuerat adeptus. Iudicatum fuisse pro priore in tempore firmauit *Cabed. decis. Lusitaniæ 3. p. 1.* qui etiam *decis. 4.* eiusdem ponit, vtrum præferendus sit ille, cui primum concessa est dignitas sine administratione, & exinde etiam illius administrationem fuerit consequutus; an vero ille qui post dignitatem, & ante ipsam administrationem sibi concessam adeptus est simile officium cum administratione.

## CAPVT IX.

***Sedere quo loco debeat priuatus officio, mox illi restitutus.***

95 VLpian. *in l. 2. ff. de decur. & fil.* eorum apertissime ostendit, quo ordine sedere debeat priuatus officio, & mox illi restitutus, num in loco, quem ante nominationem obtinebat, an vero in eo, qui tempore restitutionis vacabat, inquit enim. *Qui ad tempus relegatus est: si decurio sit, desinet esse decurio. Reuersus planè locum suum quidem non obtinebit: sed non semper prohibetur decurio fieri. Denique ad locum suum non restituitur; nam & sublegi in locum eius potest: Et si numerus ordinis plenus sit, expectare eum oportet, donec alius vacet. Alia causa est eius, qui ad tempus ordine remouetur. Hic enim impleto tempore decurio est, sed & in eius locum sublegi poterit. Sed etsi plenum locum inuenerit, expectet, & donec locus vacet. Restituitur tamen in ordinem, vtrum eum ordinem teneat, quem primum habuit, an vero quem nunc nactus est, quæri potest, si forte de ordine dicendarum sententiarum agatur. Arbitror tamen eundem ordinem tenere, quem pridem habuit. Non idem erat in eo, qui relegatus ad tempus est. Nam hic velut nouus in ordinem venit.* Docet igitur Vlpian. distinguendum esse inter relegationem, & suspensionem, & an locus vacet vel ne: si enim relegatus, vel officio priuatus est, posteriorem locum obtinebit; si vero suspensus, priorem; modo alius eius loco non sit suffectus. Ita *Bar. ibid.* quem sequitur *Dec. in l. cum quid ff. si cert. pet. in 1. lec. num. 11. Fel cons. 1. num. 29. Luccas de Penna in l 1. col. 2. C. de his qui in exil. dat. vel ab ord. moti sunt lib. 10. & in l. cum allegatis col. 4. C. de re milit. lib. 12. Aufl. in c. 44. Prætorum glos. 1. num 3. Pecchius in c. qui prior num. 12. de reg. iur. D. Menoch. in cons. 186. lib. 2. & recuper. poss. remed. 10. à num. 105 vsque ad num. 117.*

Vlpiani sententia firmatur ex memorabili dicto Catonis Senioris, de quo scribit Plut. *Vt, cum impetratum esset de restituendis Achæorum exulibus, & Polybius ad Senatum retulisset, vt restitutis apud suos pristini honores, ac magistratus redderentur.* Cato rog. sententiam dixit: *Polybius idem facere videtur, quod fecit Vlysses, qui Cyclopis speluncam repetere voluit, quo pileũ, & cingulum, qui illic per obliuionem reliquerat, reciperet.* Aliud egregium est Philippi Macedonis, qui cum Athenienses captos gratis dimisisset, illi vero vestes, stragulasque reposcerent, & hac de causa Macedones in ius vocarent, subridens dixit. *Nonne videntur Athenienses arbitrari se à nobis in talorum ludo victos esse.* Docentes ambo, satis superque fuisse, exulibus datum in patriam reditum, captis vero libertatem.

Quid de illo, qui abdicato munere, mox illud iterum consecutus sit, an pristinum locum obtineat, vel quem tunc posterior nactus est? *Ian. Langl eus semestr. lib. 7. cap. 8.* inter cetera hæc scribit. *Nec causam illius quicquam iuuit, quod è Parisiensi curia ad nos migrasset.* Non enim Magistratus alibi gesti (quod ad ordinem sedendi vel procedendi spectat) ratio vlla in Senatu nostro haberi solet. Vidimusque ideo Hieronymum Vallam, integritatis, ac sanctimoniæ fama virum percelebrem, iurisque Senatorii peritissimum, in orchestra curiæ nostræ nouissimo loco disceptatoriis diebus sepissime sedentem: quod hic postremus omnium in cœtum nostrum allectus fuisset. Tametsi Senatorium munus in Parisiensis curię Tribunali maiore multos annos strenuè confecisset: nec deessent, qui loco ei cedere vellent. Sed ea fuit homo ille humanitate, vt nullum in Senatu locum non honoratissimum duceret, nec gratiæ sibi tribui quicquam vellet. De Iano quoque Painio (nescio an probitate, an doctrina, vsusque forensis peritia præstantiore viro) qui Senatorio munere, quo in curia nostra fungebatur, in gratiam Alanelli se abdicauerat. Cum is cursus aliud nouo principis edicto creatum assecutus: in quem amplissimum ordinem cunctis plaudentibus relatus,

locum & ordinem tam sedendi, quàm procedendi sibi decerni petiisset. Censuit Senatus locum illi dandum quem tunc nactus est, cum posterius ascriptus est, vtpote nouo in ordinem venienti 15 Februarii 1576 Quod ille homo, si quis alius ab omni ambitione alienissimus, æquissimo animo tulit, ratus id quod est, non homini locum, sed hominem loco decus & dignitatem addere.

## CAPVT X.

*Loqui quis prius ex sedentibus debeat.*

96 SIngulis mensibus, cum tres deligantur in ciuilibus causis senatores lectores, in criminalibus vero duo alii singulis binis mensibus, qui libellos & supplicationes petentium recipiant, ac super eis decreta faciant, vt diximus supra, & latius in *glos. 6. cap. 11.* consueuerunt lectores ipsi ciuilium causarũ diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris vbi quid illis relatione dignũ emergat prius loqui: diebus vero Martis, Iouis, & Sabbati lectores criminaliũ: priorq; locus antiquiori datur, & deinceps alteri in ordine subsequẽti, prout quis descriptus est. Si vero vel tẽpus suppetat, vel iussus sit à Præside, alius ex non lectoribus loquitur. In votis autem siue sententiis colligendis. (nos enim hoc verbo, voto, pro sententia, quam quis profert, vel pro consilio sumimus) alius ordo seruatur, quem descripsimus infra *glos. 6. cap. 12.*

97 Ordinem loquendi in Senatu Romano retulerunt *Maiorag. de Senatu Rom. cap. 18. & Curia Pisana lib. 2. cap. 4.* vbi etiam de aliis curiis, & conciliis loquitur, auctoresque citat. Nemo autem loquebatur nisi rogatus. Primus locus erat Consularis, secundus Prætorius, tertius Aedilitus, quartus Quæstorius: Ideoque rogabantur illi primò, qui consules fuissent, deinde qui prætores, tum qui ædiles, atque ita deinceps, vt ex *Cicer. Philipp. v* Qui ordo aliquando tamen immutatus est teste *Manut. de Sen. Rom. tit. de ord. rog. sentent.* alia in *glos. sequen. cap. x.* interrupto more dicendæ Sententiæ pluries loquuti sunt, vt à *Pollione in Valeriano in prin.* accepimus. Rogabantur autem hoc pacto, ex eodem loco præcitato, prætore, vel alio edicente, *Quid vobis videtur P. C.*

## CAPVT XI.

*Sententia lata Senatoribus non sedentibus an nulla?*

SVperflua videtur præsens inuestigatio, tum ex verbis glos. nostræ, tum ex aliis hactenus à no-
98 bis allatis: siquidem, si in Senatu sedere tenentur Senatores, atque sedendo omnia pertractare; sequitur, vt quicquid fiat ipsis non sedentibus nullum sit *arg l. si vt proponis C. quem, & quam ind.*, & eorum quæ tradunt *Doct. in l. ius pluribus ff. de inst. & iur. facit tex. in §. sedebunt in auth. de ind. cap. 4. glos. in c. fin. in verbo sedendo de re iud. in 6.* videnda. *l. 1. §. in bonorum ff. quis ordo in bon. poss. ser. l. fin. C. de sent. ex breui recitan. & l. 1. C. de off. ciuil. iud. & not. Spec. de dilat. §. 4. vers. sed cum à præcedente. Alber. in l. cum sententiam C. de senten.* hæc enim qualitas sedendi videtur ita apposita, vt nullo modo prætermitti possit, prout habetur in *l. Fulcinius §. cum hoc. vbi Bar. & reliqui ff. ex quib. cau. eatur, & in l. 3. ff. ad l. Aquil. D. autem Menoch. de arb. iud. lib. 1. q. 61.* de Iudice loquens, cui iniunctum est a legibus supra notatis, vt sedeat, aliter sentire videtur quasi verba dictarum legum inferant consilium non necessitatem, vt dicitur in *l. Age cum Geminiano C. de transact.* nos autem dicemus decere omnino, vt in Senatu Senatores sedentes sententiam dicant, vt habetur in *d. l si vt proponis, & in d. l. ius pluribus.* Vbi vero agatur de iis causis, quæ de plano à Senatoribus lectoribus expediuntur in priuatis singulorum ædibus, non referre si a non sedentibus subscribantur decreta, ex his, quę infra *glos. 6. cap. 2.* deduximus, & quæ tradit *Ias. in d. l. ius pluribus num. 2.*

Senatores autem Romani, etiam si Prætores, Cõsulesue essent, cum rogarentur sententiam dicere, 99
nunquam sedentes loquebantur, sed stantes, ita *Gell. lib. vij* Sententiæ rogari cœptæ tum M. Cato exsurgit *M. Ant. de orat. lib. 11.* his verbis: *in quo mirari soleo, non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt; sed hominem in primis desertum, atque eruditum Philippum, qui ita solebat ad dicendum surgere, vt, quod primum verbum habiturus sit, nesciat.* Cicero pro A. Cluen. sic ait. *Ego cùm ad respondendum surrexi, qua cura Dij immortalis, qua solicitudine animi, quo timore?* Virg. lib. 10. Aeneid. adducit Drancem hæc dicentem

*Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.*

Idem Ouid. 13. Metamor. in iudicio armorum Achillis.

*Consedere Duces, & vulgi stante corona.*
*Surgit ad hos dominus clypei septemplicis Aiax?*

Mos huiusmodi antiquissimus ex Homero Iliad. 1. dignoscitur, dum adducit Agamemnonem contra Calcantem talia proferre.

*Et postea Calcantem, licet senem, surrexisse*
*Vt inter Achillẽ, & Agamemnonẽ litem cõponeret?*

Si cum assedisse senatorem legimus, intelligere debemus eum finem fecisse dicendi. *Sallust. in coniur. Catil. Postquam Cato assedit, consulares omnes, itemque Senatus magna pars sententiam eius laudat. Et quemadmodum stantes censere, sic assentiri sedentes latini loquuntur.* Cicero Metello in ep. *Nulla est à me vnquã sententia dicta in fratrem tuum, quotiescumque aliquid est actum, sedens ijs assensi, qui mihi lenissimi sentiri visi sunt.* Alia in *glos. 6. huius §. cap. 11.*

## CAPVT XII.

*Præside absente, an Senatus haberi possit, & eo deficiente quis suppleat.*

100 PRæsidem caput concilij esse iam dictum est, ad eum vero spectare ius habendi Senatum probat *l. 1. ff. de decret. ab ord. fac. & scriben in l. nulli ff. quod cuiusque vniuers. nomine, & in c. 1. de sindico*, idem etiam habetur ex *Bal. in c. 1. de pac. constan. vers. ego, & in rub. pro soc. in prin. Fel. in c. 1. de maior. & obed. col. 2. vers. demum. Curia Pisana c. 2. lib. 1.*

Si vero Præses aliquo impedimento detineatur; Primò electus, id est antiquior Senator in ordine Propræsidis officio fungitur, iure ita suadente, secundum tradita per *Bal. in l. fin. de colleg. illic.* & est *tex. in c. 1. de maior. & obed. in 6. & in c. 2. ne sede vacan.* quod etiam voluit *Rebuff. in praxi benef. tit. deuol. num. 58. cum seq.* & firmant omnes *in l. 1. C. de consult. lib. 12.* & ita seruari in omnibus collegijs firmat *Gamma decis. 1. num 45. & Tessaur. in d. præfat. sub num. 22. circa prin.* ne corpus illud acephalum appareat, vt ibi per eos. Addas suprascriptis ordinem Regium de quo in §. *seq. num 29.*

Excipiunt autem quod diximus, non procedere in his, quæ iure aliquo speciali ipsi Præsidi spectant, in quibus Propræses se ingerere non poterit, per *glos. & Soc. in c. fin. de priuil. in 6.* & quæ scribit *Curia Pisana lib. 1. cap. 8. num. 12. vers. non succedit.*

## *Glosa Quinta.*

Eorumque Secretarij.

### *SVMMARIVM.*

1 *Quod olim Secretariorum officium fuerit.*
2 *Quod officium eorum qui ab Epistolis dicebantur.*
3 *Qui à libellis.*
4 *An idem sit ab Epistolis quod à libellis.*
5 *Qui essent libellorum Magistri.*
6 *Formula antiqui libelli supplicis cum inscriptione, subscriptione, siue decreto.*
7 *Qui libellenses fuerunt dicti, item qui libellorum promagistri, item qui libellos Agentes.*
8 *Libellus vnde dictus, quid sit eius origo, contra Panciroluin, libelli decretatio, siue responsio, aut adnotatio, item decretationis extensio, & alia.*
9 *A manu, siue ad manum, Item qui Amanuenses dicti. Item qui*
10 *A memoria dicebantur, quod munus.*
11 *Admissionum Magistri in acta referre consueuerunt, quæ in curia coram Principe agerentur. Tribuni & Notarij, qui olim fuerint.*
12 *Quæstores loco an Secretarij officium accipi debeat, & num. 32.*
13 *Magnum Cancellarium Franciæ subrogatum fuisse loco Quæstoris.*
14 *Tres olim fuisse Quæstores secundum Azonem, Baldum, & alios.*
15 *Quæstor, cancellarius dicitur. Cancellarius & Secretarius synonima sunt secundum aliquos.*
16 *Quæstores Ærarios fuisse.*
17 *Quæstores quo tempore instituti. Et quot fuerint item num. 19.*
18 *Quæstoribus cura tabularum publicarum deferebatur, horum.*
19 *Ætas legitima.*
20 *Quæstores officium ab illo Magistri scriniorum non multum differre.*
21 *Secretarij officium cum officio scribæ antiqui an conueniat.*
22 *Scribæ notis acta scribebant.*
23 *Plinij locus in epist. declaratus.*
24 *Scribas consueuisse scribere omnia Senatuscons. non tacita. Et scribarum officium quod num. seq.*
25 *Qui fuerint olim Censuales.*
26 *Scribas fuisse qui Regi assistebant.*
27 *In Senatu Romano non solum Senatus consulta, sed etiam singulorum Senatorum sententiæ scribebantur.*
28 *Scribæ, quot appellarentur nominibus, & à librarijs virum differrent.*
29 *Scribæ notantur, qui diu multumq; rogati, vix tandem per literulas respondere dignantur.*
30 *Scribarum ordo Romæ latè fusus, & non inhonestus; multumq; valuit, tum gratia, tum auctoritate. Et qui ex scribis ad summas rerum peruenerint.*
31 *Scribas Romanum Senatum habuisse.*
32 *Referendarij, qui dicti, & eorum officium.*
33 *Quod esset munus illius, qui à secretis Principis dicebatur.*
34 *Quod iuramentum præstet Secretarius.*
35 *Secretarij Senatus munus auctoritas, dignitasq; ex Regijs Ducalibusq; decretis, & ordinibus Senatus, quæ describuntur.*
38 *Secretarius vnde appellationem ducat.*
39 *Secretarij munus est, ne è cancellaria exeant literæ malè formata, imperfecta, & minus solemnes, & alia.*
40 *Cancellarij Senatus sex, quorum vnus Thesaurarij munus exercet, Coadiutores siue Adiutores septem, Receptor vnus prorogationum, & duodecim scriptores, quorum omnium munus describitur.*
41 *Secretarij hebdomadarij munus.*
42 *Secretarij munus, quod sit in Generali Relatione coram Excellentissimo Gubernatore.*

### ARGVMENTVM.

*Secretariorum officium, & prærogatiua quæ.*

SEcretariorum officium quod sit, vel olim fuerit, colligere licet ex *l. 1. C. de man. Prin.* vt decreta notent, eisque se subscribant, ac mandata secreta suscipiant, vel ex *l. præcipimus C. de app. §. 3.* vt ea, quæ geruntur excipere, scribere, scriptaque litigatoribus edere nostros epistolares præcipimus. Dicûtur enim aut epistolis Senatus præpositi, vt apud Vopiscum in Carino his verbis: *Quorum vitam singulis libris Claudius Euthemus, qui Diocletiano ab Epistolis fuit, scripsit.* Et ex Dion. in Adriano. *Ab epistolis, & libellis primus equites Romanos habuit.* Idē scribit Sueton. in Claudio cap. 28. *Narcisum ab epistolis*, & in Domitiano, *Epaphroditum ab Epistolis, & libellis.* Tacit. Annal. lib. 15. *Quin eum nobiles habe-*

*re,*

ve quos ab epistolis, & libellis appellet. Et lib. 16. obiectum Silano, quod praeficeret rationibus, & libellis, & epistolis libertos. Aut libellis incumbentes Dion lib. 60. in fin. de eodem Narciso; iam instante percussore, egregium factum edidit crematis omnibus Claudij litteris, quibus secreta contra Agripinam, ac nonnullos alios continebantur: quæ in sua ipse potestate, Principi à libellis quod esset, habebat. Alius locus eiusdem Dion. lib. 44. de coniuratoribus in Cæsarem in hæc verba. Proinde curiam ad eam rem peragendam delegerunt: nam & Caesarem, qui in eo quidem loco minime aduersi quicquam metueret, insidijs opportuniorem futurum: & gladios se facile habituros, qui in scrinijs loco libellorum collocati importarentur. Vt nobis persuasum esse possit, idem esse ab epistolis, quod à libellis, accedente potissimum Taciti, & Dion. in Adriano testimonio, alterius annal. xv. in illis verbis. Neque aliam spem, quàm in nouis rebus esse, quin eum nobiles habere, quos ab epistolis, & libellis, & rationibus appellet. Nomina summæ curæ, & meditamenta: alterius vero, vt iam diximus in Adriano. Ab epistolis, & libellis primus equites Romanos habuit. Confirmat hoc ipsum Lamprid. in Seuero. Et post meridianas horas subscriptioni, & lectioni epistolarum semper operam dedit; ita vt ab epistolis, & libellis, & à memoria semper assisterent. Nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librarijs, & ijs, qui scrinium gerebant. Sed re vera hæc officia inter se differre ex suprascriptis clarissimè patet. Alius enim erat scriniorum Magister, alius librarius, alius epistolaris, alius libellensis, vt videbimus.

5 Aderant etiam libellorum Magistri, qui libellis se subscribebant, de quibus in l. 1. ff. de off. praefec. praet. & in d. l. praecipimus C. de app. & in l. eos de excus. mun. lib. 10. & per Brisson. select. ex iur. ciu. antiq. interp. lib. 3. cap. 7. qui ponit formam libelli cum subscriptione (eam autem prior describit Rutilius in Celso, inuentam Romæ apud Alberinos) in hunc modum.

6 CVM ANTE HOS DIES CONIVGEM, ET FILIVM AMISERIM, ET PRESSVS NECESSITATE CORPORA EORVM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM, DONEC QVIETIS LOCVS QVEM EMERAM ÆDIFICARETVR VIA FLAMINIA INTER MILIARIVM. II. ET III. EVNTIBVS AB VRBE PARTE LEVA, ROGO DOMINE (IMPERATOR) PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO. QVEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, VT QVANDO ME ESSE DESIERO, PARITER CVM IIS PONAR.

DECRETVM FIERI PLACET.

IVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE, ET OPIMINIO COSS. Is annus salutis 156. Antonino Pio imperante. Quo in loco

7 idem Brisson. in fine, existimat huic muneri præpositos à posterioribus Principibus libellenses appellatos fuisse; de quibus in d. l. praecipimus §. 2. & alibi sæpe. Narratum exemplum descripsit iterum idem Brisson. inter formulas, & solemnia verba Populi Romani lib. 2. pag mihi 292. certis tamen quibusdam additis verbis. Hunc Iubentium Celsum puto eum esse, I. C. de quo l. Domitius labeo 27. ff. qui testam. fac. poss. loquitur. Duos huius nominis fuisse, scribit Pancir. var. lib. 2. cap. 25. nempe Iubentius pater. l. Celsus pater in prin de leg. 2. & Iubentius Celsus filius, qui in consilio Adriani fuit. l. 2. ad fin. de orig. iur. & Spartian. in Adriano; vbi pro Iulio credit legendum Iubentium. Aliam habemus formulam libelli cum inscriptione, & subscriptione, in l. deprecatio 9. ff. ad l. Rhod. de iac. in hæc verba. Eudamonis Nicomediensis ad Antoninum Imperatorem supplicatio. (hæc erat inscriptio.)

DOMINE IMPERATOR ANTONINE, NAVFRAGIVM IN ITALIA FACIENTES DIREPTI SVMVS A PVBLICANIS CYCLADES INSVLAS HABITANTIBVS. Respondit Antoninus Eudæmoni.

EGO QVIDEM MVNDI DOMINVS: LEX AVTEM MARIS. LEGE ID RHODIA QVÆ DE REBVS NAVTICIS PRÆSCRIPTA EST, IVDICETVR: QVATENVS NVLLA EI NOSTRARVM LEGVM ADVERSATVR. IDEM ENIM ET DIVVS AVGVSTVS EXISTIMAVIT.

Præter Imperialem ergo subscriptionem (cuius formam infra §. 3. non obscurè descripsimus) Quæstoris quoque accedebat subscriptio, ex Nouell 112. vt diuin. iuss. subscrip. hab. his verbis: Praesenti lege decernimus, nullam diuinam iussionem, neque per viros magnifici Quaestoris Adiutores, neque per aliam cuiuslibet militia, aut dignitatis, aut officij personam, cuicunque iudici confectam, à quolibet suscipi cognitore, cui magnifici viri Quaestoris adnotatio subiecta non fuerit, qua contineatur, & inter quos, & ad quem iudicem vel per quam fuerit directa personam. Subscribebat vero Quæstor his verbis. Legi. vel subscripsi, ex Iustin. nouell. 22. in cuius extremo hæc verba, legi, idem in nouell 159. & in nouell. Theodos. & Valent. de homic casu vel volun. fac. post diem, & consulem, adest subscripsi, similiterq; eorumdem Imperatorum nouell. 2. de testam. æque post Diem, & cons. subscripsi. Adest clarus tex. in d. l. eos 14. de excus. mun. qui sic ait. Item eos, qui peragendis, signandisq; responsis nostrae mansuetudini obsecundant. Cæterum ijs ipsis verbis nomen suum præposuisse Quæstores crediderim ex ipsa nouell. 159. in fine, cuius extat subscriptio huiusmodi. Ioannes & Carus subditi obtulimus, item ex relato Rutilij exemplo, ibi, Iubentius Celsus &c. & alio descripto per Cuiacium in l. 13. C. de prox. sacr. scrin. in hunc modum. FLAVIVS THEODORVS V. D. MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARVM, ET ADIVTORVM QVÆSTORIS SACRI PALLATII, SCRIPSI MANV MEA IN VRBE ROMA CONSTANTINOPOLITANA III. CAL. IVNII. V. C. COS. IVSTINO ET IVSTINIANO IMP. Hodie etiam Magni Cancellarij Galliarum, Mediolani, Sabaudiæ, ac Regij Consiliarij Hispaniarum, siue apud ipsum Regem Regentes in subscriptione dicunt, vidit N.

Hinc etiam notandum est, nonnullos appellatos fuisse libellorum promagistros, vt in eodem libelli exemplo supra relato, alios verò libellos Agentes, vt in l. rescriptum 12. ff. de distrac. pign. ibi: Rescriptum est ab Imperatore, libellos agente Papiniano.

Libellus verò inde dictus videtur, quia in pagellas, & parui libri formam complicabatur (prout & 8
nunc in Curia Cath. Maiestatis obseruari vidi) ex his, quæ Suet. in Iulio Cæsare loco, de quo paulo infra.

infra: Fuit enim moris antiqui tantùm in anteriore pagina scribere, mox Opisthographon vsus inoleuit, nimirum chartæ intus, & a tergo scriptæ, ita vt claudi non posset quin appareret scriptura, vt *in l. 4. ff. de bon. poss. secun. tab.* quod Martialis de suo libro scribens monstrat.

*Inuersa pueris arande charta.*

Et Iuuenalis in prima Satyr.

*Et in tergo nec dum finitus Orestes.*

Plin. lib. 3. ep. 5. de Plin. antiquiori. *Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem, & minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus.* Et Lucianus in vitis Philosophorum, *Plena*, inquit, *sit pera lupinis, & libris opisthographis.*

Est libellus scriptura Principi oblata, quæ desideria, & preces petitoris explicat, *tit. quand. libell. prin. oblat.* supplicum preces libellos vocat *Gordianus in l. 2. C. de error aduoc.* idem habetur *in l. 2. C. de fide instrum. iur. & hast. fisci. l. 3. C. de postul. l. sanum C. de transact. l. 1. C. de suffrag. l. 4. §. ingressus ff. de off. procons. & alibi.* Dicitur enim *in d. l. 2. C. de errore aduoc.* errores eorum, qui desideria, idest preces scribunt, veritati præiudicium afferre non posse manifestum est. *Philo de legat. ad Caium c. 1.* Placuit offerri Caio libellum continentem summam calamitatum, & earum deprecationē: id erat fermè compendium supplicationis prolixioris, quàm per Agrippam Regem paullo ante miseramus.

Dixit Pancirolus libellum ortum habuisse à Iulio Cæsare, ex Capitolino his verbis. *Libellum insidiarum indicem ab obuio quodam porrectum, libellis, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit &c.* Sed hæc eius sententia minus probabilis videtur ex loco Plut. in Demetrio 115. tali. *Quodam etiam tempore cùm palàm edixisset Demetrius, omnes, qui eum adirent, se benigne auditurum; confluentibus multis, petitionesq; suppliciter scriptas ad eum ferentibus &c.* Præterea dum Tranquillus in ipso Iulio Cæsare inquit: *Epistolæ eius quoque ad Senatum extant, quas primò videtur ad paginas, & formam memorialis libelli conuertisse, aperte docet, memoriales libellos vsui fuisse; nam si epistolas ad instar libelli conscripsit, oportet, vt prius memoriales ipsi libelli extarent, & eis antea petitores vterentur.*

Rescriptum autem, est responsio, siue decretatio breuis super eodem libello facta, *l. 1. ff. de constit. prin.* ibi, *per epistolam, & subscriptionem*, nam Capitolinus in Opilio Macrino. *Statuerat*, inquit, *omnia rescripta veterum Principum tollere, vt iure non rescripto ageretur, nefas esse dicens, leges videri Commodi, & Caracalli, & hominum imperitorum voluntates, cum Traianus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta perferrerentur, quæ ad gratiam composita viderentur.*

Rescriptum illud, siue decretatio ipsa breuis per Magistrum libellorum extendebatur; nam *Theodos. in l. vlt. §. memoriales C. de petit. bon. sublat., memoriales*, inquit, *qui excipienda huiusmodi, rescripta, vel implenda curauerint &c.* Implebant autem, qui excepta rescripta, siue decretationem breuiter adnotatam extendebant, vt alias diximus, & probat *l. vlt. C. de diu. rescrip. Zeno in d. l. vlt. si con. ius, vel vtil. pub & alibi.*

Extensionem autem videbat Imperator, & addebat, quod vellet. Lamprid. in Alexandro in illis verbis. *Retegentibus cuncta librarijs, & ijs, qui scrinium gerebant, ita vt Alexander sua manu adderet, si quid esset addendum, sed ex eius sententia, qui desertior habebatur. Mox idem Magister, libellos, quos Princeps expediebat, transcribi mandabat, & in scrinio suo, vel arcula reponi curabat.*

Quæ omnia in Secretario verificari posse ex infra dicendis, apparebit.

Alia plura colligere licet, quæ ipsius Secretarij 9
singulas actiones demonstrent, siquidem fuerunt nonnulli, qui à manu vocabantur, ij scilicet, quorum manu Princeps ad scribendas litteras vtebatur. *Suet. in Aug. cap. 47. & infra sub num. 30. hos Cicero ad manum vocat 2. de oratore*, dum ait, *Licinium seruum sibi Graccus habuit ad manum*. Hinc *in l. 4. C. de aduoc. diuers. iud.* habemus, manu punct; Hinc etiam Amanuenses, qui à manu, seu ad manum, ex eod. *Suet. in Nerone cap. 44. & in Tito cap. 3.* cum Amanuensibus suis per ludum, iocumq; certantem imitari chirographa quæcunque vidisset.

A memoria alij dicti sunt. Spartianus in Pescen- 10
nino Nigro, vnus ad memoriam, alter ad libellos. Trebellius Pollio in Claudio idem, & alij supra *sub num. 4.* probant. Forte, qui litteras à Principe dictatas, aut responsa, decretave adnotata registrabant, vel aliter circa litteras Principis se exercebant; cùm *in d. l. eos hac habeantur ff de excus. mun.* Eos, qui honore comitum, nomine Magistrorum memoriæ præfuere, vel epistolis, vel libellis; item eos, qui ibidem peragendis, signandisq; responsis nostræ mansuetudinis obsecundant. Et hi in memoriam quæcunque agerentur; ex *Vopisco de quo infra num. sequenti*, redigere tenerentur, & multis probat *Panciroli. in notitia Imp. Orient. lib. 1. cap. 19. circa medium.* Fæ etenim Præpositiones *A*, *Ab*; *Ad*, ab officijs significandis vsurpantur passim; & eæ nomenclaturæ prorsus impropriæ videntur; quamuis, vt iam diximus, ad explicandas Secretarij singulas partes satis aptæ.

Prout etiam illud de Admissionum Magistris, 11
quorum officium erat in acta referre, quæ in curia coram Principe agerentur, ex Vopisco in Valeriano loquente de Arrogatione Aureliani facta ab Vlpio Crinito coram Valeriano Imperatore in hæc verba. *Quam fidem causam inserendam credidi ex libris Acholij, qui Magister admissionum fuit Valeriani Principis libro Actorum eius nono.*

Alij erant Tribuni, & Notarii, vt apud *Cassiod. ep. 4. lib. 1. variar.* & clarius in formula Notariorum *16. lib. 6.* quæ duo officia sæpe coniuncta videmus, vt *in l. 4. & 8. C. de aduoc. diuers. iud. in l. 1. ff. de mand. prin. in l. neque 61. C. de decur. & in l. 1. C. qui à prob.* idem apud *Sidonium Apollinarem lib. 5. ep. 9. Amm. Marcell. lib. 16.* qui laudat Procopium quandam Tribunum, ac Notarium; & apud eundem *lib. 17. in fine, & lib. 20. Dalmatius apud D. Ambrosium ep. 32. & in Nouell. Imper. Valentiniani de testamen.* Cæsarius nominatur vir spectabilis Tribunus, & Notarius. Et apud *Symachum ep. 36. lib. 10.* habetur, Fulgentius V. C. Tribunus, & Notarius. Item *ep. 39. eiusdem lib.* Itaque adhibitio V. C. Tribuno, & Notario Aphrodisio; cui post &c. Horum autem officium ab alijs præcitatis parum differre ostendit *Cassiador. in ead. ep. 4.* Ideo nostros Secretarios notarios etiam appellat ordo ille Regius anni 1500. de quo paulo infra; qui quidem notarij Principis habent nobilem militiam, & officium nobile

exercent. *l. 1. & 2. & ibi Bar. C. de primip. lib. 12. & Cassiod. d. ep. 16. lib. 6.* quod notandum esse pro Notarijs & Cancellariis principis dixit *Mart. laudens. de official. domin. q. 119.* Notarii verò dicebantur, qui notis quibusdam breuibus citissime notabant Martialis

*Currant verba licet, manus est velocior illis:*
*Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

Plin. item lib. 3. de Plin. seniori sic loquitur. *Ad latus Notarius cum libro, & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur &c.* item & alio loco de quo infra *num. 22. & 23.* vbi etiam plures simillimos adduximus. Pluribus notarij velocitatem Ausonius prosequitur eo carmine, cui initium: *Puer notarum praecipuum.* Huius inuenti exordium Plutarcus Ciceroni ascribit. *Hanc solam*, dicens, *Catonis orationem seruatam M. Tullio Consule velocissimos scriptores deponente, atque docente, vt per signa quadam, & paruas, breuesque notas multarum literarum vim habentes dicta colligerent: nondum enim reperti erant ij, qui Notarij appellantur: sed tunc primum huius rei vestigium ferunt extitisse. Nam postea Mæcenas notas quasdam literarum breuissimas excogitauit, & eas per Aquilam libertum multis publicauit.*

Notarios, Tranquillus, & Seneca Actuarios appellant, quod in acta referrent actiones, quæ in Senatu ad populum dicebantur. Longo expost tempore dicti sunt Notarii, quibus publica cura stipulandorum instrumentorum ab Imperatore commissa fuit. Lampridius eum Notarium, qui falsum causæ breue in consilio retulisset, Seuerus incisis digitorum neruis, ita vt nunquam posset scribere, deportauit. Dictos ergo Notarios à notis Hammonius credidit, quod & Paulus de testamen. milit. firmare videtur, inquiens. *Titius miles Notario suo testamentum scribendum notis dictauit. Et quod de breuissimis litteris diximus, deseruit optimè ad illam minutas, quas nos diximus appellationem.*

Alii putarunt Secretarii officium Quæstoris loco
12 accipi debere, nam vt iam diximus supra, Quæstores sacri palatii dicebantur, qui petitionibus, siue libellis subscribebant, decreta, siue decretationes, responsa, ac leges dictabant, & subnotabant, per *tex. in l. 1. de off. Quæst. in l. fin. C. de diuers. rescrip. & in auth. de exhib. reis § quia vero*, idem probat *Nouella 53. & 54.* & firmat Symachus ad Ausonium, inquiens. *Quæstor es, memini consilij Regalis particeps, fero, precum conditor, recognosco*, & alio loco. *Te magis Quæstura honos, & condendarum sanctionum vsus exercuit.* Huius etiam Quæstoris officium egregiè describit Cassiod. variarum pluribus in locis potissimum *lib. 6. ep. 5. & lib. 9. ep. 25. item & Symach. lib. 2. ep. 8 lib. 4. ep. 50. & lib. 5. ep. 52.* & habetur in *l. 2. C. de petit. bon. sublat. l. vlt. C. de diuers. rescrip. & in Nouell. Valentiniani de homic. casu aut vol. fac.*

Idcirco scribunt *Specul. de iur. omn. iud. vers. ma-*
13 *gis*, & *Guliel. Bened. in c. Raynutius de testam. in verbis vxorem nomine Andelasiam num. 195.* Cancellarium Franciæ subrogatum fuisse loco Quæstoris, de quo in allegata *l. Præcipimus C. de appellat. secundum glos. in verbo Quæstor d. l. 2. C. de petit. bon. sublat. lib. 10. vbi Bal. in 3. notab.* dicit tres esse Quæstores, vnum
14 qui sedet ad latus Principis, & eum illustrem, ad cuius officium pertinet subscribere se in rescriptis, & respondere viua voce aliquid implorantibus: alterum qui palatio Principis libris principalibus legendis vacabat, & eum non illustrem. Tertium, qui præerat capitalibus causis, & sententiis Principum legendis. Diuisionem hanc ipsam tradit *Azo in summa tit. de off. Quæst.* alia plura post hæc nuper scripsit *Io. Matienz. Dialog. p. 1. cap. 2. 3. & 4.*

Cancellarii munus egregie describit *Cassiod. lib. xi. var. ep. 6.* ab hoc Secretarii nostri non multum dissimile, omnino videnda.

Quæstor Cancellarius etiam dicitur. *Niceta 7.* 15
& Cancellarium, & Secretarium synonyma esse voluit *Bonus de Curtili in tract. de nobilit. part. 3. nu. 143.* quem sequitur *Gigas de crimine læsæ Maiestatis quæst. 21. num. 5.* Quæstoris partes nonnullas describit etiam *Tacit. xvi. annal. Oratio Principis per Quæstorē eius audita est*, vbi notāda sunt verba, *Quæstorē eius.* Dion. lib. 56. *Post testamentum Augusti Polybius quidā ex Cæsaris libertis recitauit, quasi non conueniens id à Senatore legi.* Et quidem ad Quæstoris officium pertinuit orationes Imperatorum, vt cetera Senatui nota facere ex *Suet. in August. c. 65. in Nerone c. 15. & in Tito c. 6. Spartiano in Adriano. Tacito lib. 16. Sidonio in Panegyrico, Vlpiano in d. l. 1. de off. quæst. Dion. lib. 60. in Claudio.* At corpus ei morbis obnoxium tremore capitis, & manuum laborabat, voce quoq; malè affecta: itaque non omnia ipse sua voce pronuntiabat, de quibus in Senatu referret, sed recitanda ferè Quæstori: idque passus ipse initio dabat: sedens plerumque ipse, si ita vsu veniret, recitabat, videndus est *tex. in l. prima ff. de off. Quæst. Tacitus lib.* 16
*annal. 13.* latè de Quæstoribus ærarii. Vbi & *Lipsius & Pancirol. in not. Imper. Orien. cap. 73. Iterum Tacit. 11. annal.* censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui Quæsturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctisque ciuium si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima iuuenta consulatū, ac dictaturas inirent. De Quæstoribus autem candidatis habetur *l. 1. ad fin. ff. de off. Quæst.* & apud *Lamprid. in Alex. Seuero, Tertull. in lib. de idolatr. & Cassiod. lib. 1. var. in 4. epist.* videndus est *tex. in auth. de mand. Prin. §. 1. & Procop. lib. 1. de bello Persico)* quod lex Curiata ostendit ab L. Bruto repetita, mā- 17
sitq; consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primùm Valerius Potus, Aemilius Mamercus 63. anno post Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent, mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Post lege Syllæ viginti creati supplendo Senatui, cui iudicia tradiderat. Et quanquam Equites iudicia recuperauissent; quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellę velut venundarentur a Vitelio; L. Vipsanio coss &c. 18
Iis Quæstoribus cura tabularum publicarum deferebatur, sed ab iis ad Præfectos fuit translata, & variè habita, ac sæpe immutata huius rei forma ex *eod. Tacito 13. annal.* Siquidem Senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles plebis delata fuisse author est *Liu. lib. 23. ab vrbe cond. Valer. & Horat. Coss.* antea enim arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque exinde vero ad Aerarium vt supra, & ex *Cicer. Philip. v. Suet. in Aug. cap. 36. & Capitolino in Gordiano.* Plu- 19
ra alia de iis Quæstoribus tum forensibus, tum ciuitatis tradit idem *Lipsius 4. annal. pag 202.* Ætas legitima Quæstorum quæ fuerit, scribit idem *Lips. annal.*

*ual. iij. pag.* 155. & Quæstores 40. à Cæsare factos tradit *Dion. lib.* 43.

20 Quæstoris officium ab illo Magistri scriniorum non multum differre probat *l. uniuersa C. de diuers. rescrip.* cuius hæc sunt verba. *Nam vir Magnificus Quæstor, & viri spectabiles Magistri scriniorum, qui sine præfata adiectione diuinum responsum dictauerint.*

Existimant alii Secretarii officium, cum officio
21 Scribæ antiqui conuenire, ex *Dionysio lib.* 11. Quibus dictis mandauit scribæ, vt recitaret S.C., & *Suet. in Galba cap.* 5. quos Principum à secretis erant, scribas Notarios vocauit, adest titulus de Primicerio, Secundicerio, & Notariis *lib.* 12. *Lamprid. in Alex.* eum Notarium, qui falsum causæ in consilio Imperatoris retulisset, incisis digitorum, neruis, ita vt nunquam posset scribere, deportauit. Spartianus in Diadumeno. Istæ literæ per Notarium proditæ, illi puero multum obfuisse dicuntur. Vopiscus in Valeriano, Menestheum quendam, quem pro Notario secretorum habuerat libertum. *Amian. lib.* 26. vbi de Iouiani Iuliani Augusti Notariorum primi nece, & paulo post de Sophoneo Valentis Notario præfecto postea Constantinopoleos. Et iterum *lib.* 30. habet Amianus Notarium Principis. Erant & Notarii tribuni, qui laterculum maius tractabant à Zenone spectabiles dicti in *l.* 2. *C. de primicer.* Erant etiam egregii scriniarii Principis, qui postea tribuni Notarii palatii creabantur, Ita *Cassiod. lib.* 4. *epist.* ad Senatum vrbis loquens de patre Cassiodoro. *Pater*, inquit, *candidati, sub Valentiniano Principe gessit Tribuni, & Notarij laudabiliter dignitatem, Honor, qui tùm dabatur Egregijs, cum ad Imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprahensionis vitium nequeat inueniri.* Scribas Quæstorios vocat *Suet. in Domitiano*, contra quos legem Clodiam emanasse scribit. Alia de Notariis supra sub *num.* 11.

Scribas fuisse qui notis acta Præsidum scribebant
22 testatus est Modestinus in *l. inter eos ff. ex quib. caus. maior.* eoque pertinet illud *Senec. ep. lib.* 14. *Quis loquar verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem lingua manus sequitur?* Suprascripto dissimilis non est alter locus. *Plut. in Cleomene*, ibi, *vix tandem per literulas respondere dignantur. Plin. item ep.* 1. *lib.* 6. *cùm se pro tribunali sedere, & litteras, sed illitteratissimas pingere scripsisset Attio Clementi*, subdit, *nihil agere, nihil scribere, aut assidenti sibi vacare, aut anxio libere, Catilio Senera nuntiauit.* Litteræ quidem ipse non admodum planæ scriptæ, sed incompositæ, & malè coagmentatæ, properantiam quandam scribentis indicabant. Is scriba cuncta, quæ pro tribunali diebus postulationum, & cognitionum agebantur, notis describebat, prætorique assidebat, qualem hunc Plinium aliquando fuisse ex hoc loco
23 coniicio. *Per litteras enim illitteratissimas, & litterulas quin notas.* Plin. & Plut. intellexerint nemo dubitabit, qui non ignorat notas non esse litteras Paulum respondisse in *l.* 6. *in fine de bon. poss.* Hos etiam
24 Scribas fuisse solitos Senatuscons. describere, quæ tacita non essent docet Capitol. in Gordiano his verbis. *Hunc autem apud veteres morem necessitas publicè repererunt, vt si fortè aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia capta consilia, vel aliqua constituere, quæ non primi oporteret dici, quàm effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanere S. C. tacitum fieret, itaut non scriba, non serui publici, non censuales illis actibus interessent, Senatores exciperent, omnium officia censualium, scribarumque complerent.* Et ex Cicerone pro Sylla. *Perscribunt in Senatu ex inferioribus gradibus tres sapientissimi, & altissimis mensibus prædicti Senatores, verum etiam prætores Populi Romani.*

Hos Censuales censeo Quæstores fuisse, ex his quæ supra de eis diximus. De scribarum seu tabellionum 25
officio optimè *Cassiod. lib.* 12. *var. Ep.* 21. vbi hæc inter cetera scibit. *Scribarum officium securitas esse solet cunctorum; quoniam ius omnium eius sollicitudine custoditur. Armarium ipsius fortuna cunctorum est. Et merito refugium omnium dicitur, vbi vniuersorum securitas inuenitur. Quotidiana diligentia dirimis iurgantium litem. Apud cunctos præsules de tua cura litigatur: & tu potius iudicas, qui causarum vincula dissoluis. Hoc honorabile decus, indisputabile testimonium, vox antiqua chartarum cum de tuis adytis incorrupta processerit, cognitores reuerenter excipiunt; litigatores quamuis improbi, coacti tamen obediunt. Et cum fas sit promulgatam sententiam suspendi, tibi non licet obuiari: Da petentibus quæ olim facta sunt. Translator esto non conditor aliorum gestorum. Exemplar, velut annulum, ceris imprime. Vt sicut vultus expressa non possunt signa refugere, ita manus tua ab authentico nequeat discrepare. Quod si te aliquis iniqua surreptione traduxerit, quemadmodum in alia causa tibi acquiescat credi, quem scit potuisse corrumpi? Impugnat te fraude sua, & facile conuincit, quem in vna parte decipit. Ama iustitiam, de qua nemo quæritur, vt etiam iratus, testimonium salubre possit dicere, qui te incassum voluit deuiare. Publicum est omni quod feceris; dum aut laudatus gratiam, aut accusatus inuenire possis offensam.*

De scribis qui Regi assisterent, locum potuimus 26
supra *glos.* 3. *cap.* 1. *num.* 28. alia tradit *Liu. in ij. & lib.* 11. de scriba Demetrii. *Eumenes etiam primò Philippi Regis scriba fuit.*

Quod autem in Senatu non solum scriberentur 27
senatusconsulta, sed etiam singulorum sententiæ, testis est *Lamprid. in Alex. Seuero* his verbis: *vt non minus in consilio essent sententia, quum Senatusconsultum conficeret; & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quod quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque prius quam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* Idem scribit *Plut. in Catone Vticensi* 25. *& seq.* vt scriberetur per scribas quid Senatus censuisset, moxque per Senatum decretum fieret, & comprobat Suetonius in Claudio, dum inquit, *Item scribam quæstorium, itemque pratura functum Senatores inauditos & innoxios relegauit. Ex quibus quidem verbis colligi* 28
*potest, scriba & quæstoris officium vnum, & idem fuisse.*

Scribas antiqui proprio nomine & poetas, & librarios vocabant, postea dicti scribæ librarij, qui rationes publicas scribebant in tabulis, vt scribit *Festus lib. xvij.* & habetur apud *Plut. in Catone Censorino.* Alius librarius, alius scriba, ex *Cicerone ad Atticum iij.* Ornat eos apparitoribus, scribis, librarijs, præconibus Architectis; & ex sacris litteris *Hester c. viij.* Accitis scribis, & librarijs scriptæ sunt epistolæ. *Et c. iv.* eiusdem, vocati sunt scribæ Regis, & scriptum est, vt iusserat. Deseruit etiam locus *Lampridij sub num.* 4. hic relatus.

Dicuntur librarij, scriptori, copisti, qui & præscribunt, quæ ab alijs iam scripta sunt, aut voce dictantur. *Cicero in orat. contra Rullum*, Lex in publicum proponitur, concurrunt iussu meo omnes vno tempore librarij, descriptam legem ad me afferunt, vel scribunt, quæ eis exhibentur transcribenda. Idem *Cic. in Ep. Famil.* Sed peto à te, vt quam

quàm celerrimè librarius mihi mittatur, maximè quidem Græcus, qui mihi ſcribat Hypomemata. *tex. eſt clarus in l. ſi librarius ff. de reg. iur.* & locus apud *Liu. lib. xxxviij.* talis habetur. Pn. L. Scipionem malim quidem librarij mendum, quàm mendacium ſcriptoris eſſe. *Horat. in arte Poet.*

*Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius vſque,*
*Quamuis eſt monitus, venia caret.*

Librarius quoque à Tranquillo in Iulio Cæſare pro actuario accipitur, inquiens, *Orationes aliquot reliquit, inter quas temerè quædam fertur pro Q. Metello, quam non immerito Auguſtus extenuabat, magis ab Actuarijs exceptam malè, ſubſequentibus verba dictantis, quàm ab ipſo editam.* Idem & Seneca probat. Multum viua vox facit, non quidem quæ alienis verbis commendatur, & actuarij vice fungitur. Arguit *Symach. ep. xviij. lib. 1.* incuriam librariorum, qui in conſcribendo Pliniano opere plurima interpolauerint. Quamobrem optimo conſilio Diuus Hieronymus in fronte Chronicorum à ſe translatorum adiurat librarios, vt quod exſcripſerint, cum authentico diligenter conferant, & emendent, eiuſq; genus adiurationis in eum codicem transferant, quem tranſcripſerint, vt nimirum cautiores fiant librarij.

Conſtitutio noſtra infra *tit. de Notarijs pub. cap. fin.* ſcribas vocat eos, qui reſcripta & litteras ſcribunt, vt ſunt Cancellarij, & Coadiutores Senatus.

29 Multitudinem ſcribarum & temeritatem arguit *Plut. in Cleomene*, ibi, *non ſcribarum multitudinem, qui diu multumq; rogati, vix tandem per litterulas reſpondere dignantur.*

Ideoq; reperies ſparſim Quæſtorios ſcribas, Ædilitios, Prætorios, cenſuales, ſcribas Regis, Ærarij, Tabularios, a manu, & eiuſmodi, vt etiam per *Suet. in Iulio Cæſare.* Philomonem à manu ſeruum, qui necem ſuam per venenum inimicis promiſſerat, non grauius, quam ſimplici morte puniuit: quod & Vopiſcus in Carino comprobare videtur his verbis. *Faſtidium ſubſcribendi tantùm habuit, vt impurum quendam, cum quo ſemper meridie iocabatur, ad ſubſcribendum poneret, quem obiurgabat plerumque, quod benè ſuam imitaretur manum.* Adeſt etiam *tit. de tab. ſcribis.* vbi *in l. 1.* ſcribæ dicuntur Tabularij, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis.

30 Horum autem ſcribarum ordo Romæ latè fuſus, & non inhoneſtus erat, multumq; valuit cum gratia, tum auctoritate. Is etenim ordo induſtriæ præpoſitus & dignitati, & eorum hominum fidei tabulæ publicæ, & Magiſtratuum pericula committebantur, vt iam oſtenſum eſt. Habebant autem ſuas ſcribæ, quemadmodum & iudices, Decurias, & ex ijs ſorte ducebantur, qui partim Vrbanis Magiſtratibus, partim prouincialibus, in miniſterio erant. In Decurias autem à Magiſtratibus legebantur. Quæſtorij quidem à Quæſtoribus, Prætorij à Prætoribus, Ædilitij ab Ædilibus, vt colligitur ex oratione Ciceronis pro Cluen. in verbis. *Nuper hominem tenuem ſcribam Ædilium D. Matrinium cùm defendiſſem apud M. Iunium, Q. Publicium Prætores, & M. Prætorium, C. Flaminium Ædiles Curules: perſuaſi, vt ſcribam iurati legerent, eum, quem ijdem iſti Cenſores ærarium reliquiſſent.* Sic etiam ex Liu. lib. 40. *Q. Petilius Prætor Vrbanus ſtudioſus legendi eos libros à L. Petilio ſumpſit, & erat familiaris vſus, quod ſcribam eum Quæſtor Q. Petilius in Decuriam legerat.* Liberti autem, & alij eum ordinem certo pretio emebant, vti à Cicerone accepimus iij. & v. in Verrem, in verbis. *Ad eos me ſcribas reuoca, noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, ac ſcenicorum corrolarijs, cum decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordinem ciuitatis ſe veniſſe dicunt.* Et paullo poſt de eiſdem. *Mirabimur turpes aliquos eſſe in eo ordine, quo cuius pretio licet peruenire.* Idem quoque firmans Probus Æmilius, ibi, *ſcriba, ij diuiſi per decurias erant*, & Suet. in Claudio cap. vij. *Corpus eius per municipiorum coloniarumq; primores, ſuſcipientibus obuijs ſcribarum decurijs, ad vrbem deuectum.*

In magnis ſcribarum ordo, vti probatum eſt, reipub. negotijs verſabatur; nam poſt Senatores, Equites, & Tribunos ærarios facile primum locum tenebat, vt ex Ciceronis in L. Catilinam inuectiuis colligere licet, præſertim cum etiam *Plin. lib. 26. c. 1.* ſignificet, Equites Romanos ſcribarum officio functos, quod ex alij etiam manifeſtum reddimus ſupra. Adeo vt mirandum ſit equidem, Æmilium Probum hunc ordinem & vilem, & abiectum traducere auſum fuiſſe. Alia plura de hac re, potiſſimum de ſcribarum officio ipſiuſq; præſtantia attulit *Ian. Langlæus Semeſtrium lib. vij. cap. xiv. verſ. ſed cur non alius potius pag. 435. & ſequent.* vbi inter cetera docet, primarios Senatores munere ſcribæ vſos ſæpe fuiſſe, plurimoſq; alios ex hoc ſcribæ miniſterio ad ſummas dignitatis euectos. Veluti Iouianus, qui ex ſcriba Principis (vt ait *Euſebius in chron. & Alciat. in rub. de primic.*) factus eſt Imperator; Cornelius Sylla in Dictatura Cæſaris Prætor Vrbanus; ſicut & Manitius, qui ex ſcribis Præneſtinorum prætor facti ſunt, vt de primo teſtatur *Cicero de off. lib. 2. & Saluſt. in orat.* Lepidi, & de ſecundo *Liu. lib. 23.* Sunt etiam qui dicant, Mortuo Bubellio Romani exercitus duce, M. Cæſium eius ſcribam Imperatorem à militibus delectum. *Valer. Max. lib. 2. tit. de diſcipl. milit.* Nec deſunt, qui dicant, Diocletianum Cæſarem ſcribæ filium fuiſſe. Sic enim voluerunt *Eutrop. & Pompon. læt. in Dioclet.* Cn. quoque Flauio ſcribæ miniſterium non obfuit, quominus Ædilis Tribunuſq; plebis, & Senator fieret; vt habetur *in l. 2. §. poſtremo ff. de orig. iur.* & apud *Liu. lib. 9. ad finem, Gell. d. c. 9. lib. 6.* quamuis ſcriptu ſe abdicauerit, vt ædilitatem conſequeretur, quod vtrique muneri par eſſe non poſſet.

Scribas Romanum Senatum habuiſſe ex ſupraſcriptis manifeſtè patere poterit, eoſq; conficiendis Senatus actis, recitandiſq; S. C. operam dediſſe, quod etiam ab *Aſconio in arg. orat. pro Cornelio habetur.* Cum trib. pleb. legem ferre vellet, ne quis per populum legibus ſolueretur, Publiuſque. Seruilius Globulus eius collega ſcribam ſubijcere, & præconem recitare prohiberet, codicem ipſum arripuiſſe, & P recitaſſe. Idem de Catone aduerſus Metellum, vbi ſcriba legem manu tenens per Catonem legere prohibitus eſt, teſte *Plut. in Catone Vtic. & Dione lib. 43. Cic. 5. in Verrem. Da quæſo ſcribæ, recitet ex codice, recta edictum de profeſſione.* Quibus conſentaneum eſt, quod Suidas tradit, grammatea, & antigraphea eadem ſignificatione eſſe, primumque acta Senatus recitare ſolitum, alterum tranſcribere. Tametſi ſubiiciat alterum fuiſſe in Senatu, alterum in publica adminiſtratione obſeruanda: nam ſtatim ſubdit, ſcribas fuiſſe numero 31

tres, quos Romani à secretis dicunt, qui acta Senatus sanctiora transcribebant, scribebantque. Sed nimium fortasse de scribis.

32 Referendarii alii vocati sunt, quorum munus, vt ait Procopius *lib.* ij. de bello Persico supplices libellos Principi explicare, eiusque responsionibus interesse: Ita etiam Iustinianus Nouella xi. de referendi, vel qui iudicum consultationes insinuabant Principi, & responsa data consulentibus mittebant. *Theodos. in l. 2. C. de off. eius qui vic. alter. iud. vel praef. Instit Nouell. 10. seu auth. de Referend.* inquit, *Nos vt multis opitularemur per referendarios singulorum petitiones dicentes, qui multos nobis introducentes supplicantes, multis etiam petitionibus sunt vsi.* Referendarios *dixit Iacob de Beluis. in aut. de defer.* fuisse eos, qui petitiones indigentium cum honestate coram Principe legebant, & eum sequitur *Mart. Laudens de offic. domin qu. 59.* & clarius *per Cassiad. lib. 6. ep. 17.*

Postremo, vt proprium nomen attingamus, à secretis dicebantur, qui praeerant secretis Principis,
33 quique teste Budeo ab ore Principis imperia recipiebant diplomatum scribendorum, dictorumque quae in consilio selecto decerni solebant.

Eos igitur Quaestorios scribas, libellorum Magistros, Referendarios, & id genus Secretarii repraesentabunt ex praedictis potissimum, quia sicuti ij omnia nomine Regis peragebant, teste *Procopio lib. 1. de bello Persico*; ita etiam nostri Secretarii, ex quo libelli, non Senatui, sed Regiae Maiestati inscribuntur; & rescripta quaeuis, omniaque decreta sub nomine Regis emanant. Scribunt etiam decreta ipsa Secretarii, prout & Quaestores facere tenebantur ex ipsa *auth. de mand. Prin. § 1. & edicto 19. Iustiniani §. 1.* qui dixit edicta, siue decreta, & mandata Praesidibus danda ab ipsis Quaestoribus conscripta fuisse, & composita, quod etiam probatur *in l. vlt. de man. prin. & in l. penul. de diuer. rescrip.* Ea quoque subscribunt mandata, & rescripta Secretarii, quemadmodum & Quaestores consueuerunt subscribere, *d. auth. vt*
34 *dium. suff.* Praesunt insuper Secretarii Cancellariis, & adiutoribus multis, vt infra paulo ostendemus, sicuti praeerant Quaestores, & libellorum magistri. *l. comperimus C. de prox. sac. scrin.* cum aliis multis. Demum haec omnino comprobantur ex iuramento, quod Secretarius in ingressu officii sui praestare tenetur, quod est huiusmodi. *Iuro me fidelem futurum N. P. Regi Duci Mediolani, munus Secretarij fideliter, & legaliter exercebo, Ordines & Constitutiones Senatus factas, & quae fiens, seruabo: Scripturas, quae ad manus meas peruenient, diligenter custodiam. Quae secreta tenenda erunt, non enuntiabo. Senatus mandata diligenter, & fideliter exequar. Ab illicitis, & indebitis abstinebo.* Multa alia circa iuramentum huius ferè tenoris tradit *Petr. Gregor. Syntag. iur. cap. 29. lib. 47.*

35 Haec sunt, quae circa horum Secretariorum officium adduci posse arbitrati sumus; aliqua sanè ex parte vera, verius tamen existimamus licere nobis ea tantum contemplari, quae eisdem Secretariis fuerunt à Regia Maiestate concessa, prout etiam de ipsis Senatoribus diximus in *glos. seq c. 27.* siquidè sicuti Secretarii, & Cancellarii officium multis sub appellationibus olim contineri docuimus supra, nimirum vt aliquando diceretur Secretarius, Notarius secretorum, aliquando epistolis, & libellis praepositus, aliquando a manu, siue ad manum, aliquando Quaestor, & modo censualis, Amanuensis, Magister libellorum, Magister Admissionum, Referendarius, à secretis, & aliquando scriba Regis, vt ex *Liuio in 2.* his verbis: *Cum militibus stipendium forte daretur, & scriba cum Rege sedens pari ferè ornatu multa ageret, &c.* ita etiam minorem, maioremue, ac diuersam obtinuerunt ij potestatem, & auctoritatem.

Atque ideo multum differre Secretarium Regis, qui ad latus ipsius assidet, ab hoc Senatus nostri: potissimum quia eius loco habemus Magnum, siue Supremum Cancellarium, qui & munere Quaestoris, & aliorum vtsupra vtitur. Non etiam Quaestoribus ipsis, aut Referendariis aequiparari poterunt, qui & candidati erant, vt diximus, & iudicia Principis exercebant nomine, dicente *Procopio d. lib. 1. de bello Persico. Tribonianus Pamphylius Imperatoris Paredrus, idest assessor, quem Magistratum Romani Quaestorem, Latini Iureconsultum vocant;* rursus idem *Procop. eod. lib tunc Imperatoris Paredrus erat, Magistratum Quaestoris appellati gerens* (qui quidem Senatoris munus magis repraesentat ex his, quae *Pancirolus in notitia Imper. Orient. cap. 72.* in fine congessit, quàm alius Magistratus) Hanc ipsam differentiam dignoscimus ex Constitutione Senatus, tum Regis Francisci, tum Ducis Sfortiae, de quibus paulo infra, & item ex aliis, quae tradunt *Budaeus in tit. de off. Praefec. prat. Cassan. in Catal. glor. mun. par. 2. consider. 7. vers. hac Bud. & consider. 17. & Petr. Gregor. in d. Syntag. iur. par. 3. lib. 7. cap. 29. Matienz. in dialog. cap. 1. p. 1.* Non enim ad latus Senatus Secretarii sedent, nec respondent libellis, aut petitionibus, non etiam quid è repub. fit consulunt; nec annulum, siue sigillum custodiunt, nec alia, quae Quaestores, & alii, de quibus supra faciebant, exercent.

Erit igitur attendendum quid circa horum Secretariorum officium scriptum, vel vsu approbatum fit. In Constitutione autem illa priori anni 1499. haec habentur. *Item quoad Cancellariam statuimus, & ordinamus, quod in dicta Cancellaria nostra erunt decem Secretarij per nos ordinandi, qui in causis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, processus, acta, ordinationes, & approbamenta dicti consilij conficient, & subscribent, & vlterius signare habebunt omnes litteras deliberatas, & ordinatas per dictum Cancellarium, qui tenebit dictum Sigillum, & Consiliarios cum eo deputatos, postquam dicta littera fuerint in causa per alterum Consiliariorum subsignata.* Et paulo infra. *Et tenebuntur dicti Secretarij ante dictum suorum officiorum exercitium in manibus praefati Cancellarij iuramentum solemniter praestare, secundum qualitatem, & naturam suorum officiorum, & quod ei praestabunt, & obediens tamquam eorum iudici, & immediato superiori.* Rursus. *Ordinamus praeterea, quod dicti Secretarij tenebuntur, & iurabunt signare dictas litteras, quas composuerint, & tam expeditas per Senatum, quam Cancellarium absque eo, quod aliquid à partibus occasione dictae signaturae recipiant.* Hactenus Constitutio. Alia plura in ordine Regio anni 1500. habentur: Illudque in primis, vt expeditiones factas super supplicationibus à Senatoribus, & D. Cancellario faciat Secretarius, atque supplicationis exemplum sibi à parte dandum, & decretationis eiusdem manu sua penes se pro registro teneat. Item prouisiones solitae, & communes,

ficuti faluiconductus, fi tres partes ex quatuor, fufpenfiones de confenfu partium, & aliæ fimiles, poffint etiam fine fupplicatione, & decretatione ipfius fupplicationis per Secretarios fieri in forma confueta. Item ordinationes omnes, quæ fignabuntur per fecretarios. Item Secretarii habebunt duo regiftra communia, quæ conferuabunt in Curia, & Archiuio Senatus, cuius Archiuii quilibet Secretarius habebit clauem, & poterit quilibet Secretarius regiftrare in eifdem regiftris, prout iuffus fuerit. In quorum regiftrorum vno regiftrabuntur omnia priuilegia, & Regia, & Ducalia, quæ interinabuntur, feu verificabuntur in eodem Senatu iuxta formam erectionis ipfius: & pariter literæ tūc directæ, & dirigendæ Senatui per Regiam Maieftatem, feu Locumtenentem Generalem, & per ipfum Senatum Maieftati fuæ, feu Locumtenenti fuo, vel alteri; & ordinationes, quæcumque Decreta omnia prædicta ipfius Senatus, quæ refpiciant publicum bonum, publicaque negocia, vel fi tale intereffe. In altero vero regiftrabuntur omnes ordinationes, decreta, & prouifiones, quæ fient inter priuatos, feu recipientes intereffe priuatorum fine figura iudicii, & forma proceffus, vt puta fuper fupplicationibus, vel propofitionibus factis in Senatu partibus auditis. Forma autem regiftrandi erit talis. Anno & die tali &c. Auditis partibus, fi fuerint auditæ, in aliis fimpliciter, Senatus decreuit &c. Et renouabuntur libri regiftri fingulo femeftri, & pro fcriptura dicti regiftri in concernentibus particularium commodum, foluat pars ad cuius inftantiam, vel commodum prouifio regiftrata expedita fuerit ipfi regiftranti pro fingulo margine continente vigintiquatuor lineas communes foldos duos imperiales pro litteris, quæ verificantur, feu interinantur; pro alijs autem ordinationibus, non foluatur nifi cum fit expeditio tradenda parti, quæ fi fiat cum figillo, foluatur taxa figilli, fi cum fignatura Secretarii, medietas dictæ taxæ, fi fine fubfcriptione, foluatur pro fcriptura vtfupra.

Item Secretarius teneatur habere librum, in quo annotentur omnia acta, quæ fieri contingent in qualibet caufa particulari, à principio vfque ad finem fuis locis, & diebus, ac etiam productionem iurium faciendam per partes, feu alteram earum, quā productionem iurium teneantur partes portare extenfam, & nihilominus quandocunque vna pars ab altera fuerit requifita, vel à Senatu, quod inftrumēta & iura producta exhibeat; teneatur illa exhibere, vt parti detur copia, vel Senatus ea videat, fi videre voluerit &c

Item quod nullus Secretarius poffit difcedere de ciuitate fine licentia D. Cancellarii, & cafu quo habuerit licentiam, teneatur relinquere vnum alium ex Secretariis loco fui, cui dimittat regiftra, & acta, quem nominabit D. Cancellario, vt fi contingat partes velle in caufa procedere, non differantur expeditiones partium pro abfentia Secretarii.

Item Secretarius, feu notarius caufæ de ipfo decreto citationis, & relatione nuntij faciat regiftrum.

Item, fi vero fit imperitus (Nuntius vel Hoftiarius) faciat relationem Secretario caufæ fpecificando diem citationis &c. Item referat ipfe nuntius Secretario, & notario caufæ modo, quo fupra.

Item, Actor, vel reus, qui voluerit contumaciam partis aduerfæ accufare, in termino præfixo compareat coram Secretario, & Notario caufæ, & defcribi faciat in actis per ipfum Secretarium comparitionem fuam, vtfupra, & contumaciam partis aduerfæ fi fe non præfentauerit &c. Item & refponfio per reum redigatur in fcriptis per Notarium caufæ &c.

Item & teneantur partes infra triduum inftare cum Notario caufæ, quod acta completa, & proceffum in manibus auditorum, vel auditoris ponat; Dictufque Secretarius teneatur illa fic completa, & perfecta dictis Auditoribus exhibere infra eundem terminum.

Item, & præfatus D. Cancellarius, vel Præfidens vtfupra teneatur concludere à pluralitate opinionum, debetque notarius caufæ dum proceffus recitabitur, & vota exquirentur, negociumque difcutietur vtfupra intereffe: reliquis vero Secretariis exclufis, & facta conclufione regiftrare in modum, qui fequitur. Die tali &c. præfentibus in Senatu &c. in tali caufa &c. conclufum fuit &c. & deinde inferere notulam dandam per Relatorem vt infra proxime &c. Item pariterque D. Cancellarius, vel Præfidens in eius abfentia fignabit, & dabit in manibus Secretarii regiftranda vtfupra in præcedenti articulo, & poftmodum publicanda partibus, vel ad expediendum ordinationem ipfam in forma, quam notulam teneatur Secretarius feruare in camera deputanda pro Archiuiis feruandis.

Item, Secretarii tamen tenebuntur in diebus audientiæ ponere in fcriptis nomina, & cognomina petentium audiri die præcedenti ipfam audientiam, & hoc fiat per vnum ex Secretariis fingula hebdomada mutandum, qui Secretarius de fero teneatur dare dictam cedulam D. Cancellario qui iubeat eos introduci, & admitti ad audientiam, quos voluerit. Verum defcripti in dicta cedula, qui non poterunt audiri illa die, in fequenti audientia erunt primo loco defcribendi, & præponendi aliis, nifi aliud D. Cancellarius ex caufa arbitrabitur.

Item, habebit Senatus locum conuenientem pro publicis audientiis, vbi proponentur caufæ, accufabuntur contumaciæ, proferentur fententiæ, fi quæ erunt proferendæ, quæ proferentur nomine Regio, & legentur per Secretarium, qui fuerit Notarius caufæ. Rurfus, verum Sententia ipfa diffinitiua expedietur in carta membrana fub figillo Regio. In aliis autem ordinationibus, feu interlocutoriis fuper incidentibus, vel emergentibus ad caufas ipfas fufficiat fubfcriptio Secretarii modo quo fupra abfque figillo.

Salarium autem foluendum ipfis Secretariis, & Notariis caufarum in Senatu agitandarum, fit ad inftar falarii confueti recipi per Notarios banci, qui acta conficiunt in præfenti ciuitate Mediolani, & pro Sententiarū prolatione habeant vnum pro centenario, videlicet medietatem a qualibet partium valoris rei de qua agitur; ita tamen quod fumma centum ducatorum pro prolatione vnius fententiæ ab vtraque parte exigenda non excedat.

Item, & de huiufmodi decreto citationis, & editionis fiet regiftrum per Secretarium, qui legerit ipfas litteras &c. Item & dabuntur literæ Senatus annexæ fub paruo figillo Regio: In dorfo vero ipfarum litterarum fcribatur per Secretarium. Lecta, publicata, & regiftrata in Senatu die tali &c. & regiftrabuntur ipfæ literæ cum omnibus fequutis prout in fuperioribus eft expreffum. Hactenus ordo ille

le Regius quæ quidem in eo contenta, non videntur omnino vſu recepta potiſſimum quia ab ipſo Duce Sfortia II. Septem fuerunt conſtituti Secretarii, & nunc dumtaxat ſex ſunt, & ex ordinibus Senatus diuerſa quædam ab iis ſtatuta videntur, vt ex eis.

Etſi Secretarij quotidie in oculis Senatus verſantur, ideoque caſtigatione minus egere debent; attamen in his ordinibus prætermittendi non ſunt.

Secretarij officium ſuum laudis, & honoris, non alterius cuiuſquam rei certamen eſſe ſciant: quamobrem diligentes, & aſſidui ſint: fidemq; ſtudioſiſſime colant. Secreta Senatus nominis ſui memores nequamquam euulgent, & ordines alias editos obſeruent.

Qui eorum hebdomadarius fuerit, ſummo mane conueniente Senatu adſit, & poſt Senatus diſceſſum hora ſaltem in Cancellaria maneat, & cum eo alius, is videlicet, qui hebdomada ſucceſſurus eſt.

Qui Ticinenſis Academiæ curam gerit, onus ſuſtineat ſcribendi ad Reg. Maieſtatem, alioſque Principes, quotieſcunque oportuerit: itidemque cauſas confinium tractet cum Senatoribus ad id deputatis, deputandiſvè; quouſque aliud ordinatum fuerit.

Nullis expeditionibus Secretarij ſubſcribant, nec etiam diebus feſtis: niſi ab admiſſis in Cancellaria ſcriptæ, & Theſaurarij manu ſubſignatæ fuernit: nullis etiam literis abraſis, maculatiſvè, aut aliter deformatis.

Literarum criminalium minutas, quas ſecretas eſſe oportet, ipſi faciant; vel ab alio fido dictantes ipſi ſcribi curent, & oſtiarijs tradant, quò oportuerit deferendas.

Vnum tantùm ſibi ſcriptorem, iuxtà alias ordinata, ex approbatis, & admiſſis, ſinguli eligant, niſi Coadiutorem maluerint: nec acta ſua per aliorum manus ambulare, aut tractari permittant.

Neminem ex ijs, qui vel approbationem gratiæ, vel aliter liberantur, aut è carcere dimitti iubentur, relaxari faciant: niſi approbatione, vel abſolutione, vel alia ordinatione à Præſide, Propræſidevè ſubſignata.

In audiendorum indice non vltra ſeptem, & non, niſi habita relatione monitionis aduerſariorum, deſcribant, ea cautione, vt qui prius obtinuerint, & inſtiterint, prius deſcribantur. Deſcriptorum ordinem mutare, aut deſcriptum quempiam delere non audeant: niſi Præſidis, aut Propræſidis auctoritate accedente.

Qui ſecus, quam his, & alijs ordinibus ſtatutum eſt, fecerint, præterquam quod Senatus gratia excident; pœnas etiam dabunt, quas Senatus ipſe arbitratus fuerit.

In his igitur munus ſuum exercere tenebitur Secretarius, & ijs, & alijs de quibus infra in §. ſequen. fruitur prærogatiuis.

Et cum Secretarius eligatur à Regia Maieſtate, erit in dignitate conſtitutus, ex his, quæ habentur
37 *in l. nemo præfectus in fine C. de dignit lib. 12. à Boer. deciſ. 122. Caſſan. catal. glor. mun. par. 6. conſider. 9. & 27. & p. 8. conſid. 19.*

Ne aliquid intactum relinquamus, erit etiam
38 aliquid de nomine ipſius Secretarij a nobis dicendum. Secretarius a ſecreto appellationem ducit teſte *Alber. in diction. in verbo ſecretorum ſecreta*, hoc eſt, vt pro ſui officij munere mandata ſecreta teneat, neque à ſe audita detegat, vel reuelet ſecundum *Procop. lib. 1. de bello Vandalico*, dicentem, *Domeſticum Romani arcanorum ſocium appellant, is hodie Secretarius vocatur*. Hoc etiam tenuerunt *Aſſlic. in c. 1. num. 21. quib. mod. feud. amit. Carau. tit. 3. num. 13.* & alij quos adducit *D. Menoch. de arb. iud. lib. 2. cent. 6. caſu 537. num. 3.* Vopiſcus in Aureliano hunc notarium ſecretorum vocat. Et *Symachus ep. 36. lib. 10.* ſic ait. *Nam cum examinandos actus Baſſi Præfecti Vrbis poteſtas Vicaria ad Secretarium commune perdidiſſet, &c.* Et paulo infra. *Quod cum ſibi Fulgentius V. C. author contumelia mea inuidioſum putaret ad circi Secretarium conuolauit factam illicitè volens præſtare rationem.* Rurſum ibidem. *Hic iuſſu eius ad commune Secretarium, quò facienda obligationis gratia ſummates quoſque conduxeram; ita vt colligere licet plures extitiſſe Secretarios, eoſq; diuerſorum Magiſtratuum.*

Dici etiam poteſt Cancellarius à cancellando, quia reſcripta, & decretationes extenſas corrigit, & emendat, vt per *Guliel. Bened. in d. c. R aynutius de teſtam. in verbis & vxorem nomine Andelaſiam num. 593.* poſt *Luc. de Penna in l. neminem C. de de cur. num. 3.* adeſt *tex. in l. 1. C. de man. Prin. & in l. 4. C. de aduoc. diuerſ. iud.* Is etiam dicitur Cancellarius propriè, qui acta, geſtaq; repoſita penes ſe habet, ſecundum *Hugon. & Archidiaconum in c. Hadrianus 63. diſtinct.* quos loco proxime citato ſequitur *Luc. de Penna.*

Eius etiam Secretarij officium eſt, ne è cancellaria exeant litteræ malè formatæ, imperfectæ, & 39
minus ſolemnes, (ſunt enim Secretarij cancellariorum, ſcriptorum, coadiutorumq; veluti obſeruatores, diſpunctoreſq; eorum, quæ tranſcribunt illi; ita vt etiam verbum omiſſum, mutatum, alio translatum, aut ab ijs celerrime additum poſſint Secretarij euertere, inque contrarium trahere, vt cum Senatus menſe conueniant;) ita *Io. Montaig. in tract. de auct. magn. conſ. ſub num. 8. in fine, & ſub num. 10.* ait, *poſſe eundem litteras patentes de iuſtitia, vel gratia ſibi præſentatas ob malam eorum litteraturam, & verborum conceptionem lacerare.* Propterea rectè *Bald. in c. ad audientiam 1. de reſcrip.* dixit Scriptores Cancellariæ debere eſſe valde peritos in arte gramatices, licet hoc raro euenire ſoleat. Eius etiam Secretarij curæ eſt, quid circa decreta Senatus, ſententias, epiſtolas emergat, admonere: dictat reſcripta, & epiſtolas, adnotationes extendit quaſdam, ab alijs dictata legit, corrigit, & ſubſcribit; Et cum opus eſt partibus edit. Cauere debet, ne contra ordines, vel id, quod oportet, reſcripta dictentur, eliciantur ve. Libellos tandem, vna cum decretis, epiſtolas, ſententias, aliaq; acta, & ſcripturas, quæ ad ſui manus perueniunt curat, & cuſtodit, & prouinciæ ſibi delatæ diligenter incumbit. Hæc ferè deſcripta reperies *in l. comperimus C. de prox. ſac. ſcrin. l. 12. & in l. Præcipimus C. de app.* De Theodoſio inconſideratè ſe reſcriptis & libellis ſubſcribente ab Pulcheria ſorore admonito ſcribit *Zonar. Annal. tom. 3.* his verbis. *Litteris ille certè quidem inconſideratè ſubſcribere dicebatur. Quod ne fieret, viq; litterarum ſententiam conſideraret, ab illa admonitus, affirmabat, à nemine ſtrui ſibi fraudem, & ſcire ſe quid littera continerent. Quare illa ad ſocordiam fratris coarguendam huiuſmodi commento vsa eſt; Nomine illius ſyngrafa componit, qua ſibi Eudocia Auguſta venderetur, eaq; ceu aliud quiddam eſſet Imperatori oblata, efficit vt ſubſcribat. Deinde Eudociam*

ab

*ab illo accersitam abire non sinit; quæsitaq; retentionis causa, profert syngrapham: itaque eum conuincit eum subscribere plurimis, quæ neque norit, neq; etiam fortasse fieri velit.*

40 Horum est etiam Secretariorum officium, vt præsint cancellarijs, & scribis, siue librarijs, qui diplomata scribunt: adsunt enim cancellarij sex, quorum vnus Thesaurarij munus exercet; Coadiutores, siue Adiutores numero septem, Receptor prorogationum vnus; & duodecim scriptores; quorum omnium munus, quod fit hoc tempore; cum hæc anno 1608. scriberem non est fortasse alienum breuiter dicere, quò si meis hisce scriptis dabitur, vt viuant; intelligatur quid in præsentia in Senatus Mediolani cancellaria circa negotia obseruetur.

41 Vnus semper Secretarius, siue mane, siue à prandio, siue in curia, siue in domo Præsidis conueniat Senatus, adest ipsi Senatui in hunc modum; vt, quando vnus adfuit per hebdomadam, qui eum sequitur in ordine, alia hebdomada seruiat, & sic gradatim donec tota confecta sit. Quod idem seruant Cancellarij, & Coadiutores. Secretarius hebdomadarius, si quid legi vult in Senatu Præses, ipse legit stans aperto capite ad leuam Præsidis. Si quid etiam mandat aliquis ex Senatoribus legi, cùm ipse Senator suum habet tempus legendi, vt diximus supra *glos.* 4. *cap.* 10. & infra *glos. 6. cap. 9.* itidem ipse legit.

42 Quando etiam fiunt relationes generales coram Gubernatore in Senatu, quod bis in anno fieri consueuit, semel aduenıente Paschate Resurrectionis Domini nostri, iterum adueniente Natiuitate eiusdem D.N. ipsi omnium detentorum in carceribus Mediolani legunt. (Vtinam Claudium sequerentur, qui teste Zonara, eos qui in carcere vincti erant accuratè explorare consueuerat: per calumniam delatos dimittens, sontes supplicio afficiens) imputationes aperto capite stantes, sed non in loco, vbi absente Gubernatore stare consueuerunt, sed post tertiam, aut quartam sedem Senatoris sedentis; Ita vt qui interfuit Visitationi carceratorum in officio Capitanei iustitiæ à dextris, prior; qui verò interfuit visitationi carceratorum in Prætorio à sinistris, & posterior legit. (supradictis etenim temporibus antequam fiant relationes, visitantur omnes carcerati; nimirum in officio Capitanei à duobus Senatoribus præsente Secretario, vt diximus in *glos. proxima cap. 1. in fine*, qui de ordinationibus rogatur, & carcerati in Prætorio à duobus alijs Senatoribus, præsente itidem altero Secretario.) Et Secretarij legentes vtsupra respiciunt Gubernatorem sub vmbrella in capite mensæ sedentem inter Senatus Præsidem, qui à dextra in reclinatoria sede ex duobus facta obicibus, siue reclinamentis, & supremum Cancellarium à sinistra in sede simili illi in qua sedet Præses, sedent. Nam Senatorum sedes, etsi sint reclinatoriæ, vnicum tamen habent raclinamentum. Et de his omnibus, quæ statuuntur siue præsente Gubernatore, siue absente præmissi Secretarij rogati sunt. Præsente Gubernatore dictant illicò suo Cancellario, qui eis præsto est, cum altera notula omnium carceratorum, & quorumcunque decretorum, in eorum visitatione factorum.

Alijs vero diebus, vbi legere cessarunt, dum aut à Senatoribus referuntur causæ, aut Aduocati audiuntur, decreta facta scribunt, nisi sint longiora, & plura, quam eo tempore scribi possint, adeout quandoque vsquead decem, & duodecim decreta sint describenda, ex quo idoneitas hominum cognoscitur. De ijs, quæ referunt Senatores aliquando ipsi decreta scribunt, aliquando ijdem Senatores. Tum vnicuique Secretariorum secretarius hebdomadarius sua negotia distribuit.

Hic animaduertendum est ex his negotijs, quæ referuntur, alia esse ex Vrbe Mediolani, alia ex alijs Dominij huius ciuitatibus, & locis. Quæ sunt ex Vrbe Mediolani, referuntur à iudicibus Mediolani, dato Summario alteri ex Senatoribus lectoribus rerum criminalium, qui contra relator appellatur. Et ab eisdem Senatoribus dictantur ordinationes, quæ scribuntur à cancellario Secretarij hebdomadarij: & ab illomet Secretario, vbi venerunt signatæ, eduntur; & si quid propterea solui debet, illud est proprium secretarij hebdomadarij, præter id quod Thesaurario soluitur. Quæ autem sunt ex alijs ciuitatibus, & locis, referendæ referuntur à Senatoribus lectoribus rerum criminalium, & si quid Secretarijs propter earum editionem soluendum est; illud soluitur Thesaurario ipsorum Secretariorum, qui semper est vltimus Secretariorum, qui has pecunias vna cum alijs honorarijs solitis percipit à Secretarijs in suo libello scribit, & in fine vniuscuiusque mensis æqualiter inter omnes Secretarios diuidit.

Si etiam Senatores aliquarum causarum Commissarij, siue Delegati eas referant ad Senatum, de ordinationibus, quæ super eis fiunt, Secretarij causæ rogati sunt, sin minus hebdomadarius, qui statim causæ Secretarius est, reuersus scripturas, & ordinationes illi consignat: & honoraria, quæ ex talium ordinationum editione soluuntur, dantur itidem Thesaurario Secretariorum, qui ea scribit, & diuidet vtsupra.

Secretario hebdomadario Senatores lectores rerum ciuilium supplices libellos decretatos, nec non relationes decretatas tradunt, aut per suos cancellarios mittunt vna cum minutis Secretarius autem hebdomadarius si supradicta sibi tradantur, vbi accipit minutas, mittit ad Præsidem signandas: Supplices libellos decretatos dat Cancellario hebdomadario. Relationes criminales suam vnicuique Secretario, aut eius Cancellario.

In visitationibus carceratorum, quæ singulis mensibus per Senatores fiunt, vt supra *glos. 6. cap. 1 in fine*. Senatus nomine semper aliquis ex Secretarijs interest.

Animaduertendum est etiam, totum Dominium Mediolanense in sex dispartitum esse partes, siue prouincias; adeout vna cuique Secretario prouincia credita sit, ad cuius manus illius prouinciæ officiales suas mittunt relationes, siue sint ciuiles, siue criminales, scilicet Cremonensem, quæ Francisco Landriano, Papiensem, quæ Iacobo Ghilino, Nouariensem, quæ Iacobo Marchesonio, Alexandrinam, & Dertonensem, quæ Alexandro Besutio, Laudensem, quæ Io. Baptistæ Sacco, Comensem, quæ Thomæ Bellasio credita sit: quorum vnus quisque duos libros, alterum rerum ciuilium, alterum rerum criminalium habet. Relationes rerum ciuilium sunt plerumque quando Senatus non vult quicquam deliberare super petitionibus partium, nisi prius vel partem de cuius interesse agitur, audierit,

dierit, vel de expositis assumpserit informationes. Relationes rerum criminalium sunt, vt plurimum quando vel status alicuius causæ refertur, vel fit relatio definitiua alicuius causæ, vel certior redditur Senatus de crimine commisso, vel consulitur, an, & quomodo in aliqua causa procedi conueniat. Aut ciuilis sit, aut criminalis relatio, illico vbi acceptata est, apponitur in ea dies, mensis, & annus acceptationis. Et si ciuilis est, & de partis agatur interesse, integrum diem retinetur in cancellaria dum expectatur, an pars aliquem velit nominare suspectum ex Senatoribus lectoribus rerum ciuilium, vt non suspecto mitti possit: quo in termino, si pars aduersa nominat suum suspectum; ad instantiam alterius partis soluentis solidos quinque ostiarijs mittitur postea relatio non suspecto. Si contumax sit, itidem mittitur ad instantiam partis, cui pars ipsa malit, & cui mittitur, & quando, in libro rerum ciuilium scribitur. Si autem relatio sit criminalis, illicò mittitur alicui ex Fiscalibus, vt votum suum subijciat, si de principio causæ agitur Secretarius pro arbitratu suo mittit cui velit, habita semper ratione tam grauitatis negotij de quo agitur, quàm ne vnum magis, quàm alium negotiorum multitudine grauet. At quando de negotio iam agitur degustato, eidem mittere consueuit Fiscali, qui illud alias degustauit, nisi aut sit absens, aut aduersa valetudine impeditus, aut ad alium Magistratum promotus. Vbi à Fiscali cum voto remissa est relatio, illico eam mittat alteri ex Senatoribus rerum criminalium. Quando remittuntur hæ relationes à Senatoribus absque vlla exceptione (Fiscales autem inexpeditas remittere non consueuerunt, nisi ab vrbe longum tempus absfuturi sint, & negotia dilationem minime patiantur, aut alio fuerint munere cohonestati) quod fit in fine duorum mensium, quibus fiunt lectores rerum criminalium, vt diximus infra *glos. 6. cap. 3.* ad alterum ex duobus lectoribus Senatoribus mittuntur à Prouinciæ Secretario, siue illius Cancellario, facta in libro diei missionis mentione, & sic successiue donec possint vel intra domesticos parietes, vel in Senatu expediri. Et quando sunt expeditæ relationes, fiunt minutæ. Has autem minutas ex Secretarijs alij faciunt eas omnes, alij aliquas, alij nullas.

Præterea, vnus ex Secretarijs à Senatu electus Archiuio præest, ita vt omnes scripturas, quæ ex eo extrahuntur subscribere teneatur. Archiuij vero custodia datur vni vel ex coadiutoribus, vel ex scriptoribus arbitrio Senatus, & is Custos Archiuij dicitur, & ea seruare debet, quæ in ordine anni 1566. continentur.

Cancellariorum vero, præter id, quod sibi commune est cum coadiutoribus, & scriptoribus (nam ex eorumdem negotiorum pertractatione sic omnes ijdem esse videntur, vt priuilegiatus à non priuilegiato minime hoc tempore internoscatur) munus est sua hebdomada, sicuti de Secretarijs dictum est, summo mane adesse cum conuenit Senatus. Huic traduntur supplices libelli à Senatoribus decretati, qui eos in tres diuidit partes, quarum vna est eorum qui ad Præsidem firmandi mitti debent; cuiusmodi sunt ij, in quibus decretum sit, vt assumantur informationes de alicuius vel sagacitate, vel necessitate, aut de alia re, aut sit aliqua supersedentia, vel temporis suspensione. Altera est eorum, in quibus non decretum sit iuxta supplicantis petitionem. vt intimetur, non conuenit, pars respondeat, nihil, qui dantur coadiutori hebdomadario, in libro describenda omnium conspectui exposito. Tertia est eorum, in quibus decreta sint petitionibus vel in toto, vel in parte respondentia, qui traduntur eis, quorum nomen, siue cognomen in summo angulo prioris paginæ supplicis libelli inscriptum conspiciatur. Si qui autem adsunt nullius nomine, & cognomine inscripti, eos Cancellarius ipse hebdomadarius in minutam redigit. His conuenit, quod *Cassiad. lib. 2.* variarum Ioanni Cancellarium scribit. *Latera non potes, quod intra cancellos egeris. Tenes lucidas fores, claustra patientia fenestrata, ianuas. Et quamuis studiosè claudas, necessè est, vt te cunctis aperias, vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris.*

Ad Coadiutores autem vti Coadiutores nihil aliud præcipue pertinet, quam cum sunt hebdomadarij, præsto suam hebdomadam adesse in cancellaria, scribere in libris, quæ sibi tradita fuerint à Cancellario hebdomadario, nec non quæ Præside mittuntur in libris expositis describenda, qui Patentes in vno libro, litteras missiuas in altero libro, supersedentias, & suspensiones in alio libro; scilicet in eo, qui vocatur in filo; litteras patentes, & litteras missiuas, quas ex aliqua causa Præses non subsignandas censuerit in alio libro, qui appellatur inexpeditorum, describit, & postea omnia Thesaurario consignat.

Thesaurarij autem de quo fortasse præstasset post Secretarios facere mentionem, munus est, quæcunque sibi à coadiutore hebdomadario traduntur custodire, partibus ea volentibus soluto honorario stabilito dare, hoc est, vbi quod solui debet solutum fuit, & in libro annotatum, mittere ei, qui minutam fecit, vt eius edat copiam volentibus eis, & copijs editis suum nomen scribere; quotidie minutas editas (nisi sint criminales, aut aliter alicuius Secretarij particulares; nam etiam illi Secretarijs restituuntur, per quorum manus ambularint) mittere ad Archiuij, siue Tabularij custodem; pecunias primò quoque die mensis, quæ mense proximo superiore fuerint collectæ distribuere inter Præsidem, siue Propræsidem, mortuo Præside, quinque Senatores, lectores, Secretarios, se ipsum, Cancellarios, coadiutores, & ostiarios, quæ diuisio quomodo fiat scire neglexi, cum ad meum propositum non videantur pertinere. Illud tamen omittendum esse non censui ipsi Thesaurario dari à Præside custodiam sigilli ijs diebus, quibus in Cancellaria eo opus est; in sigillandis autem expeditionibus opera Ostiariorum vtitur Thesaurarius.

Receptor prorogationum eas recipit, & pecunias, quæ pro eis soluuntur diuidit inter Secretarios, Cancellarios, & Coadiutores hoc pacto, scilicet, vt si det libras quatuor Coadiutoribus, det sex Cancellarijs, & Secretarijs nouem ipse in eis nullam partem habeat, & illud tantùm consequatur, quod ei datur ex prorogationum perquisitione, & editione, & mandatis prorogationum forensium, & quibusdam patentibus faciendis.

Scriptores vero, ijs exceptis, quæ ad Secretariorum, Cancellariorum, Coadiutorum, Receptoris prorogationum munus pertinent præcipuum, in omnibus se se immiscent.

Quando aliquis moritur Secretarius, Senatus

tres Cancellarios, & in locum Cancellarij promouendi tres coadiutores, & in locum coadiutoris cancellario successores tres proponit scriptores R. M. & in his plerumque receptorem prorogationum, quandoque etiam dicit, vbi placet M. V. N. receptorem prorogationum creare coadiutorem cum alijs duobus, vna cum eo ad munus coadiutoris nominati, nominamus ad eius officium prorogationum N. Ad hoc autem munus tales constet eligi, in quibus repræhensionis vitium inueniri nequeat, ait *Cassiod. lib. 1. ep 4.*

Nec est omittendum quod de Secretario scribit *Menoch. cons.* 1194. nimirum eum teneri de dolo, lata culpa, leui & leuissima *num. 7. 18. 30. & seqq.* vt si non conscribat decretum verbis claris, ac certis, sed dubijs. *num. 26.* item quia negligens in arte sua, & non fecerit ea, quæ diligentissimus eiusdem professionis facere solet, vt ibi per eum; qui attestatur secundum præmissa fuisse condemnatum per Regios Delegatos secretarium huius Regij Locum Tenentis.

## *Glosa Sexta.*

Fruantur, & gaudeant priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, libertatibus, & commodis, quibus præteritis temporibus Præses, Senatores, & Secretarij frui, & gaudere consueuerunt.

### SVMMARIVM.

1 *Quibus priuilegijs & prærogatiuis fruerentur olim Præses, Senatores, & Secretarij non satis constare.*
2 *Ad priuilegij probationem vtrum scriptura requiratur.*
3 *Senatores ad honores tantùm non potiri priuilegijs aliquibus.*
4 *Priuilegium vnde dicatur, quotuplex sit, & qualiter à rescripto differat, & alia.*
5 *Senatores qua ratione priuilegijs vtantur.*
6 *De significatu verbi, prærogatiua, & num. 7.*
8 *Immunitas quæ dicatur, & qualiter ab indemnitate differat.*
9 *Libertatis appellatione quid contineatur.*
10 *Quæ commoda capiant Senatores, & commoditatis sub nomine quid veniat.*
11 *Clausula, quibus præteritis temporibus frui consueuerunt, sensus.*
12 *Quæ olim essent Præsidis prærogatiua. & num. 16 & sequen. tribus.*
13 *Doctor de Collegio Mediolani Senator creatus, vtrum possit retinere causas sibi vti doctori de ipso collegio commissas.*
14 *Posse Senatum causas ad se auocare, & quando, remissiue.*
15 *Ex Senatoribus eliguntur Præsides vtriusque Magistratus. Item Regij in supremo Italiæ consilio apud S. Chat. Maiest. Regentes. num. 16.*
17 *Idices omnes ferè ac alij officiales in manibus Præsidis iurant.*
18 *Dies audientiarum publicarum præscribit Præses.*
19 *Ex non suspectis quos vult Senatores certis in causis in Relatores legit.*
20 *Munus est Præsidis, vt antiquus in Senatu stilus; & consuetudo seruetur.*
21 *Sigilla paruum & magnum tenet Præses.*
22 *Senatores, qui visitationi carceratorum incumbant eligit.*
23 *Præses fluminis Olonæ non à toto Senatu, sed à solo Præside perfici solet.*
24 *Consuetudo statutorum iustior interpres.*
25 *Præfectus Sanitatis ex Senatoribus Mediolanensibus quotannis fit.*
26 *Protegendis diuitibus pupillis Senatores constituuntur, qui de rebus eorum cum alijs iudicent, & in reliquis omnibus actoritatem interponat, & cur. Quod etiam de pauperibus faciendum esset. num. 27.*
28 *Senatus libertatis nuptiarum vindex est. & qua ratione. & num. 30.*
29 *Conslit. in tit. de pœn. cap. Matrimonia clandestina est iure probata.*
31 *Excudendi facultate nemo vti potest absque illius Senatoris licentia, qui illi muneri præfectus est.*
32 *Senatores causas aliorum Principum requisiti summa cum ratione suscipiunt.*
33 *Omnibus quoad fieri potest prodesse debemus.*
34 *Legati quomodo à Romanis accepti, eorumq; postulata à Senatu vel denegata, vel concessa.*
35 *Retributioni locus esse debet.*
36 *Iurisdictio eorum Magistratuum, quibus partes non subsunt, prorogari potest, potest etiam ciuitas in certa causa iurisdictioni alienæ se submittere.*
37 *Decet Senatui externorum causas benignè suscipere.*
38 *Compromissariorum personam suscipiunt optima ratione Senatores.*
39 *Ordinariam Senatus vtplurimum obtinet iurisdictionem, Senator delegatum & infra num. 281.*
42 *Præsidis, Senatus, Senatorisq; præcipuum munus iustitia.*
43 *Senatorio muneri ceteris prætermissis Senator inseruire debet.*
44 *Tres singulis mensibus Senatores, qui ciuilium, alij vero duo singulis binis mensibus, qui criminalium causarum expeditioni incumbant supplicantiumq; petiones excipiant, deliguntur, & ij Senatores lectores nuncupantur, & horum officium.*
45 *Expediendorum libellorum à Præside, & Senatore vsus & ratio, & num. seq.*
46 *Quid in obtinendo, vel concedendo Senatore ad hanc, vel illam causam seruetur; item quid in dandis suspectis. num. seq.*
48 *Quæ fuerit causa deligendi Senatores lectores. Et vnde desumptum huiusmodi institutum. num. sequentibus.*
49 *Grauia referenda esse.*
50 *Moris olim fuit, vt quid à Principe desideraturi Principem etiam præsentem scripto adirent.*
51 *Leuia statim expedire potuisse per libellum, si vero res ipsa talis erat, vt decreto egeret, non potuisse.*
52 *Decretum olim & speciei, & generis nomen fuit, ac pro eo, quod Prætor iudicensvè pronunciabat.*
53 *Iudex confidens partium olim dabatur.*
54 *Ex Mæcenatis ad Augustum doctrina, ad priuatorum postulata, & ad alia omnia administros imperij dari.*
55 *Iurisconsulti quemadmodum olim dabantur, ita & nunc*

131 *Qui dies audientiæ assignati.*
132 *De facti specie prius constare debere, quàm de iure, cũ ex modica facti mutatione totum ius mutetur.*
133 *Veritas iuris oritur à veritate facti, ideo quærendum prius de facto.*
134 *Quibus facti species probetur: breui etiam verborum compendio construenda est.*
135 *Peritos aliquando consulendos, & illis quando credendum.*
136 *Pax opus iustitiæ.*
137 *Partes quando componendæ.*
138 *Cogi possunt partes ad compromittendum.*
139 *Melius est pati modicum, quàm intrare litium certamina; immo de iure suo aliquid collitiganti condonare, maximi lucri est.*
140 *De iure referendi, & quæ ad relationem faciendam necessaria num. seq.*
141 *In actu relationis exhibeat relator attestationes, & acta legenda, cum opus erit.*
142 *Vocatis partibus facienda est relatio, & ex actis num. seq.*
144 *Si duobus causa ad referendum commissa est, qui contraria referant, digniori est credendum, nisi aliter ex actis eliciatur.*
145 *Relatio quando non necessaria.*
146 *Relationem fieri & de voce, & de scripto.*
147 *Vno & alio die relationes fieri posse.*
148 *Ordo Regius circa ordinem referendi declaratur.*
149 *Si causa à P. Rege vni vel duobus fuerit delegata, cæteri relationi interesse non poterunt.*
150 *Quid à iudicibus seruandum in comparendo coram Senatu pro relationibus faciendis.*
151 *Rogari vtrum debeant sententia, cum aduocati auditi fuerint, vel relatio facta.*
152 *Facti veritatem esse à quocunque iudice inquirendã.*
153 *Veritas causæ non est nimio affectu quærenda, & nimia diligentia nocet.*
154 *Veritatis laudes.*
155 *Quomodo intelligatur illud, satius esse peccare in tempore, quàm in sententia.*
156 *Improuidi & socordis est, quæ citò expedienda sunt, in longum protrahere.*
157 *Nec celeritate nec cunctatione causa est terminãda.*
158 *Negligentem facere iustitiam grauiter peccare, potissimum in criminalibus, & num. seq.*
159 *Omnis dilatio superflua in proferendo voto resecanda est.*
160 *Negligentia est defectus debitæ sollicitudinis secundum interiorem actum, & nouercæ eruditionis.*
161 *Causa clara illicò definienda est.*
162 *Consueuisse olim Senatum singulo audientiarum die causas ad septem vsque expedire.*
163 *Apud veteres vota die relationis reddita vt plurimum.*
164 *Ordo quis rogandarum in Senatu sententiarum.*
165 *Relator, etiam si ad aliud tribunal electus sit, rogationi sententiarum semper interesse debet.*
166 *Quis ordo apud veteres in rogandis sententijs fuerit.*
167 *Vota latiuè danda esse, voce, non de scripto (nisi per absentes) & per sedentes.*
168 *Rationibus munita esse sententia debet.*
169 *Romani stantes sententiam dicebant.*
170 *Scripto Senatus consulto omnium nomina qui affuissent scribi consueuisse.*
171 *Votum suum an possit mittere absens.*
172 *Gesta à minori parte quando valeant.*
173 *Vota an colligi possint, cum aliqui tantum Senatum ingressi sint alijs non expectatis.*
174 *Vota an colligantur si omnes, vel plures discedant.*
175 *Præsidem habere ius retinendi Senatum, prout & vocandi.*
176 *Senatorem ante dimissum concilium perperam recedere, & non sine peccato.*
177 *Volens deliberare quando sit expectandus.*
178 *Sibi non liquere dicebant Romani, & quando.*
179 *Qui nihil facit, aliquid tamen facit, quia negligentiam, & culpam committit.*
180 *Non posse iudicem plenum habens arbitrium, ad alterã diem citationis sententiæ deffinitionẽ differre.*
181 *Senator, litem quam expedire potuit, si alij reseruarit, male agit, & litem facit suam.*
182 *Ideo non poterit se eximere à sententia ferenda.*
183 *Sententia dicendæ modus quis melior.*
184 *Senator instructus, paratusque, si fieri potest, veniat sententiam laturus.*
185 *Ex actis sententia ferri debet.*
186 *Vota voce danda, non signo.*
187 *Non semper exemplis adhærendum esse.*
188 *Vota libera sint, & rem omnem diffiniant, & nu. seq.*
189 *Breuitas in Senatore commendatur.*
190 *Vota clara sint, non autem obscura.*
191 *Relatorem debere clarè, aptèque sententiam suam aperire rationibus munitam, vt ex eis alios alliciat, ad ea, quæ potiora, vtilioraque sunt, amplectendum.*
192 *Qui sententiam dicunt, ita proferant, vt condemnati se iuremerito condemnatos esse agnoscant.*
193 *Sententia ita scribenda est vt omninò litem amputet.*
194 *Sententias in Senatu sub nomine Regis scribendas esse.*
195 *In concipiendis sententijs veterum obseruata verba.*
196 *In re dubia quomodo iudicandum, & non dari causam pro amico.*
197 *Iudicia omni ex parte libera esse debere, & nu. 223.*
198 *Quos Senatores abesse oportebit cum causa refertur.*
199 *Regius ordo circa eos, qui suspecti habentur, declaratur.*
200 *Senatus totus pro suspecto an allegari possit, & nu. seq.*
201 *Vtrum caput consilij suspectum, totum consilium suspectum reddat.*
202 *Causa etiam tangit Senatorem, si agatur de appellationis causa ab eodem lata.*
203 *Reprobatur Menoch. dicens, posse iudicium Senatus recusari in ea causa, quæ multis communis est, si iam eam pro aliquo definiuerit, Idem dũ idẽ tenet de consimili causa, si tertius ad iudicium veniat.*
204 *Non improbari iudices, qui ante sententiam animi sui votum aperiunt.*
205 *Cum res celeritatem desiderat, suspecti exceptio reijcitur.*
206 *Recusationis exceptio, cum affectata est, maxime nocere solet.*
207 *Regij decreti pœna non passim exigitur.*
208 *Recusatio in initio opponi debet.*
209 *Senator affinis qui est alicuius partis, iure ab altera suspectus allegatur, & num. 216., & vide supra num. 128.*
210 *Princeps rescripto suo potest tollere suspitionem affinitatis.*
211 *Recusatio iusta est, si eius gener aduocatus sit alterius partis, Item.*
212 *Si Senator habeat consimilem causam, & num. 215.*
213 *Idem si socer pro genero consuluerit.*
214 *Vel solum si in causa consuluerit, & num. 218.*
217 *Qui iam fisci partes sustinuit, in eadem causa iudicare non poterit.*

*cum semel imminui, aut negligi legum, aut Magistratuum vis cœperit.*

301 *Princeps, si quos Magistratus elegit, revereri non curat, se quoque minus verendum facit.*

302 *Senatus dignitas auctoritasq; cum communi omnium vtilitate coniuncta.*

303 *Firmius imperium, quod consilio publico nititur, debilius vero si priuato.*

304 *Princeps & Senatus amore, & charitate certet.*

305 *Nil magis incongruum, quàm iussiones Regias suspendere.*

306 *Minuere potestatem, maiestatemq; quid sit.*

308 *Forum Senatoris quod: Vtrum ad filios filiosue Senatoris pertineat, & ad earum vxores, num. 309. & ad ea quæ ante adeptam dignitatem tenebantur.*

310 *Declaratur Const. Med. infra tit. de foro comp. Senatores etiam comprehendere.*

311 *Arbitrium Senatus Romani quod.*

312 *Senatus inconsulto, quæ fieri nequeant.*

313 *Senatum Mediolanensem Romanum præcellere.*

---

## CAPVT I.

1 PRæclara profectò tractatio est de Præsidis, Senatorum, & Secretariorum auctoritate, & prærogatiuis, sed vtique obscura; cùm textus hic noster non aperiat nobis quot, qualesq; olim fuerint, à quibusve concessæ, nec nunc satis de illis nobis constet. Verum, si rebus in obscuris probabilibus coniecturis tribuere aliquid auctoritatis ingenui, & liberalis animi est; aggrediar ego prius verborum glosæ nostræ expositionem, mox nonnulla subijciam, quæ mihi permagna, & hactenus alijs non cognita videntur; non tamen, vt hac in re, prout in ceteris, cuilibet liberum, & integrum iudicium adimam. In primis itaque adducam verba Constitutionis Senatus Regis Francisci, quæ talia sunt. *Et hoc cum, & sub stipendijs per nos particulariter illis in rotulo super hoc conficiendo taxandis, & ordinandis, & cum alijs priuilegijs, præeminentijs, prærogatiuis, immunitatibus, libertatibus, franchisijs, & commodis, quibus consiliarij nostri magni consilij, & parlamentorum nostrorum Franciæ, ac dicti Ducatus nostri gaudent, & fruuntur, & ante hac frui, & gaudere consueuerunt.* Constitutio vero postrema Ducis Sfortiæ his vtitur. *Decernimus, quod vnus tantum sit Senatus supremus, siue supremum consilium in toto nostro Ducatu, & Dominio Mediolanensi, & Mediolani continuam faciat residentiam, possitq; omnia, quæ sunt iustitiæ, & æquitatis moderari, ac gubernare, ac alia etiam tractare, ac terminare, quæ iam per Senatum solita fuere tractari, ac terminari, iuxta potestatem infra describendam.* Et paullo infra. *Fruantur priuilegijs &c.*

2 Priuilegijs fruuntur Senatores, siue verbo, siue scriptis concessis, cùm hæc duo æquiparentur *in auth. vt omnes obed. iud. prou. §. si igitur fuerint*, & per *Boer. q. 1. num. 21.* Probatur enim priuilegium absque scriptura teste *Albens. in cons. 141* siue sit priuilegium exemptionis, immunitatis, feudale, legitimationis, fori, & similium. Multa de priuilegijs scitu digna congessit *Boss. de Prin. num. 315. & plur. sequentibus*, vbi etiam *num. 315.* dixit, priuilegium per scripturam tantum probari posse, vti in contingentia facti contra canonicos Sanctæ Mariæ Scalensis huius ciuitatis per Senatum decisum fuisse attestatur; atque ita fore seruandum firmat, *num. 293.*

3 Senatorum autem priuilegijs non fruuntur hi Senatores, qui ad honores tantùm, non ad administrationem delecti sunt, ex not. à *Bar. in l. 1. §. negotiationis ff. de iurisd. om. iud. Abb. & Fel. in c. vigilanti de præscrips. in prin. Boer. decis. 17. num. 10.*

4 Quid autem sit priuilegium, vnde dicatur, quotuplex sit, qualiter à rescripto, lege, consuetudine, & alijs differat, tradiderunt *Archidiac. Goffred. Hostiens. Dec. & Spec. in tit. de priuil* scribentes omnes *in c. priuilegia de priuil. in 6. & in c. priuilegium 4. distinct. Abb. in rub. de rescrip. & Alex. in l. quia tale in 1. col. ff. solut. matrim.* nos tantùm adducemus *Theod. Regem apud Cassiod. ep. 28.* dicentem. *Gratiam Principis dignitas nuda non asserit, nec beneficium dici potest, quod nulla vtilitate sentitur.*

5 Prærogatiuis iuremerito debent vti Senatores, quia pro Republica laborant, vt habetur *in l. Bene à Zenone ad fin. C. de quadrien. præscript.* in verbis, *quare non habeant dignam suæ prærogatiuæ fortunam*, & ibi *Salic. num. 9.* Immò, sicuti honoris prærogatiua lætantur, sic auctoritate fungi debent ampliori, ait *tex. in c. 1. in fine de off. leg. in 6.* hoc pariter in verbo prærogatiuis vtuntur *tex. in c. si Papa §. 1. de priuil. in 6.* dum ait, *prærogatiua gaudeant speciali*; & in *l. omni C. de sac. sanct. Eccles. & in l. 1. C. de priuil. veteran.*

6 Accipitur verbum prærogatiua pro honore, vt *in d. l. Bene à Zenone, & in l. 3. C. de leg.* ibi, *viros autem illustres in hac inclyta vrbe degentes, qui sine administratione honorarijs decorati fuerint codicillis, licet talem prærogatiuam nostra iussionis meruerint &c.* nonnunquam etiam, pro consuetudine, vt tradit *Vlpianus in l. obseruare §. fin ff. de off. procons.* dum ait, *Magni enim faciens prouinciales seruari sibi consuetudinem istam, & huiusmodi prærogatiuas: hoc est vt Proconsul accedat ad eam ciuitatem, vel portum, ad quem plerumque Proconsules ceteri applicare solebant.* 7 Aliquando vero pro ordine, vt in clausula illa, salua gradus prærogatiua, de qua per scribentes *in auth. defuncto C. ad Tertull.* & per *Dec. in cons 1. num. 6.*

8 Immunitatibus potiuntur Senatores, hoc est indemnitatibus, vt *in auth. iubemus C. de sacr. sanct. Eccles.* aut exemptione, vt *in c. 1. de iuram. calum. & tot. tit. de iur. immunit., & de muner. & honor. C. A quibus autem muneribus sint immunes Senatores*; videbimus infra *cap. 33.* & apud *Alex. in cons. 32. col. 2. vers. & similiter lib. 5.* Differt autem immunitas ab indemnitate, siquidem immunitas sit quoddam ius perpetuum, indemnitas vero temporarium, vt optime per *Rauardum de iuris ambiguitatibus lib. 5. cap. 6. sub num. 5.*

9 Libertatibus vti possunt Senatores, nimirum facultate, *l. Lenones C. de spectac & in l. libertas ff. de stat. hom. & in §. 1. instit. de iur. patron.* Item exemptione secundum *Rol in cons. 5. num. 58. & seq. lib. 1.* Libertatis autem appellatione intelligitur de plena. *id. Rol. cons. 2. num. 34. eod. lib. 1. & cons. 85. num. 31. lib. 4.* post *Ias. in l. 2. col 7. vers. est autem plenitudo C. de seru. & aqua*, dicentem, *aliquid liberum dici tribus modis*, primo quod non cogitur. *l. 3. §. 1. ff de arb.* Secundo quod non corrigitur. *l. fideicommissa §. quamquam ff. de leg. 3.* Tertio quod æqua lege libertatis feratur, *l. item si vnus §. si duos. & §.*

prin.

*principaliter de arb. & l. pen. ff mand.* qui omnes textui nostro optime adaptari possunt, vt in discursu videbimus.

10 Commoda capiunt Senatores, prout *in § fin; in vsib. feud. de pace tenenda*; nempè opportunitates, emolumenta, salaria, iura, vsum, & alia id genus commoditas enim eius esse debet, cuius est onus: *l. secundum natura ff. de reg. iur. c. caritatem cum alijs 12. q. 2.* Et vigilare vnicuique licet pro commodo suo, etiam in alterius damnum. *l. pupillus in fine, & l. qui ante §. sciendum ff. de his, quæ in fraud. cred. l. fin. C. depos.* Commodum autem esse debet, vt ait *Athalaricus Rex apud Cassiod. lib. 9. ep. 14.* cum modo. *Nam si mensuram æqualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit.* Commoditatum complurium copia dixit *Cic. de nat. Deor. & 4. de finib.* non sunt in eo genere tantæ commoditates corporis, tamq; multæ. Ideo pro opportunitate accipitur illud *Ouid. ep. 15.*

*Cogimur ipsius commoditate frui.*

Et habetur apud Iurisconsl. commoda possessionis, *in l. sed si ff. de bon. poss. contra tab.* quod *Paulus in l. 4. eod. tit. appellauit beneficium.* Accipitur etiam pro libertate, & emolumentis, quæ à tribus obueniunt, *l. patronus ff. de leg. 3.* Item pro pecunia, quæ propter coronas præstari solet; *in l. commodis ff. de re iud.* Item pro salario *l. pater ff. de adim. leg. l. 1. C. de primipil lib. 12. & d. l. commodis.* Habemus quoque commoda fiscalia, *in l. 3. C. de aduoc fisc.* ibi caueat, ne fiscalia commoda occultet. Item commoda publica *in l. ne diu 21. C. de pœn.* Accipitur insuper commoditas pro vsu, *in l. cum rem*, & ibi *Bar. ff. de rei vend.* Ideo dicitur commoditatem quæri patri ex legato vsusfructus facto filiofamil. *Alex. in l. si finitas §. si de vectigalibus ff de dam. infec.* vbi quærit, an commoditas concessa alicui transeat in fiscum ex publicatione bonorum. Audiendus est etiam *Theodor. Rex apud Cassiod. lib. 3. ep. 19. Decet*, inquiens, *vt palatio nostro seruientibus iustis commodis consulamus, quia fructuosus debet esse labor publicus, vt quamuis obsequia nobis gratuita iure debeantur; seruitia tamen per moderata compendia prouocemus.* Et Seneca ad Lucil. Commodum, sic describit, *vt illud sit, quod plus vsus habet, quam molestiæ.*

11 His omnibus fruuntur Præses, & Senatores modo præteritis temporibus fuerint illis tributa; nihil enim noui conceditur. *c. quia diuersitatem de concess. prab. Abb. in c. 1. & in c. examinata de confir. vtil. vel inut. & in cons. 42. lib. 1. Alex. cons. 39. lib. 4.* & est tex *in c. cum dilecta de confir. vtil. vel inut. in c. inter dilectos de fid. instrum. in c. diuersitate*, ibi sicut iustè, & pacificè possidentur, vbi *glos. & Abb. & concess. prab. & in l. cunctos populos*, vbi *Bar. & cæteri de sum. Trin. & fid. Catol.* communiter enim relatiuum sine copula restringit suum antecedens, *l. ea tamen adiectio ff. de leg. 3.* Sic etiam *Cassiod. ep. 15. lib. 6. Vsurus omnibus priuilegijs, quos tuos decessores habuisse constiterit.* Qui etiam rationem subdit. *Quia sicut à vobis antiquorum instituta deposcimus, ita & dignitati vestra vetera non negamus.* Propterea verba illa, *Quibus præteritis temporibus &c.* intelligenda esse censeo, pro quibus sic præteritis temporibus, vt licet, quid hactenus obseruatum fuerit non appareat; dispositio tamen non vitietur, per ea quæ copiosè tradit *Gram decis. 59. num. 22. cum plur. sequen.* non etiam probatur quid seruatum fuerit, sed de relato apparere debet per modum declarationis, vel constitutionis, vti dicitur de clausula illa, *Sic seruat curia*, de qua plenè per *Fel. in c. 2. vers. stilus curiæ de rescrip. & in c. Rodulphus col. 15. in fine verborum, vbi autem didici, eod. tit.* Poterit tamen stilus in decisionibus causarum seruari, si ius non reperiatur, secundum *Cyn. & Bal. in l. 2. C. quæ sit longa consuet. Abb. in c. ex literis col. 2. de constit. Cumiam & Caran. in rit. mag. cur. in prim.*

Præteritis autem temporibus Præsidis prærogatiuæ erant, officiales cancellariæ deputare, & eligere alios, quorum stipendia summam vigintiquinque ducatorum auri annuatim non excederent. 12

Concedebat quoque omnes alias litteras iustitiæ, ac gratiæ, & remissiones, seu indulgentias casuum remissibilium, bannorum, carcerum fractiones, receptiones homagiorum, confirmationes priuilegiorum, inuestiturarum, & similium gratiæ concessionum, litteras placitorias, seu permissorias pro exequendis bullis Apostolicis, nec non litteras collationis beneficiorum ex causa permutationis, vel simplicis resignationis vacantium &c ea similiter omnes, & quascunque alias prouisiones meræ gratiæ.

Et vbi super dictis prouisionibus iustitiæ aliqua difficultas oriretur, quæ fuerit facta per dictum cancellarium, vel alterum ex consiliarijs sibi assistentem; Cancellarius prædictus tenebitur consilio remittere, vt super illis maturius per dictum Senatum iudicari, & ordinari possit, prout fuerit rationis.

Et si aliquam falsitatem in litteris nostris in dicta cancellaria expeditis committi contigerit; cognitio plenaria, & emolumentum confiscationis; si locus sit, ad dictum Cancellarium nostrum pleno iure pertinebit.

Qui super dicto crimine ordinare, & falsarium punire poterit; aut illi indulgere, quemadmodum Cancellarius Franciæ circa falsificantes litteras nostras facere consueuit. Hæc in Constitutione illa prima Senatus, quæ nunc antiquata sunt. Præcipuum Senatus munus fuit in concedendo dispensationes de quibus multa in ordinibus anni 1523. die 5. Iunij; sub Duce Franc. II. Sfortia, & de quibus plenè infra §. 2. p. 2.

Quærebatur an Doctor de Collegio Mediolani Senator creatus posset retinere causas sibi commissas vti Doctori de Collegio, D. Præses Bossius dicebat posse, sed non cogi ex not. *in l. 1. C. de primi. lib. 12.* & ijs, quæ tradit *Bar. in l. Alexandrinis C. de decur. lib. 10. Castrens. in l. nulla ff. de legib. Brun. in tract. de aug. & dimin. conclus. 6. num. 8* magis in terminis *Abbas num. 12. Fel. num. 3. in c. præsentata de testib.* ibi propter negociorum molem non cogatur si non vult. Non etiam dignitas maior perimit minorem *l. pen. ff. de Senat. Brun. vbi supra. Soc. cons. 129. num. 7.* Nec in fauorem introducta in odium retorquentur. *l. quod fauore ff. de legib. l. Diuus ff. de testam. milit. Alciat. reg. 3. præsump. 29. num. 9. Peguera decis. 96. per totam.* Sed hoc intellige in officijs compatibilibus. *c. multa de praben.* videas tamen infra *num. 19.* 13

Nec incongruum erit si accedente partium consensu; vel vna parte petente designato iam Senatori mandetur, vt postquam de causa edoctus est, in ea procedat, tum quia nihil noui tunc fit *l. sed si manente ff. de precar. cum simil.* & in terminis longe for-

fortioribus consultus respondit *Dec. in cons. 37. num. 8. ad fin. vers. & idem videtur. Bursat. in cons. 53. per totum*; tum quia liti iam instructæ vsquum initium dari non deberet *l. terminato C. de fruct. & lit. expen. cum concord.* Quamuis ad aliud tribunal Senator delectus fuerit, puta si, vel Præses Magistratus, aut Prætor Papiæ, aut Cremonæ est delectus, vbi sibi causa aliqua referenda demandata sit, eam tamen in Senatu refert, quandoque.

14 Proprium est etiam Senatus auocare causas ad se, quoties sibi ita expedire videatur. Vt ex ordine Regio anni 1500. materiam autem auocationum vide per *Rebuff. in tit. de auocat. Couar. pract. quæst. cap. 9.* & per nos infra in §. 3. vbi copiosè.

15 Ex Senatoribus eliguntur Præsides ambo Magistratus ordinarij, & extraordinarij, quorum quidem dignitas, & auctoritas plurimi facienda est, non solum ex his, quæ in proximis duobus sequentibus titulis huius Constitutionis leguntur; sed etiam quia præest Tribunali, in quo viri clarissimi, & doctissimi sedent, qui Quæstores nuncupantur; & ex quibus viris togatis, vt plurimum Senatores deliguntur; adeo vt merito dicere possimus quemadmodum *Lamprid. in Alexandro, & Liu. lib 42.* equestrem ordinem seminarium esse Senatorum, ita hunc Quæstorium gradum Senatoriam dignitatem præseferre.

16 Eliguntur quoque ex Senatoribus tum duo Regii Consiliarii Regentes apud Regiam Maiestatem, tū duo Prætores, Cremonæ vnus, alter Papiæ.

17 Præsidis in manibus iurare tenentur plerique officiales in ingressu officii.

18 In ipsius etiam Præsidis potestate est dies Relationum, & Audientiarum publicarum præscribere Senatori, & partibus, in his saltem causis quæ ex hac Constitutione Senatui spectant, aut auocatæ fuerunt.

19 Cum causa deleganda est alicui Senatori ex toto Senatu, quem vult Præses ex non suspectis legit, vt iam dictum est.

20 Ad ipsius etiam munus pertinet, vt antiquus stilus, & consuetudo siue praxis in Senatu seruetur ad vnguem, vt per *Gam. decis. 16. num. 7. & Cabed. decis. 1. num 11. p. 1.*

21 Sigilla paruum scilicet, & magnum iuxta antiquam consuetudinem (de qua in ordine Regio anni 1500) tenet idem Præses, quæ tradit horis consuetis Thesaurario Cancellariæ, qui in sigillandis expeditionibus vtitur opera Hostiariorum Cancellariæ ipsius, licet alias Præsidens, & Senatores signarent, ex eodem ordine in hæc verba. *Item D. Cancellarius tenebit Cancellariam, & sigillum singulis diebus non feriatis. &c.* & nihilominus erit semper in facultate dicti D. Cancellarii habita ratione negotiorum, & personarum quacunque hora diei sigillare occurentes prouisiones, maxime pauperum, & miserabilium personarum. Illas præsertim prouisiones, quæ paruo sigillo, quod semper defert secum, erunt sigillandæ, vt possint supplicantes breuiter, & sine dispendio consequi prouisiones suas. Item si videbitur D. Cancellario, quod aliquo die non possit interesse sigillo, aliquo impedimento subsistente, & velit committere sigillum pro illa die, dictis quatuor Senatoribus, aut alteri ipsorum ad effectum, vt expeditiones non retardentur, illud fit in arbitrio, ipsius D. Cancellarii.

22 Præterea singulis ferè mensibus ab eodem Præside eligitur vnus ex Senatoribus, qui sit rerum criminalium lecto & is vt plurimum antiquior, vt cum Secretario Senatus tunc hebdomadario visitationi carceratorum omnium, tam ad Tribunal Capitanei Iustitiæ, quàm Prætoris incumbat. In eo Visitatorum Tribunali præest Senator ipse, assident Capitaneus Iustitiæ, & eius Vicarius, vel Prætor, cum duobus Iudicibus suis (quilibet tamen ad sua officia) Fiscales, & protectores carceratorum, item & Secretarius prædictus post Senatorem, non in ordine tamen, qui de omnibus in eo Tribunali gestis, est rogatus. Duo vero Senatores in diebus Paschatis resurrectionis, & Natiuitatis Domini nostri visitationi dictorum carceratorum ad vtrumque officium Capitanei, & Prætoris vtsupra deliguntur, qui postea relationi generali vna cum Secretariis electis assistunt, vt infra §. *præsenti glos. 5. num. 42.*

Præses Fluminis Olonæ non a toto Senatu; sed à solo Præside perfici solet; & ita Constitutio nostra *tit. de off. iud. & commiss. Olonæ cap.* Deputabit Senatus vnum Senatorem, interpretationem à consuetudine recepit, qua nulla legum, & Statutorum iustior interpres *l. minime, & l. si de interpretatione de legib. & c. cum dilecti de consuet.* Hinc quia interpretans, & interpretatum pro vno, & eodem habeantur; nō id à Constitutione dispositum dici debet, quod sonus verborum indicat, sed id, quod vsus introduxit antequam ipsa constitutio foret. *auth. de fil. ante dom. instrum. natis §. fin. Bal in l. 2. in fine C. de bon. quæ lib. Ias. post Rom. in l. post dotem num. 100. ff. sol. matr. Dec. in cons. 11. num. 10.* ita vt littera eius sonat, seruaretur. 23 24

Idem dicitur de Electione Præfecti Sanitatis, qui ex Senatoribus Mediolanensibus quotannis, quo quisque in Senatu antiquior est, præest. 25

Protegendis diuitibus pupillis Senatores constituuntur, qui de rebus eorum cum aliis iudicent, & in reliquis omnibus negotiis auctoritatem interponunt. Ratio est, quia pupilli, etiam si diuites sint, inter miserabiles personas referantur, ex veriori, & fortè crebriori sententia; vt per *Couar. pract. quæst. cap. 6. Rol. cons. 76. lib. 1. Menoch. de arb. ind casu 66.* æque Principi, atque Senatui, qui Principis personā refert, omnimoda eorum protectio a lege communi demandatur. *l. vnic. vbi Bal. C. quan. Imper. inter pup. & vid. & Rol. vbi supra*, ergo, & iis, quibus permulti quasi esurientes lupi rapaces inhiare consueuerunt, senatus tutela iure negari non poterat, ita vt vni ex Senatoribus ea cura demandaretur, cuius opera, vt in ceteris negotiis Senatui commissis quæcumque pupilli rem concernentia ad Senatum referentur. 26

Sed obstare videtur ordo anni 1534. de quo per nos *pract. quæst. cap. 43. sub num. 4* quo cauetur, miserabilium causas ordinariis iudicibus esse demandandas, & qui vsu receptus est. Ergo vtriusque qualitatis pupillorum egentium, & diuitum coram Senatu essent pertractandæ. 27

Prohibuit vero Regia M. suis litteris diei 19 Martii ne Senatores possint esse protectores minorum registratis fol. 78

Senatus quoque libertatis nuptiarum vindex est in quæstione facti, ea enim connubiorum libertas est, vt a sola nubere volentium voluntate, & quidem libera, pendeant. *l. in copulandis. l. neque 2. & l. vidua C. de nup.* vsque adeo, vt neque patris requiratur assensus inspecta iuris Pontificii dispositione, quā sequi 28

sequi tenemur, quicquid aliter iure Cæsareo caueatur, vt per *glos. in c. fin. 32. q. 2. Dec. in cons. 231.* & plenè *per Mascar. inn. de gener. stat. interpret. conclus. 1. ampliat. 20 num. 174. & nonnullis seq.* Et quod plus est, contraria legis sanctio non valeret, etsi substantiam, seu vinculum matrimonii non attingeret, sed accidentia tantùm pœnis contrafacientibus impositis, quales est Constitutio istius status infra *tit. de pæn. cap. matrimonia clandestina*: bonis alioquin rationibus conseruandæ scilicet publicæ honestatis subnixa. *Io. Andrea* auctore, quem sequuti sunt *Abb. & Fel. in c. fin. de spons. num. 13. Alex cons. 97. lib. 1. App ostilla ad Abb. vbi sup. Couar. lib. 4. decret. cap. 3. §. 8. num. 6.* Ex quibus constare videtur, nullam in iis, vtpote mere spiritualibus esse Principum, vel Magistratuum secularium potestatem. *c. suam de ord. cogn. cum simil. Dec. vbi supra Couar. d. l. 4. cap. 8. §. 12. Celsus Hugo cons. 38. num. 4 post Anchar cons. 21. alias 20. Mascard. inn. vbi sup.* Quamuis in puncto Constitutionis, quæ nec Sac. S. Concilio Tridentino aduersatur, vt per *d. Cels. Vgon. vbi sup. num. 5. 6. 7. 8. & 9. Plot. in l. si quando num. 341. C. vnde vi*, nec puniat contrafacientem in re sua, vel sibi debita de iure communi, vel naturali, sed tantùm eum priuet auferendo ei lucrum prouenturum ex statuto eiusdem Principis secularis, post multos pro ipsius validitate scripserunt *Innoc. & Butr. in c. 1. de spons. vbi Fel. col. 8. vers. secundo fallit num. 10. Alex. cons. 97. col. fin. vers. ad 4. & vers. secundo respondeo, vbi appostilla in verbo valere lib. 1. Dec. in c. Ecclesia nu. 36. de constit. & cons. 331. Paris. cons. 29. num. 35. & sequ. lib. 3. Vasq de succes. creat. lib. 1. §. 10. nu 627. vers. quid dicendum. & num. 629. & 633. ad fin. Menoch. cons. 69. num. 64. Cels. Vgo d. cons. 38. num. 5. & seq.* & alii plures relati per *d. Mascard. inn. d. conclus. 1. nu. 287 in trac. de gen. stat. interpret.* Atque ita vsu recepta est apud Senatum, vt omnes norunt.

29

30 Minus dubium est, quando secularis potestas ante contractum matrimonium se interponit, veluti, quando puella propter ætatis imbecillitatem non habet nec velle, nec nolle, & propinqui diffiderent, vel quando propter verecundiam recusaret adulta maritorum habere delectum. *l. 1. & ibi Odofred. Bal. & Fulgos. & in l. coniunctione C. de nup. Fel. in rub. de treg. & pac.* vel etiam quando de aliqua seductione dubitatur, aut compulsione, quo casu interponit se Senatus, non vt libertatem matrimonij restringat, sed vt conseruet, puella ad locum tutum, & honestum remissa, accessu ijs interdicto, a quibus sibi timendum esset, *arg. tex. in l. curent ff. de testib. l. vidua ad fin. C. de nup.* quod & a iudice Ecclesiastico perfici posset. *c. cum locum de spons.* Et quod possit Iudex, pendente controuersia de puella matrimonio collocanda, puellam deponere, quousque lis perficiatur, est *tex. in l. deinde § pen ff. de lib exhib.* qui sanè non aliam rationem considerare videtur, quàm pudicitiæ, & futuri matrimonij libertatem. Hinc *Crau. in cons. 190. num. 1.* inquit, quod si essent contracta sponsalia, ac quia puella esset tenellæ ætatis, & nixus copulæ intercessisset, suspicareturq; de eo apud quem puella esset, posse iudicem eam repositionem concedere, vt ei libera remaneat voluntas, & matrimonium cum fuerit perfectioris iudicij, & maturioris consilij. Quod si conceditur quando est impubes fortius inquit *Asin. de execut. §. 3. cap. 107.* concedi debet, si matrimonio capax sit, idq; multis probat. Hoc ergo si iudici permissum est, fortius Senatui. Iterum *Asin cap. 127. & 142.* Addit etiam auctoritate multorum; *ibidem cap. 110.* posse Iudicem cogere patrem ad dotandam filiam, indicta (etiam ex officio) ei multa, & pignoribus captis; scribit etiam *Tessaur. decis. 117.* posse secularem de possessorio matrimonij cognoscere, & item incidenter; sequitur *Decian. resp. 51. in prin. lib. 5.* Et de reponenda puella, quando duo ad ipsius matrimonium anhelant, scribit *Paris. cons. 56. lib. 1. Albacons. 246. ad finem Caroc. de sequestro p. 1. quæst. 1. Crau. cons. 190 Azened. plenè cons. 37. Gail. obseru. 112. num. 15. lib. 1.*

Excudendi facultatem licet omnibus gentibus peræque communem fuisse pateat ab anno 1458. 31
quo ars ista vndique admirabilis apud Germanos adinuenta, & subinde in Italiam, & alias orbis partes translata: iurique gentium secundario comprobata ob publicas, priuatasque necessitates: cum tamen primum vsu compertum fuerit, eam facultatem humanis rebus licet perquam necessariam, non leuia quandoque incommoda tamen pariebat, in his potissimum, quæ ad Orthodoxæ fidei cultum, obseruationemque pertinebant; multis sanctorum patrum concilijs, maxime Lateranensi, & Tridentino prouisum fuit, ne Impressoribus de cetero liceret libros de rebus sacris imprimere, nisi prius ab ordinarijs locorum examinarentur, & ab eis alijsve superioribus excudendi licentia obtineretur: eaque prouisio etiam ad obscœnitates porrigitur, quæ & publicam honestatem læderent, & ansam peccandi præberent, vt per *Henric. Bote. de Synodo Episc. par. 3. art. 1. conclus. 17. num. 273. & sequen.* Cum vero nihil superesse apud seculares proponeretur, quod interdicto egeret, vel limitatione, illibata quoad ipso diu mansit ea Typographorum facultas, donec iustissima ratione postulante cautum fuit, vt non omnia Typicis calcographorum notis committerentur, repetitis edictis, & grauioribus etiam pœnis Impressoribus indictis, si absque Senatoris muneri huic Præfecti licentia quicquam imprimerent.

Consueuerunt Principes alij causas vel suas, vel aliorum Senatui cognoscendas mandare, idque iure, & ratione: non enim proprijs ita obruitur Senatus negotijs, vt alienis incumbere quandoque nequeat; ita vt ordinatæ charitati locus suus relinquatur, vt per *Bal. in l. cum acutissimi in 1. notab. C. de fideicom.* Ratio enim generalis obsequij, immo charitatis, sine qua Deo placere non possumus, suadet, vt omnibus quoad fieri potest, prodesse debeamus. *Deus enim est charitas, & qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo.* Illa vero secundum Apostolum, *non quærit, quæ sua sunt, sed omnibus omnia communicat.* Hinc Prouerb. xij. *qui damnum negligit propter amicum iustus.* Alia est ratio politicæ consuetudini magis proxima, secundum quam viuere, & conuersari vnumquemque decet, Aristotile auctore, nempè vt externis Principibus, à quibus medio harum delegationum rogatur Senatus, complaceant, nec iustæ indignationis ansam præbeant. Se enim negligi, & quodammodo dignitatisve derogari putarent illi, si reijcerent iustam ipsorum petitionem. Hinc prisci illi Romani, quos velut alteram lucem, Plinio teste, Dij nobis dedisse videntur, legatos externorum Principum summa cum humanitate hospitio exci-

excipere, exceptosq; donis prosequi consueuerant,
34 nedum ipsos, sed etiam comites, & amicos. Hinc
etiam quæ ab ipsis petebantur, si iusta modo, &
honesta viderentur, ita liberaliter concedebant; vt
recedentes plus à se impetratum, quam petitum
fuisse prædicarent: quæ vero, aut minus iusta, aut
non satis æqua petita fuissent, vultu tamen tristio-
re non denegabant, sed ea comitate, ac prudentia
negationem conuestiebant; vt non tam ipsi negas-
35 se, quàm illi petita recusasse viderentur. Tertia
ratio est, vt retributioni locus esse debeat, ad quam
omnis creatura naturæ præcepto tenetur, vt a quo
quisque beneficium acceperit, ei se plurimum de-
bere intelligat, *l. sed etsi §. consuluit*, vbi *glos. ff. de
pet. hær.* quæ res Principibus maxime obuia fuit, a
quibus parem, & sæpe maiorem gratiam in arduis
etiam quibuscunque negotijs relatum fuisse com-
perimus. Quarta connecti potest ratio Iurisconsul-
tis non ignota, vt liceat collitigantibus Magistra-
36 tibus, cui non subsint, iurisdictionem ex communi
consensu prorogare. *l. 1. & 2. ff. de iud. l. si conue-
nerint, & l. est receptum ff. de iur. omn. iud. l. si qui
ex consensu C. de ep. aud. c P. & G.* vbi *Abb. & alij
de off. deleg.* & hoc non solum priuatis, sed etiam
ciuitatibus, nempè vt possit vna ciuitas in
certa causa iurisdictioni alienæ se submittere.
*Bal. in d. l. si qui consensu*; quin & Imperatori, &
Papæ *glos. & scrib. in d. l. est receptum.* Frustra au-
tem id à legumlatoribus traditum fuisset, si Iudices,
quorum prorogari iurisdictionem contigisset, pro-
rogationem reijcere semper debuissent, vel raro
saltem admittere. Decet itaque Senatui externo-
rum causas benigne suscipere, viris Principibus
37 maxime deprecantibus. Inde enim arbitrati sunt
Duces Sfortiadæ fieri non posse, quin ex hominum
opinione maxime existimationi suæ conduceret,
quod ad Senatus huius sapientiam, & iustitiam,
quasi ad sacram anchoram, rebus aduersis,
aut dubijs omnes confugerent. Propterea nul-
la ratio erit, quare tam antiquum, & laudabilem
morem Senatoribus nostris, tanquam per manus
a maioribus traditum contemnere ipsi debeant:
quicquid parum consulte à quibusdam dictum sit.
38 Compromissariorum etiam personam suscipere
Senatoribus non denegatur, siquidem edictum de
arbitris permissorium est, & eos non excipit. *l. 3.
§ 1 ff. de arb. Orian. in tract. de arb. vers. hactenus
Perus. in eodem tract. lib. 4. in prin.* Sed immo con-
sularibus personis, vel supremum Magistratum ge-
rentibus, ac quauis dignitate fulgentibus lege ex-
pressa permissum fuit. *d. l. 3. in fine, & l. sequen.*
Quinetiam nec ipsismet ordinarijs inhibitum, si
causæ iam coram ipsis vti iudicibus non fuissent in-
troductæ, ex receptiori scribentium sententia. *Pe-
rus. d lib. 4. cap. 2.* & quod superest in ordinario
prohibitione generali adhuc consuetudine abroga-
tum est, *glos & Bar. in l. sed ita §. si quis iudex ff.
de arb.* ergo & fortius in Senatore, qui ordinario-
rum vices non obtinet. Immo nec proprie vni-
uersi, si causæ ad Senatum immediatè non spectent.
Ordinariam siquidem in ceteris Senatus iurisdictio-
nem obtineat, Senator vero delegatam, vt in ter-
minis vult *Alciat. cons. 73. lib. 6.* Dum enim vices
Regis Senatur gerit, nulli dubium est, quin ordi-
narius dicatur. *l. suggerente C. de off.* eius qui vi-
cem alterius gerit. Scribentes *in l. Imperium ff. de
iur. omn. iud. cum simil.* sic etiam *Tessaur. in præfat.
decis. suarum nu. 34* & de compromissis factis in
Vincen. de Fran. Præsidem, ipse meminit *in decis.
554. par. 4. & 594. eod. par. & alibi*; nec verisimile
est, quod, si compromissarij munus alienum à iure
fuisset, reprobatum vè ipse illud pluries exercuisset.
Neque vero huic facultati obseruata moles aduer-
satur, cum etiam istis (quæ paucissima sunt) super- 39
esse Senatores queant, si ad solitum, præstitutumq;
numerum accedant tum quia æqualis in his. & illis
dirimendis vigeat reipub. fauor, consistatq; *Perus. in
d. tract. lib 1. cap. 19.* Et constat rectè delegari cau-
sam, compositione prius si fieri potest, quàm sen-
tentia terminandam. *c. 1. de mut. pet. Dec. post
alios in l. quidam existimauerat num. 4. ff. si cert.
pet.*

Deligit singulo anno Præses in protectores car-
ceratorum, quos vult ex causidicis, qui in notula
ab Abb. eorum sibi transmissa, propositi sunt.

Rebus, qui præsunt criminalibus, itèm & eorum
notarijs, cum certæ sportulæ per reos solui debeant,
adhibiti sunt thesaurarij, qui eas recipiant, & iux-
ta ordines distribuant. Hos autem deligit Præses.

Cogere Senatus potest partes diu litigantes ad
compromittendum, teste *Gram. decis. 9. in prin.* &
plenius per scribentes *in l. 1. § inde queritur vers.
quid enim aliud ff. de op. no. nunc. Afflic.* & ibi
addentes *decis. 49. num. 5.* de qua re latius infra
cap.

Coram Senatu nunquam concluditur in causa,
ideo iura & instrumenta nouiter reperta quando-
cunque recipiuntur, etiam post relatam causam,
ante tamen ipsius definitionem; neque rigor ille iu-
ris, quem obseruat Senatus Pedemontanus, vt te-
statur *Ant. Sola ad decretum vt nihil. tit. de conclus.
in causa glos. vnica. attenditur.*

Causæ coram Senatu instantiam non habent, vt
cautum est infra *tit de iud §. hæc autem Constitutio*;
& ex ordine anni 1559. 11. Septembris. Quod
etiam de iure verum esse testati sunt *Calcan cons.
26. num. 9. Fel. in c. causis de re iud.*

Dilationes plures dari possunt coram Senatu li-
tigantibus. *l. in offerendis*, vbi *Bar. C. de app. Andr.
Gomez. de instr. resign. q. 13. Gail. obseru. 91.*

Consilia illa Ducalia causas priuatorum cogno-
scere quandoque consueuisse ita æquitate exigente,
& iustitia, ostensum est supra ex ordine illo anni
1500. vbi habetur. Præsidem certis diebus cum
quatuor Senatoribus consedisse; vt eas causas au-
diret priuatorum. Expost autem id per preces fieri
consueuit, quibus pauperi supplicanti, vel poten-
tia aduersantis oppresso, aut cauillis circumducto,
inscitia ve iudicis grauato Senatus succurrit, dum
de eadem causa ipse cognoscit. Tollit etiam eas
rigorosas exceptiones, quæ iudicium differre,
& lites alias serere consueuerunt, & hæc iure
merito, prout paullo infra docebimus, & tradit
*Lancell. Conrad. in templo iud. lib. 1. cap. 7. num
10 & 11.* Congruit sanè, vt subditi, quibus via or-
dinaria consuli non potest à Senatu subleuentur.
*Aristoteles* enim *v. Ethico. cap. pen.* ait, *licet vnum
idemq; sit ius, atque æquum & bonum: attamen alte-
rum altero præstantius est: nam æquum & bonum ius,
quod legitimum dicitur emendat. Id vero accidit,
quia omnis lex per se vniuersalis est; & fieri non po-
test, vt de singulis in vniuersum caueri possit. Itaque
lex, quæ id ipsum non ignorat, & nihilominus quæ de-
finit, generaliter definire debet: accommodat se se ad*

ea,

*ea, quæ plerumq; accedunt, & hoc vitium, vt omnia comprehendat, neque in lege, neque in legislatore est, sed in ipsa rerum natura, quæ omnium, quæ veniunt in actionem talis est. Quocirca cum aliquid præter legem acciderit, emendandum est eo modo, quo si præsidesset legislator, aut adhuc etiam viueret, legem sanè condidisset. Præterea sunt etiam multa negotia, de quibus vix, ac ne vix quidem, leges ferri possunt. Quare vbi decreto opus est, id est bono, & æquo iudice, qui rei indefinita, definitam atque certam normam ac regulam applicet.* Hactenus Arist. qui etiam lib. 1. Rethor. ad Theod. sic ait. *De rebus vniuersis, & futuris lex est: de singulis atque præsentibus, Magistratuum iudicium*, quod etiam sequitur Cicero in partition. Demosthenes contra Bæotum. *Si igitur ius constat ex æquo & bono*, vt ex auctore ad Herenn. lib. 11. *si finis iustitiæ est, vt cuique suum tribuatur; Si Præses prouinciæ pacatam & quietam quam regit prouinciam tenere debet; priuatis reclamantibus vel propter iniuriam iudicis, vel propter partis versutiam potentiamvè, cur subueniendum non est?*

Non de iuris apicibus coram Senatu agendum erit, sed id spectandum, vt quisque suum consequatur. *c. petitionum de accus. quem tex notab.* dicit *Bal. in c. 1 § fin. col. fin. de non. for. fidel.* idem *Bal. in l. 1. C. de legib. post Innoc. in c. causis de re iud.* quia coram Principe, vel eius consistorio iuris ordo non seruatur, vt ibi.

Plura alia fuisse Senatus commodo non sine ratione credendum erit, sed vel temporis cursu longissimo nunc antiquata, vel alio respectu oblitterata. Omnia tamen quæ supra retulimus iure & ratione munita videntur, atque intra modum auctoritatis & imperij retinentur.

Quibus præteritis temporibus &c. hæc verba stant conditionaliter, scilicet quatenus sit consuetum, non causatiue, scilicet, quibus non vtebantur, referuntur vero ad incerta.

## CAPVT II.

*Senatoris, & Senatus quæ præcipua.*

His præmissis, ad ea deueniamus, quæ munus Præsidis, & Senatorum respiciunt. Aliqua supra tetigimus, tum in *cap. 1. glos. 3. tum in glos. 4. per totam*; nunc vero de cæteris, ac primum de ijs, quæ ab ipso Præside, & Senatoribus fiunt, & decernuntur, & quæ ipsius Præsidis, & Senatores sint in eo munere propria, quæuè præcipua. Quo in genere permulta quidem in his Constitutionibus, Decretis Ducalibus, ac Senatusconsultis tradita legimus; sed alia plura dignoscimus, quæ scriptis mandata non sunt, scitu tamen, & ad tractationem nostram omnino necessaria; ideo illa nunc adducere placuit. Illudque in primis nobis se offert, quod in ipsa Senatus Constitutione per Sfortiadem Ducem traditum est, in hæc verba.

*Oportet Senatum continuò Tulliani illius meminisse,*
41 *Quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare. Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat imperare, cùm ipse improbissimis dominis dedecori, ac turpitudini parere desierit. Bonorum sibi Senatores virorum nomen vendicent, & re ipsa boni sint; vera namque virtus, vti firma, & solida radices agit, ficta omnia, ac simulata tamquam flosculi decidunt. Iustitiam in primis amplectantur, in qua omnis splendor, ita vt ex ea boni viri nominentur, & adeo boni viri sint, vt sicut ait Plato, omnibus prosint, nemini noceant. Obseruetur oculis eorum illud Euripidis Græci Tragici. Iustitiam Hespero, & Lucifero esse clariorem: obseruetur & illud Salamonis Regis, quod in libro scripsit sapientiæ. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum, honestauit eum in laboribus, & compleuit labores eius in fraude circumuenientium, illi affuit, & honestum fecit illum, & certamen dedit ei forte, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia: hæc nedum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit, descenditque cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerant eum, & dedit illi claritatem æternam Dominus Deus noster.* Hactenus ex Sfortiada constitutione.

Proprium igitur Senatoris iustitia est, (quod munus Regum esse solet ex his quæ scribit *Afflic decis. 265. num. 81., & Cabed. decis. lusit. 1. num. 9. p 1.*) sine qua nihil rectè agitur, quia fundamentum est humanæ societatis, bona custos iuris alieni, & vindex proprietatis, suum cuique conseruans, quæ nec bonis, nec personis excipitur, & sine qua nihil potest esse nec bonum, nec æquum, ex *Cicer. II. officiorum. Diuo Ambros. lib. 1. c. 2. in princ., & lib. 2. c. 9.* officiorum Regula etiam iustitiæ manifesta est ait *id. D. Ambros. eod. lib. c. 11.*, quod à vero declinare virum non decet bonum, nec damno iniusto afficere quemquam, nec doli aliquid annectere, fraudisue componere. Hinc rectè Agis, qui ad publicum munus est delectus optima facere tenetur, optima vero ea sunt, quæ iusta sunt; & hæc qui exercuerit beatus erit dicente Proph. *Psal. 105., & Psal. 7. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore.*

Debet etiam Senator Senatorio duntaxat muneri, cæteris prætermissis inseruire, vt tradit in specie *Afflic. ad constit. lib. 1. rub. 45. num. 57. vers. sexdecimo*: ea ratione qua Iuuenalis *Satyra 7.* 42

*Pectora nostra duas non admittentia curas,*
*Ne dum in vtramque festinet, neutram bene peragat.*

Facit *l. nemo C. de assess.* Quod colligitur etiam ex *Plin. ep. 2. lib. 10.* verbis. *Vt primum me Domine indulgentia vestra promouit ad præfecturam ærarij Saturnini, omnibus aduocationibus, quibus alioquin nunquam eram promiscue functus, renunciaui, vt toto animo delegato mihi officio vacarem.* Et de hoc est *glos. occupatam in auth. de app. § adhoc.* Et facit *text. in l. Paulus 1. in fine.* Volens, eum qui legatione fungitur, neque alieno, neque proprijs negotijs se interponere debere: in qua causa non videri eum quoque contineri, qui cum amico suo Prætore gratis consilium suum participat. Aliena enim cura solutus, iustitiæ partes omnes facilius obseruare poterit.

Sic & Libanius, dum voluit, duabus curis ingenium non debere occupari. Neque enim, *Quintil. lib. 10. c. 3.* bona fide simul se intendere animus totum potest, & quocunque respexerit; desinit intueri, quod propositum erat. Qua de re etiam *Iustinianus vetat in l. 5. C. qui milit. poss. lib. 12.* ne simul quis duobus militijs det nomen, & in *l. vlt. C. de assess.*

*assess.* sanxit, ne quis duobus Magistratibus assideret, & vtriusque iudicij curam gereret; vnicum enim ab vno optime perficitur opus, ex *Arist. lib. 11. cap 10. Polit.*

Non translatitiè, id est negligenter, nec verè muneris tui partes implere tenetur; ne præuaricator fiat, vt in *l. 1 ff. ad Sen. consf. Turpill.*

## CAPVT III.

*Qua ratione Præses solus Senatoresuè, qui lectores dicuntur, supplicantium petitiones plerasque, vna cum ipsius Præsidis approbatione audiant, & expediant.*

IN ipsis autem muneribus exercendis permultas agnoscimus Præsidis, & Senatorum prærogatiuas, & commoditates, hanc autem præcipuam;
44 vt ex antiquissimo instituto, tres singulis mensibus Senatores, qui ciuilium, alij vero duo singulis binis mensibus, qui criminalium causarum expeditioni incumbant, deligantur. Et hi lectores nuncupantur; quorum munus est supplices libellos, preces, & postulata petentium legere, & super eis quod iustum est decernere, vel eos etiam reijcere subscriptione apposita. Vnum ex his quem maluerit potest
45 ab initio petitor quilibet adire. Quicquid autem Senator aditus decernit, vel breuiter in libellis ipsis adnotat; aut aliter statuit, aut consulentibus respondit (dicitur enim decretatio, adnotatio, & rescriptum, siue dispositio, in *l. 9. C. de palat. sacr. largit. in l. vniuersa rescripta de diu. rescript. Capitol.* in Opilio Macrino *Nouell. 113. in prin. sen. auth. in med. lit. non fieri sacr. firm. l. vlt. C. si contra ius vel vtil. pub.* item *nouella 124. est auth. vt litigantes iur. in cord. lit.*) per vnum ex cancellarijs Senatus excipitur, impletur, aut (implebant autem Magistri sacr. scriniorum excepta rescripta breuiter decreta latius extendebant. *l. vlt C. de diu. rescrip. d. l. vlt. C. si contra ius vel vtil. pub.* ibi, *quæ sine præfata adiectione*) extenditur, aut in minutam, vt aiunt, redigitur (minuta autem dicebatur quia minutis literis scribebatur) quæ mox Præsidi defertur; qui vel illam subscriptione sua approbat, aut corrigit, emendat, aut reijcit, aliquando etiam iubet in Senatu legi, aut preces parti intimari. Quemadmodum enim petitionum causæ multæ sunt, ita etiam variæ, di-
46 uersaque decreta, & rescripta emanant, quæ supra *glos. 1. cap. 5. vers. non etiam obesse potest*, retulimus; ea tamen semper vel ad solam partis postulationem parte inaudita, aut ea monita decernuntur. Quatenus autem pars audienda est, vel quia iusserit Senator aditus, vel Præses eam vocari via decreti. Intimetur parti, pars respondeat, vel semel respondeat; expectandum erit responsum partis respondere volentis saltem per aliquot dies, prout etiam habetur in *l. 1. 5. 8. 9. & 24. C. de appell. l. 2. 3. & 5 de relat.*, & clarius in *l. vlt ff. quan. appell. sit.*, & hæ preces, & responsa, vna cum hinc inde replicatis, non illi primo Senatori deferuntur, sed monenda est pars, quæ suum suspectum ex ipsis Senatoribus lectoribus nominet, mox non suspecto demandantur, qui iuxta facti qualitatem, vel solus super eis decernit, vel eas in frequenti Senatu refert. Expeditio vero ipsa quoquo modo fiat Præsidis est etiam subscriptione munienda: eo enim inconsulto, & sine ipsius per subscriptionem approbatione in Senatu ratum nihil prorsus habetur, vt etiam diximus supra *glos. 3. cap. 1.* Porrò quicquid in Senatu fit sub nomine Regis emanat. Interest autem, an res cognitionem plenam desideret, aut pla- 47
nam, & an via ordinaria agatur, aut sit auocata per concessionem audientiæ causa: quia, vbi audienda sit pars publicè, si Senator qui audientiam concessit, aliqua de causa, infirmitatis, puta, absentiæ, vel mortis expeditioni incumbere non potuerit; alius eius loco subrogatur, non tamen ea, qua dicebamus forma, monita parte ad dandum suspectum ex ipsis Senatoribus lectoribus, sed ad dandum suspectos ex toto Senatu, vnum ab vtraque parte. Adeo vt, vbi in priori casu res ad tres tantùm reducitur, ex quibus, cùm duo vt plurimum suspecti dentur, quia vna pars vnum, & altera alterum suspectum nominet; tertio diriguntur mutua supplicata, absque eo, quod sit in facultate alicuius, vt scripturæ ipse vni magis, quàm alteri deferantur; Si verò, vel nullus nominetur suspectus, vel ambæ partes in eundem conueniant suspectum; tunc cancellarius, vel Secretarius causæ ipsas scripturas alteri ex dictis tribus lectoribus, cui mauult, dirigit. In posteriori casu sola electio est Præsidis, qui aliquem ad sui libitum, ex non datis tamen suspectis a partibus, subrogat; & idem posterius etiam seruatur in commissione causarum, quæ ex dispositione harum Nouar. Constit. Senatoriæ sunt, & tamquam Senatoriæ committuntur, quia & in illis dantur suspecti ex toto Senatu, atque illis semotis idem Præses causas ipsas huic, vel illi, prout ipsi libet, demandat Senatori. His igi- 48
tur antiquis prærogatiuis potiuntur Præses, & Senatores, quarum institutum, & originem sicuti ignoramus; ita earum causam dignoscimus, nimirum vtilitatis, & commoditatis publicæ. Exemplo sanè præcepti, quod Moysi *Exod. cap. 18.* datum est in hæc verba. *Constitues, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit referunt ad te, & ipsi tantummodo minora iudicent, leniusq; sit tibi partito inter alios onere*, & paullo infra. *Quic-*
*quid autem grauius erat referebant ad eum, faciliora* 49
*tantummodo iudicantes*; grauia referenda sunt iuxta *not. in c. mandata de præsumpt.* vbi *D. Gregor. ad Maximum Episcopum*, inquit, *Mandata Ecclesiastica efficatius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur*. Moris etiam fuisse apud Romanos, vt quid à 50
Principe desideraturi, Principem etiam præsentem scripto adirent, auctores sunt *Plut. in Iulio Cæsare 324. Tacit. annal. iv. Tranquill. in Aug. cap. 53. & in Domitiano c. 17. Calistratus in l. Iulianus de re iud. & Vlpian. in l. ne satisdatio ff rem rat. hab.* hoc ipsum probatur *tot. tit. quando libell. Prin. dat. lit. contest. fac. Et ex l. non distinguemus §. cum quidam ff. de arb. l. semper §. demonstratur ff. de iur. immunit.* hoc est per libellum supplicem, vt in dictis locis; locus Plut. de quo supra talis est. *Id Cæsari significaturus cum quodam libello peruenit Artemidorus. Videns autem vniuersos, quos suscepisset libellos eius ministris commendantem, propius admodum accedens. Hunc*, inquit, *Cæsar confestim solus perlege: in eo enim magna, & quæ tua vehementer intersint conscripta sunt. Quo accepto, cùm eum sæpenumero legere eniteretur ab colloquentium multitudine id facere inhibitus est.* idem ex *Dion. lib. 44 & Suet. cap. 1.* legebantur ideo libelli, & illis

se

se subscribebat Princeps petita concedens, vel denegans, vt docuimus supra *glos. 3. cap. 1.* & firmant *Brisson. select. ex iur. ciu. antiqu. interp. lib. 3 cap. 7. Suet. in Nerone*, his verbis. *In iurisdictione postulantibus, nisi sequenti die, ac per libellos non temere respondit*, quod etiam habetur *in l. si quis obrepserit ff. ad l. Corneliam de falsis*, plenius apud *Plin. lib. 10. epist. ad Traianum*.

51 Idem etiam obseruatum fuisse coram Proconsule, aut Prætore multis probatum est supra *d. glos. 3. cap. 1.* ita tamen, vt leuia statim de plano expedirentur, *l. 1. ff. de constit. prin.* ibi, *vel de plano interlocutus est. l. non est ff. de manum. vindic. l. leuia ff. de accus. & inscrip. & l. ne quicquam §. de plano ff. de off. procons.* quasi plenariam duntaxat cognitionem, non iuris ordinem exigerent, vt *in l. 4. C. de dilat. & in l. 1. §. 3. de postul.* scribit etiam *Gomez. in proem. reg. cancell. pag. mihi* 4. Auditores olim fuisse primi, & secundi gradus: ij enim cognoscebant simpliciter de negotio principali alij vero de causa appellationis.

Si autem res, quæ petebatur talis esset, vt egeret decreto; tunc illa neque de plano, neque per libellum expediri poterat, sed in diem cognitionum differebatur, (qui dies cognitionum decreti dies appellabatur. *l. tutor petitus ff. de excus.*) ex Vlpiano in *d. l. nec quicquam*, his verbis. *Vbi decretum necessarium est, per libellum id expedire proconsul non potest, quæ enim causæ cognitionem desiderant per libellum non expediuntur*; à quo non dissentit regula iuris *in l. omnia quæ ff. de reg. iur. & l. 2. §. 1. ff. quis ordo in bon. poss.*

52 Decretum autem & generis olim, & speciei nomen fuit, ac pro eo, quod Prætor, iusdicensvè pronuntiabat teste *Reuardo pro trib. lib. cap. 8.* Postulatio coram iudice præcedebat, & summaria causæ cognitio, mox plenaria sequebatur cum decreti interpositione, consilijq; definitione: Eo præterea postulationum die solebat Prætor, vel iudicium exercere, vel præbere consilium; in eo autem consilio adhibebantur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani, *l. 2. ff. de off. eius cui mand. est iurisd.* Et quæ causæ expediri non poterant, ad alium cognitionum diem referebantur *d. l. 2.* & actio, siue postulatio edebatur. *l. 3. C. de eden.* exceptio vero per reum parabatur.

53 Actione edita, & exceptione proposita iudex partium consensu dabatur, *l. ex consensu ff. de app.* & per *Cicer. pro Cluen.* his verbis. *Neminem voluerunt maiores nostri, non modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima iudicem esse, nisi qui inter aduersarios conuenisset, Plut. in Catone Vticensi, & alij.* Idcirco, obseruandum esse, ait Calistratus, ne is iudex detur, quem altera pars nominatim petit. *l. iudex datus, alias Iulianus ait ff. de iud.* Idem etiam firmat *Valer. lib. 2 cap. 3.* inquiens. *Itaque iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit, hoc est ex ipsorum partium consensu.*

54 Huius etiam Senatus nostri instituti quosdam Senatores deligendi rationem ex Mæcenate ad Augustum, vt per *Dion. lib. 52.* colligere licet, dum inquit, *Præterea ad iudicia, ad literas, ad vrbium decreta, ad priuatorum hominum postulata, ad aliaq; omnia, quæ administrationi imperij competunt, adiutores, administros ex ordinibus quosdam habebis: sic & facilius singula peragentur, & neque tu per errorem falleris, neque, solus omnia conficiens, fatigaberis.*

Præterea, iure veteri quemadmodum prudentes viros quosdam institutos fuisse admittimus, qui consulentibus de iure respondebant, eorumq; responsa auctoritatem obtinebant, vt habetur *in l. 2. §. & quidem ex omnibus, & § & vt obiter ff. de orig. iur.* & scribit *Luc. de Penna in l. omnes C. de decur. lib. 10. num 30. & seq. Doct. in §. respons. instit. de iur. nat. gent. & ciuil.* Quemadmodum etiam Magistratibus datos legimus Assessores Iureconsultos *l. 1. de off. assessor.* quorum consilio secundum iura causas definirent. *l. pen. & vlt. eod. tit. l. 4. de var. & extraord. cogn.* (hi enim causas cognoscebant, postulata audiebant, libellos supplices legebant, & his respondebant decreta interpretabatur, & alia huiusmodi agebant. *l. 1. in fine, & §. 1. in auth. de iud.* criminales causas audire, ac votum super eis proferre. *l. solent de off. procons.*) ita etiam expedire visum est Principibus, ac patribus illis antiquis, hos Senatores lectores deputare, qui & soli, vel cum cæteris collegis vt supra consulentibus responderent, lites dirimerent, ac quid è repub. esset decernerent approbatione tamen Præsidis semper accedente; vt dictum est, & fortius si ex scripti recitatione, secundum *Alciat. in cons. 63. in fine lib. 6.* 55

Hinc Constitutio illa Senatus prior anni 1499. his vtitur. *Statuimus præterea, quod prouisiones ordinandæ super supplicationibus, quæ in dicto Senatu nostro per subditos nostros porrigentur, referantur, expediantur, & subsignentur per vnum ex dictis nostris Senatoribus, secundum quam expeditionem Secretarij habebunt literas expedire, & ad cancellariam nostram deferre.* Et paullo infra. *Ordinamus vlterius, quod dictus Cancellarius dictam cancellariam teneat, conuocatis secum quatuor ex dictis Senatoribus nostris, tam vltramontanis, quàm citramontanis per dictum Cancellarium nostrum eligendis, qui tamquam Magistri Requestarum habebunt assistere & literas, & prouisiones secum iudicare.* Et rursus; paullo supra. *Et vbi super dictis prouisionibus iustitia aliqua difficultas orirerur, quæ facta fuerit per dictum Cancellarium, vel alterum ex consiliarijs sibi assistentem. Cancellarius prædictus tenebitur consilio remittere, &c.*

Clarius ordo Regius anni 1500. in hæc verba. 56
*Et quoniam in cunctis, nec minus in iure reddendo ordo plurimum valet, neque viribus consistit, quod inordinatum est, curauimus, vt per ipsos Senatores nostros. Scilicet Venerabiles Patres Episcopum Lucionensem Cancellariũ nostrum, & Præsidentem in Senatu, A. Triuultium Episcopum Comensem, Hieronymum Pallauicinum Episcopum Nouariensem; dilectosq; nostros Petrum de Gallarate, Herasmum Triuultium, Gibertum Boromæum milites; Claudium de Seyssello, Scipionem Barbauarã, Michaelem Ricium, Ioannem Franciscum de Curte, Iaffredum Karoli, Hieronymum Cusanum, Io. Stephanum Castillioneũ, Augustinum Panigarolam, & Cæsarem Guascum V. I. Doctores Senatores nostros forma aliqua pro literis in Cancellaria nostra expediendis negotijs, causisq; tractandis, & diffiniendis in eodem Senatu præberetur, per quam celerius, quam fieri posset imponeretur litibus finis; negotiaq; & literæ expedirentur: vtq; subditi nostri possent facilius expeditiones consequi, & à laboribus sumptibusq; releuarentur. Per quos quidem Senatores adhibitis etiam nonnullis dilectis nostris doctoribus ex insigni Collegio Mediolani, pariterq; ex procuratoribus Collegij procuratorum, infrascripti ordines summa lucubratione editi, & accuratissimè castigati sunt, & Maiestati nostræ præsentati.* Quorum tenor sequitur & est talis.

*Ordines seruandi pro expediendis literis, causis, & negotijs, quæ occurrunt in Senatu, & Cancellaria Regia, Ducaliq; Mediolani.*

IN primis deputentur per D. Cancellarium quatuor ex Senatoribus iuxta formam Erectionis Senatus, qui assistant sigillo, & Cancellariæ cum eodem D. Cancellario singulis mensibus mutandi.

Item omnes supplicationes mittantur ad ipsos quatuor Senatores: & ipsorum officium erit videre dictas supplicationes, & referre dicto D. Cancellario, & decretationem seu ordinationem scribere in pede ipsius supplicationis, ac signare manu ipsius referentis; & deinde tradere secretario, vt quam primum poterit expeditiones faciat. Secretarius exemplum supplicationis sibi à parte dandum, & decretationis pariter exemplum manu sua penes se pro registro teneat.

Item litteræ ipsius expeditionis deferantur ad eosdem Senatores, scilicet ad eum, qui retulit supplicationem, & scripsit ordinationem in pede, qui signabit dictas litteras; & postea deferentur ad sigillum.

Item prouisiones solitæ & communes, sicuti salui conductus, si tres partes ex quatuor, suspensiones de consensu partium, & aliæ similes, poterunt etiam sine supplicatione, & decretatione ipsius supplicationis per Secretarios fieri in forma consueta, & postea deferri ad alterum ex quatuor dictorum Senatorum, qui videbit, referet in Cancellaria D. Cancellario, signabit in pede, & postea sigillabuntur, vt partes releuentur ab onere dandi supplicationem, & a mora expectandi decretationem super supplicatione.

Item, si aliquæ supplicationes occurrent, quæ videantur alicuius difficultatis vel momenti, vel quæ requirant partis vocationem arbitrio D. Cancellarij, & Senatorum singulis mensibus per dictum D. Cancellarium, vt supra deputandorum referantur in Senatu, & prouidebitur.

Item D. Cancellarius tenebit Cancellariam, & sigillum singulis diebus non feriatis, de mane hora decima secundum computationem Italiæ, & hora sexta secundum computationem Galliæ, quæ hora variabitur, secundum varietatem dierum, nisi aliud occurrat arbitrio D. Cancellarij, per quod videatur differre dictam Cancellariam ad aliam horam diei, vel ad aliam diem: & nihilominus erit semper in facultate dicti D. Cancellarij habita ratione negotiorum & personarum, quacunque hora diei sigillare occurrentes prouisiones, maxime pauperum, & miserabilium personarum. Illas præsertim prouisiones, quæ paruo sigillo, quod semper defert secum, erunt sigillandæ, vt possint supplicantes breui, & sine dispendio consequi prouisiones suas.

Item si videbitur D. Cancellario, quod aliquo die non possit interesse sigillo, & Cancellariæ aliquo impedimento subsistente, & velit committere sigillum pro illa die dictis quatuor Senatoribus, aut alteri ipsorum, ad effectum, vt expeditiones non retardentur, illud sit in arbitrio D. Cancellarij.

Item prouisiones, quæ expediuntur ad solum mandatum ipsius D. Cancellarij, sicuti literæ officiorum, ad suam collationem pertinentium, admissiones resignationum eorumdem officiorum, & aliæ huiusmodi, signabuntur per Secretarios hoc modo videlicet. PER REGEM DVCEM MEDIOLANI AD VESTRAM RELATIONEM. Illæ autem quæ expedientur per D. Gubernatorem, seu Locumtenentem Generalem sub nomine Regio in ijs, quæ pertinent ad suum officium, signabuntur hoc modo: PER REGEM DVCEM MEDIOLANI AD RELATIONEM D. LOCVMTENENTIS. Illæ vero prouisiones, quæ expediuntur in Senatu, vbi omnes Senatores, vel maior pars conuenerit, signabuntur hoc modo. PER REGEM DVCEM MEDIOLANI AD RELATIONEM SENATVS. Illæ vero, quæ expediuntur in Cancellaria ad relationem illorum quatuor Senatorum, vel alterius ipsorum signabuntur hoc modo. PER REGEM DVCEM MEDIOLANI AD RELATIONEM CONSILII. Ex qua signatura apparebit, an prouisio sit expedita per solum Cancellarium, an per solum Gubernatorem, aut per Cancellarium, & dictos quatuor Senatores, an vero per Cancellarium, & totum Senatum.

Item, etsi Christianissimus Rex ordinauerit taxam sigilli prout exigitur in Francia, quæ exacta fuit ab omni æuo, & satis est leuis, & tollerabilis; tamen Reuerendus D. Episcopus Lucionensis Cancellarius, cuius est proprium munus, fretus de summa bonitate ipsius Christianissimi Regis, & de maximo affectu, quem habet ipse Christianissimus Rex ad commodum subditorum, & ad subleuandos eos quantum possibile sit ab omni onere, etiam ipsam taxam moderauit, & reduxit secundum consilium Magnificorum Senatorum, tam ex vrbe ipsa Mediolani, quam forensium, quos in hac re ipse Reuerendus Episcopus Cancellarius consulere voluit. Sicq; ordinauit, & ordinat idem Reuerendus Cancellarius taxam ipsam sigilli exigi in modum, qui sequitur. Et paullo post.

Item D. Cancellarius, & Senatores singulis diebus non feriatis in honorem Dei conuenient de mane hora septima secundum computationem horarum Galliæ, & hora vndecima secundum computationem Italiæ, & variabitur hora secundum varietatem dierum, & erunt simul in negotijs expediendis per duas horas cum dimidia. Et, si, quæ supplicationes erunt reseruatæ deliberandi in Senatu, referantur primo loco, & expediantur; & postea audiantur Senatores in relationibus faciendis per eos arbitrio D. Cancellarij, vt illud negotium præferatur in expeditione, quod ipse duxerit præferendum. Verum si semel relatio alicuius processus incidenter, vel diffinitiuæ fuerit cepta, non possit interrumpi, vt fiat alia relatio alterius negotij donec illud fuerit diffinitum, nisi ex magna, & vrgentissima causa arbitrio D. Cancellarij.

Item poterunt conuenire post prandium ter in hebdomada, videlicet die Lunæ, Mercurij, & Veneris hora vigesima.

Forma

*Forma autem procedendi in causis ipsis erit talis.*

IN primis quia ad Senatum referuntur negotia altero de tribus modis, videlicet per viam supplicationum verbo, vel in scriptis in causis, quæ non sunt deffiniendæ in Senatu, sed pro aliqua prouisione habenda in negotijs iudicialibus, vel extraiudicialibus. Secundo, dum causæ, quæ sui natura ex forma erectionis ipsius Senatus introductæ sunt, vel erunt introducendæ in eodem Senatu. Tertiò, dum per appellationem habebitur recursus ad Senatum in casibus in quibus ad ipsum Senatum appellari potest ex forma dictæ erectionis, & non aliter.

Circa primum seruabitur forma expediendi ipsas supplicationes de qua supra dictum est, & fiat prouisio opportuna super ipsis supplicationibus vbi commodè fieri poterit parte non vocata ad euitandum labores & expensas, committendo, remittendo, aut restituendo, vel aliter rescribendo, prout negotij natura requirat; adeo vt vbi negotij qualitas exigat partis citationem, & causæ cognitionem, potius remittatur iudici, cui cognitio pertinebit, quàm quod partes in Senatu euocentur.

Verum quia interdum causa de sui natura exigit diffinitionem Senatus, vel ratione rei de qua agitur, vel ratione personarum iuxta antiquam obseruantiam, vel propter scandala euitanda, vel vt celerius prouideatur, maxime quando partes erunt in Ciuitate, & causa sit breuis, & sine figura iudicij diffinienda: Si Senatus censeat partem euocari, in termino competenti euocabitur, & negotium audietur summatim per ipsum Senatum, vel per aliquem, vel aliquos ex Senatoribus modo quo infra, per quos prouidebitur cum omni celeritate, facti veritate inspecta, vel referetur, prout eisdem Senatoribus videbitur expedire ad Senatum, vt quamcelerius fieri possit partibus iustitia ministretur; nec aliter partes fatigentur comparere in Senatu. Verum in casu præmisso, vbi partes Senatus decreto erunt euocandæ, debebunt comparere per se, seu per procuratorem instructum, & poterunt Aduocatum habere: & causa proposita, & intellecta prouisio conueniens adhibebitur: & vbi maiorem discussionem exigeret, vni vel pluribus ex Senatoribus audientia committatur, qui prouidebunt, vel referrent vtsupra. Si vero pars euocata non compareat, constito de citatione, & relatione nuntij, Senatus prouidebit ea vlterius non expectata: ipso vero supplicante non comparente in termino, supplicato instante, & eius contumacia accusante, condemnabitur supplicans in expensis, nec nisi expensis ipsis refectis super ipsa supplicatione audietur: poterunt tamen purgare contumaciam intra diem vnam immediatè post contumaciam subsequentem.

In secundo vero casu, causæ in Senatu introducendæ sunt, vel erunt introducendæ ibidem principaliter diffiniendæ vt supra, forma procedendi erit talis.

In primis supplicatione porrecta, vel literis continentibus commissionem Senatui præsentatis, decernetur citatio, & si partes erunt in ciuitate, vel suburbijs fiet verbo per hostiarium, vel nuntium: verum Secretarius, siue notarius causæ de ipso decreto citationis, & relatione nuntij faciat registrũ, & nihilominus deferat dictus hostiarius, seu nuntius cedulam manu eiusdem Secretarij subscriptam, quæ contineat causam citationis saltem in genere, diem, atque horam comparitionis fiendæ, & nomen eius ad cuius instantiam fit: quam cedulam parti citatæ, aut domesticis suis in loco habitationis dimittat, vel in porta domus ipsius habitationis affigat coram testibus, nemine in domo reperto, & facta notitia parrochiano; de quibus omnibus prout ab eo gesta erunt relationem faciat ipsi Secretario registrandam per ipsum vt supra, vel si malit actor, nuntius seu hostiarius prædictus cum exemplo supplicationis, & literarum commissionis citet vtsupra, vt pars citanda sit magis instructa: neque terminum ad deliberandum petere possit iuxta formam iuris; & fiat citatio ad illum actum, & ad omnes, & singulos actus vsque ad sententiam exclusiuè, ad releuandum partes ab onere, & sumptibus plurium citationum. Si vero pars citanda non sit in Ciuitate vel suburbijs, fiat citatio per literas patentes, a Cancellaria emanandas, ad relationem Senatus; in quibus literis inseratur tenor supplicationis, vel literarum commissionis, aut exemplum annectatur, vt pars citanda magis instructa comparere possit; & ponatur dies ad quam comparere teneatur, & moneatur ad omnes actus vtsupra. Nuntius vero, cui citatio facienda demandabitur, si sit hostiarius Senatus, & peritus literarum, teneatur facere relationem in scriptis manu sua, si vero sit imperitus illam facere debeat Secretario causæ, specificando diem citationis, & diem ad comparendum præfixam, etsi personaliter, vel in domo, cum responsione facta per ipsum citatum: vbi vero fiat citatio per alium nuntium extra ciuitatem vtsupra, siquidem a Ciuitate destinetur, referat ipse nuntius Secretario, & notario causæ, modo quosupra. Vbi vero non demandetur citatio alteri officiario extra vrbem, referat ipse in scriptis Senatui modo quosupra. Teneatur autem pars, ad cuius instantiam fit citatio, mittere per nuntium copiam citationis suis sumptibus dimittendam parti citatæ, & idem referendi modus seruetur per omnes officiarios, hostiarios, & nuntios, quibus per literas Regias, vel Senatus nuda executio demandabitur.

Teneatur vtraque pars comparere personaliter, vel legitimè per procuratorem in primo termino præfixo nulla alia citatione expectata, & describi facere comparitionem in actis, ac dimittere procuratorem si discedere à ciuitate voluerint; quod si non compareant: siquidem sit actor, reo ipsius contumaciam accusante absoluetur reus ab obseruatione iudicij, & actor condemnabitur in expensis, nec deinceps in causa ipsa audietur actor, nisi expensis ipsis refectis. Si vero reus non compareat, actore instante, & eius contumaciam accusante, priuabitur reus facultate opponendi quascunque declinatorias exceptiones, & procedetur deinceps iuxta formam iuris, & decretorum ducalium, nisi infra biduum compareat, & expensas actori offerat, quo casu admittatur etiam ad declinatorias opponendas, & prædicta seruentur, nisi alter ex eis iuste impeditus fuerit, & impedimento, quod post citationem superuenerit, arbitrio Senatus.

Forma

*Forma autem accusandi contumaciam.*

Actor vel reus, qui voluerit contumaciam partis aduersæ accusare, in termino præfixo compareat coram Secretario, & notario causæ. & describi faciat in actis per ipsum Secretarium comparitionem suam vtsupra, & contumaciam partis aduersæ, si se non præsentauerit apud acta in termino prædicto vtsupra, & nihilominus in prima audientia prouideat, quod Secretarius, seu notarius causæ habeat in promptu citationem, relationem, & reliqua acta; & tunc petat verbo procedi contra partem contumacem, quæ euocata verbo per hostiarium alta voce, si nullus compareat pro ea, reputabitur contumax, & procedetur in eius contumaciam vtsupra.

Partibus vero comparentibus non admittantur Aduocati, nisi ad proponendum factum, vel ad respondendum in facto duntaxat parte præsente, vel procuratore legitimo pro ea in ipsa propositione, vel responsione facti. Quæ propositio per actorem facienda, & responsio per reum redigatur in scriptis per notarium causæ, & vbi prolixiores fuerint, in scriptis intra biduum dare debeant ipsi notario, nisi partes essent contentæ narratis in supplicatione, & responsione. Allegationes autem iuris fiant processu instructo, & negotio discusso vt infra.

Propositione autem facta, & responsione secuta verbo, vel in scriptis; Senatus media causæ (hoc est merita) committat vni vel duobus Senatoribus per D. Cancellarium deputandis, vt facilius, & celerius expeditionem partes ipsæ consequantur, qui procedant summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, ac facti veritate inspecta, abbreuiando quantum fieri poterit dilationes, resecando friuolas exceptiones, & cauillationes partium iuxta dispositionem iuris, & Decretorum Ducalium, sine tamen præiudicio instantiæ, quæ coram eis non currat, nec reguletur terminus ad media causæ per ipsa decreta statutis: & commissio ipsa dictis Senatoribus facienda registrabitur in actis per Secretarium, & notarium causæ, qui sub nomine ipsorum Auditorum acta deinde conficiat. Processu vero instructo & concluso, Auditores ipsi ad Senatum referant, vt illius iudicio diffiniatur: vbi vero occurreret aliquod incidens, vel emergens magni momenti, in quo interlocutoria proferenda vim diffinitiuæ saperet, vel pararet irreparabile præiudicium, illud referant pari modo ad Senatum, ne per appellationem ab ipsis Auditoribus interponendam, negotium differratur, cum ab alijs interlocutorijs per eos proferendis appellari nolumus.

Causa vero commissa vtsupra, si partes in facto concordent, ita quod in iure tantum difficultas consistat, absque alia productione, vel probatione facti referant Auditores ipsi causam ad Senatum, monitis partibus ad allegandum iure, verbo, vel in scriptis, prout Senatus decreuerit, & negotium terminetur.

Si vero sint in facto discordes, præfigant Auditores ipsi parti actrici terminum breuem ad producendum, & deducendum quicquid voluerit, & etiã capitula quæ probare intenderit; productione facta infra terminum prædictum, ac copia ipsius productionis reo edita, si petierit, pariter ipsi reo terminum præfigant ad opponendum similiter, deducendum, & probandum quicquid voluerit in facto, & opposita, & deducta per eum actori edantur. Positiones autem, & articulos Auditores ipsi admittant saluo iure impertinentium, & non admittendorum, de quibus impertinentibus, & non admittendis habeatur ratio in fine causæ: nec possint absentes extra Dominium cogi respondere personaliter, nisi ex magna causa arbitrio ipsorum Auditorum. Quod si ex productis, & deductis hincinde negotium possit diffiniri absque alia probatione testium, fiet relatio per dictos Auditores, & expedietur negotium vtsupra: Sinautem sine testium examinatione negotium commodè non possit terminari; tunc breuis dilatio secundum qualitatem negotij, locorumque distantiam detur vtrique parti ad examinari faciendum, & examinatum habendum super deductis: quo termino elapso ipso iure publicatio facta intelligatur, nec detur alia dilatio ad probandum sine causæ cognitione saltem summaria.

Publicatione autem vtsupra facta, detur copia attestationem partibus si voluerint, habenda per partes, vel alteram ipsarum infra breuem terminũ per ipsos Auditores præfigendum, qui vnicam tantùm dilationem partibus petentibus ad reprobandum, & approbandum testes præfigant, nisi ex causa aliam concedere Auditoribus videatur: & terminorum prædictorum lapsus habeat eam vim, quo ad partes tantùm, quam habet lapsus terminorum ex forma decreti causarum ciuilium. Et teneantur partes infra triduum instare cum notario causæ, quod acta completa; & processum in manibus Auditorum, vel Auditoris ponat, dictusq; Secretarius teneatur illa sic completa, & perfecta dictis Auditoribus exhibere infra eundem terminum. Et poterunt partes ipsæ eisdem Auditoribus ad partem dare allegationes iuris in scriptis, & ipsos Auditores, vt melius voluerint, informare. Quòd si altera pars differat, seu per illam steterit, quominus infra triduum prædictum processus integer Auditoribus detur referendus, procedant Auditores ad relationem, ex his duntaxat quæ exhibita fuerint.

Ipsi vero Auditores, seu vnus ex eis, quando sunt plures processum vt supra ad eos delatum cùm primum poterint, videant, & data opportunitate referant, primò factum succinctè, & statum causæ: deinde acta, & productiones, ac attestationes exhibeant legenda, seu legendas in eodem Senatu à capite vsque in finem, nisi quædam essent non necessaria; vel per se nota, aut superflua, quæ poterunt arbitrio Senatus omitti. Et fiet nihilominus copia videndi totum processum, aut aliquam eius partem, cuicunque de dicto Senatu videre volenti. Deinde omnibus visis, si causa sit dubia, præfigatur terminus partibus ad comparendum cum Aduocatis, & allegandum in iure, & voce quicquid voluerit: denturq; dubia iuris, si qua emerserint, super quibus responsiones audiantur. Dumtamen super eodem articulo secundo ad allegandum non admittantur, nisi ex causa aliter Senatui videatur. Quibus peractis exquirantur vota per D. Cancellarium, aut in eius absentia per alium Præsidentem in Senatu, incipiendo à Relatore, & collegis, si plures fuerint Auditores. Et poterit ipse Relator arguere ad partes si voluerit, & tandem debet concludere in alteram partem præcisè, non conditionaliter:

naliter: deinde alij Senatores fecundum quod exquirentur eorum vota, dicent eorum fententiam fimpliciter vtfupra, & liberè fecundum Deum, & confcientiam. Verum nihil debent repetere de dictis, & allegatis per alios. Et fatis erit dicere fum in opinione talis, nifi velint eam comprobare nouis rationibus vel iuribus, quod facere poterunt: & pariter fi vellent ab opinantium fententia difcedere, & aliter fentire, poterunt fundare eorum opiniones, & confutare, quæ in contrarium deducta erant. Nec liceat Relatori, aut alteri ex Senatoribus interrumpere Senatores fuam dicentes fententiam, nifi velint admonere in facto, puta fi factum aliter fe habeat, quàm ipfe Senator, qui fententiam dicit, præfupponat, quod facere poterunt. Liceat tamen Senatoribus votis omnibus exquifitis difcutere negotium modeftè pro veritate, etiam per infpectionem librorum, fi opus erit, vt veritas & iuftitia locum habeat. Et præfatus Dominus Cancellarius, vel Præfidens vtfupra teneatur concludere a pluralitate opinionum. Debeatq; Notarius caufæ, dum proceffus recitabitur, & vota exquirentur, negotiumq; difcutietur vtfupra intereffe, reliquis vero Secretarijs exclufis, & facta conclufione regiftrare in modum qui fequitur.

Die tali &c. præfentibus in Senatu &c. in tali caufa &c. conclufum fuit &c., & deinde inferere notulam dandam per relatorem vt infra proximè.

Item Relator ipfe tenebitur, fecundum conclufionem faciendam per Dominum Cancellarium à maiori parte opinionum, formare quandam notulam legendam poftea in Senatu; cùm primum iterum Senatores conueniant, omnibus alijs negotijs pofpofitis, vt poffit corrigi, & emendari fecundum intentionem Dominorum: quam notulam fic correctam, & emendatam ipfe Relator fignabit manu fua, pariterq; D. Cancellarius, vel Præfidens in eius abfentia, fignabit, & dabit in manibus Secretarij regiftranda vtfupra in præcedenti articulo, & poftmodum publicanda partibus, vel ad expediendum ordinationem ipfam in forma; quam notulam Secretarius teneatur feruare in camera deputanda pro archiuijs feruandis.

Item, quia dictus Senatus eft erectus vt fuperintendat vniuerfis negotijs ftatus, & Dominij, & vt plurimum contingat vocare partes fuper aliquibus negotijs, non ad effectum cognofcendi de caufa, nec proceffu diffinitiuè; Sed ad effectum procedendi, vel de iudice, vel fuper forma procedendi, vel difpenfandi fuper aliquo negotio petito per partem vtfupra in præcedentibus continetur, D. Cancellarius, & Senatores ter in hebdomada, videlicet die lunæ, die mercurij, & die veneris audiant quofcunque volentes, & petentes audiri, & fi feftum incidat in die audientiæ, transferatur audientia ad diem fequentem de fero. Secretarij tamen tenebantur in diebus audientiæ ponere in fcriptis nomina, & cognomina petentium audiri die præcedenti ipfam audientiam, & hoc fiat per vnum ex Secretarijs fingula hebdomada mutandum, qui Secretarius de fero teneatur dare dictam cedulam D. Cancellario, qui iubeat eos introduci, & admitti ad audientiam quos voluerit. Verum defcripti in dicta cedula, qui non poterunt audiri illa die, in fequenti audientia erunt primo loco defcribendi, & proponendi alijs, nifi aliud D. Cancellarius ex caufa arbitrabitur.

Item habebit Senatus locum conuenientem pro publicis audientijs, vbi proponentur caufæ, accufabuntur contumaciæ, proferentur fententiæ, fi quæ erunt proferendæ, quæ proferantur nomine Regio, & legentur per Secretarium, qui fuerit notarius caufæ, & audientur Aduocati, fi audiri voluerint; & fedebit Senatus in publica audientia femel in hebdomada in die Mercurij: Et erit in facultate D. Cancellarij, fi volet, pronuntiationes dictarum fententiarum proferri in die publicæ audientiæ, vel fi voluerit ftatim facta conclufione fuper caufa, dictam conclufionem partibus intimare. Verum fententia ipfa diffinitiua expedietur in carta membrana fub figillo Regio. In alijs autem ordinationibus, feu interlocutorijs fuperincidentibus, vel emergentibus ad caufas ipfas fufficiat fubfcriptio Secretarij, modo quo fupra abfque figillo. Et paullo poft.

*De modo procedendi in caufis appellationum, quæ ad Senatum deferuntur vtfupra.*

POfteaquam ad Senatum fuerit appellatum, porrigat fupplicationem appellans infra tempus introducendæ appellationis per difpofitionem iuris, quæ contineat iudicem a quo appellauit, & caufam, ac perfonas, & fidem faciat de appellatione, petendo procedi in caufa appellationis.

Qua fupplicatione porrecta, decernatur citatio per Senatum cum affignatione termini ad comparendum, & cum inhibitione in forma, & cum literis compulforijs ad habendum acta, & proceffum.

Et fi quidem partes compareant, procedatur in caufis ipfis feruata forma iuris, poffitq; appellatus anticipare appellantem, vel appellante non profequente, profequi ipfam appellationem, & petere confirmationem fententiæ, fi voluerit; mediaq; ipfarum caufarum appellationum committentur vni, vel pluribus ex ipfis Senatoribus, & per ipfos tractabuntur, & referentur caufæ, & per Senatum decidentur vtfupra de caufis principalibus ordinatum eft.

Si verò non compareant; fiquidem appellans legitimè contumax reputetur, perinde habeatur, ac fi non appellaffet, nifi infra decem dies, poftquam contumax reputatus fuerit, contumaciam purgauerit, dictumq; appellatum denuo citari obtineat, expenfas illi reficiendo, poftquam taxatæ fuerint: & idem per omnia de appellato anticipante, fi contumax fuerit, feruetur; vt fcilicet a commodo fententiæ cadat ex ipfa prima contumacia: caufaq; ex integro coram ipfo Senatu agatur, nifi fuam contumaciam purgauerit vtfupra, vel nifi in prædictis cafibus ex caufa allegati iufti impedimenti aliter Senatui videretur.

Si autem appellatus fuerit contumax reputatus, pro prima contumacia condemnetur in expenfis, & iterum citetur; quòd fi fecundò contumax fuerit, cadat à commodo fententiæ, nifi contumaciam purgauerit vtfupra, vel ex caufa iufti impedimenti aliter videatur vtfupra.

Subfequitur poftea forma verificandi, feu interinandi literas Regias, quæ inter cetera hæc tradit.

Quibus præfentatis, & lectis in Senatu, decernetur citatio contra eos, quorum intererit, fi ex infpe-

inspectione ipsarum appareat alicuius interesse; nec non ostendentur procuratori, & sindico Fiscali, & de huiusmodi decreto citationis, & edictionis fiet registrum per Secretarium, qui legerit ipsas literas.

Et siquidem nihil rationabile opponatur aduersus ipsas literas, quominus executioni mandentur, dictus Senatus eas exequendas esse decernet, & dabuntur literæ Senatus annexæ sub paruo sigillo Regio. In dorso vero ipsarum literarum scribatur per Secretarium, lecta, publicata, & registrata in Senatu die tali &c. Et registrabuntur ipsæ literæ cum omnibus sequutis, prout in superioribus est expressum.

Si autem Fiscus, vel pars priuata aliquid rationabile opponat, audientur partes, in his quæ dicere voluerint, per Senatum, vel deputandos ab eo. In contumacia vero dictorum procedetur ad interinationem, seu verificationem ipsarum literarum, dummodo expressam inciuilitatem non contineant. Hactenus ordo Regius publicatus anno 1500. die 4. Iulij, qui an meliorem formam procedendi in causis coram Senatu præscribat, ea quæ nunc est in vsu, aut quam supra explicauimus, quisque dijudicet. Hoc sanè verum esse agnoscimus, quod adhuc multa obseruantur, quæ in ipsomet ordine continentur, quodq; hæc fuerunt & sunt Præsidis, Senatorum, Secretariorumq; prærogatiuæ, libertates, & commoditates.

## CAPVT IV.

*Senatoris audientia alia priuata, alia publica; eius partes præcipua, facilitas, assiduitas, patientia, & ordo: item eius deffectus plures.*

37 Aliud quoque ipsius Præsidis, & Senatoris præcipuum munus est, vt omnes audiant; est enim ipsius iustitiæ potissima pars audientia, & consilium. Quod autem vniuscuiusque rei proprium est, id pulchrum est; hoc si mutaueris deforme id ipsum vsu reddetur ex *Lucian.* quomodo *hist. scrib. sit.* vel vt ait *S. Ambrosius de off. 2. cap. 12. Quid prodest habere sapientiam, si consilium neges? si consulendi intercludas copiam? clausisti fontem, vt nec alijs influat, nec tibi prosit. Præstate itaque audientiæ curam,* inquit Cassiod. lib. 3. var. ep. 15. *vt iustitiæ vobis crescat opinio: nam pro remedio causantium committitur vobis ambigua iurgiorum.* Et ep. 6. lib. 6. *Causarum præterea maximum pondus in eius audientia finibus optima securitate reponimus, vt eius curis fidelibus subleuati, vtilitatibus publicis viuacius occupemur; quemadmodum otiosus Agricola est inutilis, ita Senatoris nullam esse vtilitatem constat, si vacarit officio. Væ qui sapientes estis in oculis vestris*, inquit Isaias. *Non etiam sufficit à malo nos abstinere, sed facere tenemur, quod bonum est arg. l. in stipulatione ff. de verb. oblig.*, & habetur in *c. non satis 86 distinct.*

58 Nihil ergo melius esse potest, quàm partes audire, ac munus suum petentibus omnibus impartiri, potissimum eum ad id quisque iudex teneatur *Bar. in l. 4. §. hoc autem iudicium in 4. opposit. ff. de dam. infec.* vbi *Alex. num. 3. Castrens. num. 4. & Ripa* ibidem, sequitur *Curt. iun. in l. 1 num 78. ff. de iur. omn. iud. Ias. in §. superest instit. num. 65. de act.* latè *Afin. de execut. §. 3 cap. 327.*

Impartiri autem rectè officium illud non potest, si pars inaudita condemnetur, dicente *Stobeo serm. 41.* 59

*Quisnam de causa iudicat, & sententiam fert*
*Priusquam vtriusque sermonem audierit?*

Et Hesiodus.

*Tu neque de causa statuas properantius vlla;*
*Quam iudex æquus partes audieris ambas.*

nisi in erroris incidat labyrintum, vt habetur in *c. sciendum 29. distinct.* ac in *c. cum venerabilis de excep.* nisi etiam inauditi, atque indefensi tanquam innocentes pereant, ex *Tacit. Histor. 1. Cassiod. ep. 1 lib. 7. var.* Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non patitur mutari. *Iuuen. Satyr. 6.*

*—— meruit quo crimine seruus*
*Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi*
*Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.*

Scribit etiam *Plut. in apoph. Lacon.* de Alexandrida, cum cuidam percontanti, quare capitales causas pluribus diebus seniores audirent; respondisse, Pluribus diebus iudicant, quia de morte qui errauerint, ij consilium mutare non possunt deseruit *l. si vendicari 20 C. de pæn., & l. 5. ff. eod. Cicero pro Rosc. Amer. Ælian lib var. histor. 14.* de Ptolomeo, & Berenice ait etiam Seneca in Medea.

C. *Vox constitutio fera decreto venit.*
M. *Qui statuit aliquid parte inaudita altera,*
*Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

Confirmat *Lucian in dialogo eo. Calumniæ non temere credendum*, dicens *ea sanè extrema est iniuria, vel optimorum legumlatorum iudicio Solonis, & Draconis, qui iureiurando Senatum Athenienſem adstrinxere, vt pari dignitate, gratiaque tam reum, quàm actorem iudex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat. Scelestum, ac crudele iudicium esse, si quid statuatur, antequam cum accusatione comparata sit defensio.* Hoc carmen est Phocylidis, citatum etiam à Cicerone *lib. ep. ad Atticum vij.* iterum idem *Lucian. in alio Dialogo dicto Hermot.* siue de sectione sic ait. *Sed enim legum conditores ò Luciane ad hunc modum non imperant faciendum iudicibus, vt altero tantùm audito, alteri facultas pro se loquendi ea, quæ ex vsu suo pro se intellexerit, non concedatur: verum vtrumque esse audiendum præscribunt, quo facilius diuersis sermonibus inter se examinatis, & perpensis, quæ vera, quæ falsa sint inuenire queat. Quod nisi sic factitatum fuerit, permittit lex appellandi libertatem, vt in aliud iudicium ea transferantur, quæ illos loqui par est.* Addamus quæ *Capitol.* de M. Philosopho scripsit. *Capitales causas hominum honestiorum ipse cognouit & quidem summa æquitate, ita vt Prætorem reprehenderet, qui citò reorum causas audierat, iuberetque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens, vt ab eo audirentur, qui pro populo iudicaret.* Aurea est Phocionis hac in re sententia, quam *Plut. in eius vita* 89. refert. *Nunquid nos iure, vel iniuria necari par ducitis? illis vero, iure, clamantibus. Quomodo igitur*, inquit, *de inauditis iure decernitis? Diuorum Seueri, & Antonini rescriptum est, ne quis absens puniatur: neque enim inaudita causa quenquam damnari æquitatis ratio patitur. l. 1. ff. de reis req.* cui adstipulatur *Tertull.* qui sub istis Imperatoribus vixit in Apologitico his verbis. *Respondendi,*

*altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos, & inauditos damnari.* Subscribere dicto rescripto videtur *Apuleius de Asino lib. 10. Nec instar barbarica feritatis, vel Tyrannica impotentia damnaretur aliquis inauditus, & in pace placida tam dirum sæculo proderetur exemplum.* Vulgata est etiam *l. illa. De vno quoque ff. de iud.* quam Principem etiam comprehendere tradunt scribentes in *l. fin. in verbo communis C. de legib.*, & sequuntur *Gram. cons* 8. *num.* 10, & 20 *cum sequen. in ciuil; Socin. iun. cons* 100. *num.* 22. & *sequent. lib.* 1. *Fel. in c. qua in Ecclesiarum sub num.* 3. *vers. sed nihilominus de constit. Fran. Personalis quæst.* 17. *num.* 5. 6 & 7. cum alijs per nos adductis *lib.* 1. *pract. quæst. c.* 1 *num.* 89. & *sequens.* Inquit etiam *Cassiod. var. lib.* 12. *cap.* 1. *tantò plus æstimatur quis amare iustitiam, quantò ab ille frequentius constat auditam. Qua etsi mala tantum commemorent, aurium tamen ad hæc consuetudo tadium cohibebit. Iniungenda est patientia sensibus, vt quemadmodum præstantes scientia medici non aspernantur vulnera inspicere, qua sanant, ita & Senator paulisper audiat, & medetur.* Prout eorum quisque optimo facit, & hoc vnum spectant ordines illi, siue Senatusconsulta anni 1580 id quod etiam faceret Comitem Pontium huius vrbis moderatorem, Senatum pluries admonuisse scimus, & tandem obtinuisse.

60 Audientia duplex est, altera priuata, altera vero publica; Publica Aduocatis tantùm præstatur, de qua in *cap. sequenti*. Priuata vero partibus ipsis,
61 causidicis, & aduocatis. Et hæc suas partes habet præcipuas, nimirum facilitatem, & assiduitatem, item patientiam, & ordinem. Debet ergo Senator, qui omnes has audientiæ partes explere, atque obseruare vult in adeundo facilem tum domi,
62 tum foris ex *Calistrato in l. obseruandum ff. de off. præsid.* singulis diebus, ac certis saltem designatis horis se præbere. Imitetur Augustum de quo *Tranquill.* Promiscuis salutationibus admittebat plebem tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellos porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem. Idem in Adriano. *Quamobrem & Q. fratri gratulatur M. Cicero quod ad eum in Asiam missum facillimi essent prouincialium aditus, paterent aures querelis omnium &c.* Idem de Pompeio loquens in Orat. pro L. Manlio, sic ait. *Iam vero ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita libera quærimonia de aliorum iniurijs esse dicuntur; vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.* Iterum idem Cic. aditus facilitatem egregiè commendat in *orat. pro Plan.* & *in ep. ad Rufinum lib.* 17. *famil.* sic & *Nazar. in Panegyr. Constantini*, inquiens. *Obuius hominum benignus receptus nec intuentem iniquus fulgor retundit, sed serenum lumen inuitat*, iterum 34 *Quid? faciles aditus. Quid? aures patientissimas. Quid? benigna responsa. Quid? vultum ipsum augusti decoris grauitate hilaritate permixta, venerandum quiddam, & amabile renidentem quis dignè exequi possit?* Scitu non obscurum est, etiam illud *Plut. in Demetrio* 116. tale *Eodem tempore quadam Anicula rogante Demetrium, vt se audiret, & respondente, eo sibi otium non esse; tum Anus alta voce ad eum conuersa; Non etiam regas inquit. Hac verba reuoluta animo, ac mente sæpius repetita hominem compulerunt, vt omnibus postpositis rebus benignum se cunctis accedentibus, facilemq; præberet; atque initio ab Anicula sumpto multos dies audiendo, respondendoq; consumeret.* Et proculdubio nihil tam egregium, tamq; proprium Regis esse videtur; quàm iustitiæ opus; Mars enim, vt Timoteus inquit, Tyrannus est, lex autem omnium, iuxta Pindari sententiam. Et Reges, non, vt inquit Homerus, expugnatrices vrbium machinas, æratasq; naues, sed Iustitiam à Ioue sumptam exercere, custodireq; decet. Hæc Plut. alia plura huiusmodi scripsimus supra *glos.* 3. *cap.* 1., quæ hic essent repetenda. Addendus tantum erit locus (ex quo apparet grauiter, acerbeq; ex denegato aspectu, subtractaq; audientia indignatos fuisse omnium animos) apud *Tacit.* 4. *Annal. in fine*, & talis est. *En venire patres, equites, magna pars plebis anxij erga Seianum, cuius durior congressus, atque eo per ambitum, & societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam. Fœdum illud in propatulo seruitium spectante; quippe Roma sueti discursus: & magnitudine vrbis in incertum, quod quisque ad negotium pergat. Ibi campo aut littore iacentes, nullo discrimine noctem, ac diem, iuxta gratiam, aut fastus ianitorum perpetiebantur; donec idq; vetitum. Et reuertere in vrbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat.*

Hanc autem aditus facilitatem ita præstare de- 63
bet ex eod. Calistrato, ne contemni videatur, hoc est si in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittit; nam ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur. Et continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit, secundum *Liu. lib.* 35. contemniq; solet Magistratus, ac regendi frangitur auctoritas, dum nimia seruatur humilitas, inquit *tex. in c. quando* 86. *distinct.* suæ ergo dignitatis tuendæ, & decoris sui causa non sine delectu passim apud se postulet, ait alius *tex. in l.* 1. *ff. de postul.* Memini etiam Tranquillum scribere, Claudij Cæsaris patientia adeo solitos abuti causidicos, vt illum discedentem à tribunali non solum voce reuocarent, sed etiam lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent. Hoc ipsum contigisse Regi Vngarico commemorat *Bonfinius lib.* 15. rerum Vngaricum his verbis. *Cum Reges ante hac promiscue, atque immodestius ab hominibus adirentur, auresq; indoctæ multitudini accommodantes modo garulitatis fastidio, modo loquendi inscitia afficerentur; neque grauitatem pro dignitate seruarent, neque distinctè iudicia pronuntiarent.* Hinc factum est, vt Delaprimus petitionum, ac precum formulas instituerit, ex Imperatorum Pontificiumque more: & duos precum ministros adsciuerit, qui quotidianas petitiones ei secreto legerent: rescriptaq; manu Regia responsa referrent. Vnde optimus iudiciorum, & gratiarum mos tunc Vngaris est introductus. *Cicero* ergo *in ead. Ep. ad Q. Fratrem* monet, id sibi cauendum fore, ne arcta, assiduaq; familiaritate quenquam eorũ complectatur.

Obseruatum sæpè a nobis fuit; non Senatoris, 64
non iudicis culpa aditus difficiles redditos, & audientiam molestam apparuisse, hoc est secundum *Tacit.* loco paullo supra adducto 4. *Annal.* iuxta gratiam, & fastus ianitorum. Propterea *Horat. lib.* 3. *carm. Ode* 14. sic monet nos.

*Si per inuisum mora ianitorem*
*Fiet, abito.*

Atque ideo neque Cleomenes, neque C. Graccus, 65
Publicola, Cicero, & alij ianitore vsi sunt, prout supra *glos.* 3. *cap.* 3. addas, quæ Cicero de se ipso loquitur in ea *orat. pro Plan.* Feci vt postea quotidie me præsentem viderent, habitaui in oculis, pressi eorum neminem congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit. Et in *Ep. ad Atticum.* Aditus autem ad me minime prouinciales,

nihil per cubicularium. *Plut. de eodem.* Domus
ianitorem non habebat, nec ipſe cubans ab vllo
fuit vnquam viſus. Sic etiam Paulinus in vita Am-
broſij ait. *In omnibus ſe paratum exhibuit, vt nemini
ad eum ad aditus eſſet aliquando interclusus, nullius
oſtij velum eſſet oppanſum; nec qui ad eum duceret, eſſet
alicuius è cubicularijs officium requirendum.* Non eſt
enim hæſitationis metus, vbi non eſt iudicis vena-
lis aditus, inquit *Caſſiod. Ep. 32. lib. 11.* Idcirco de
Valentin. & Valen. ſcribitur apertis foribus, intrò
vocatis omnibus, & habetur *in l. 1. C. de off. rect.
prou.* non ſit venalis iudicis velum, non ingreſſus
redemptio, & in *l. 9. quiſquis C. de haret.* aperiat fo-
rum; contra vero arguit *Niceta in Annal.* Manue-
lem Imperatorem Comnenum, quod Eunuchis cu-
bicularijs alijsq; miniſtris ex peregrinis ortis natio-
nibus vteretur, qui expeditius ſupuebant, quam
loquebant? Aliud non diſſimile refert *Annal. lib. 3.
idem Niceta* de Iſacio Angelo Imperat. in hæc ver-
ba. *Olim aditus penitus obstructi fuere, per quos, qui
intrare conabantur, planè fatuis illis virginibus erant
ſimiles; quod nemo erat, qui illi pulſanti aperiret. Si
qui vero per rimas forium ab ijs cernebatur, qui pulſare
non deſiſtebant, nullum tamen aliud reſponſum acci-
piebant, niſi vt exiguam, & obliquam portulam adi-
rent: ac ſic ſibi quidem patebat ingreſſus: niſi muneribus
aperiretur, etiam ſi veſtis vendenda eſſet.* His adſtipu-
latur, quæ *Columell.* ſcribit *in præfat. lib. 1. rei ruſti-
cæ.* *An honeſtius dixerim*, inquit, *mercenarij saluta-
toris mendaciſſimum aucupium, circum voluntatis li-
mina potentiorum, ſomniumq; regis ſui rumoribus au-
gurantis? neque enim rogantis; quid agat intus, reſpon-
dere ſerui dignantur. An putem fortunatius à cathena-
to repulſum ianitore, ſæpe nocte ſera foribus ingratis
adiacere: miſerrimoq; famulatu, per dedecus, faſcium
decus & imperium profuſo tamen patrimonio mercari?
Nam nec gratuita ſeruituti: ſed donis rependitur honor.*
Sunt qui dicant; ædes Senatoris adeo patere de-
bere, prout amicis patent; de quibus Apollodorus
Comicus apud Athenæum *lib. 1. in prin.*

*Ædes amici quiſpiam cum ingreſſus eſt,*
*Sicutum licet videre amici, Nicophon*
*Ipſas fores ſubeunt beneuolentiam.*
*Occurrit hilaris ianitor primum: canis*
*Blanditur progreditor, eſt obuius*
*Qui tibi ferat ſellam repente quominus id*
*Nemo imperet.*

Sed illud tantum ſatis ſit de quo *Plin. in Panegyr.* Vi-
demus, vt prouinciarum deſiderijs, vt ſingularum
etiam ciuitatum præſidijs occurrat, nulla in au-
diendo difficultas, nulla in reſpondendo mora,
adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim, tandemq; prin-
cipis fores excluſa legationum turba non obſidet.
Abſit omnino id, de quo Cicero in Verrem, *vt
adeat, tantum dabis.* Negari ſanè non poteſt, quin
tanta ſit quorundam ſollicitatorum, aut litigan-
tium impatientia, vel auiditas, quin quandoque
inſcijs Senatoribus importuni litigantes opera fa-
miliarium abutentur, quod ipſis Senatoribus valdè
incommodum, & moleſtum eſt.

66 Scio tamen quid hac in re *Saluianus Maſſilienſis*
ſcripſerit *lib. 3. de prudentia*; his enim vtitur ver-
bis. *Intra ianuas non modo illuſtrium, ſed etiam præ-
ſidum, aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præ-
ſumunt, niſi quos, aut iudex vocauerit, aut iudicium
traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire per-
miſerit: ita vt ſi quiſpiam inſolenter ingreſſus fuerit,
aut cedatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia,
aut exiſtimationis ſua labe mulctetur.* Quod ea ratio-
ne fictum cenſeo, quam *Lamprid. in Alex. Seuero*,
refert *Cum itaque temerè quiuis ad Imperatores ad-
mitteretur, factum neceſſe fuit; vt miniſtri adeſſent, qui
admittendos introducerent, non admittendos arcerent.*
Erant enim Magiſtri admiſſionum, qui ianuæ prin- 67
cipum habitationis aſſiſtere conſueuerant, vt per
*Ammian. Marcell. lib. 15.* & eundem *Lamprid. loco
ſupra citato*, dum ait, *ſalutaretur vero, quaſi vnus de
Senatoribus. patenti velo admiſſionalibus remotis, aut
ijs, qui miniſtri ad fores fuerant.* De his meminit *tex.
in l. 2. de priuil. cor. qui in ſac. pal. milit. lib. 12. in l.
1. C. qui prætbit. tyr. & in l. 2. C. de diu. off. eod. lib.*
Admiſſionum facilitatem *Plin. Vopiſcus in Aureliа-
no*, & plures alij ſupra citati, & in *d. c. 3. gloſ. 3.*
laudant. Contra vero difficultas admiſſionis in
Principibus omnibus deteſtatur, vt per *Herodotum
in 1. contra Ducem Regem Medorum*, qui neminem
admittebat, ſed per internuncios cuncta tranſige-
bat. Et *Cicero 3. in Verr.* inquiens, *ſalutatum venie-
bant, admiſſus eſt nemo*; num autem de nocte, aut
hora ſomni debeat dari audientia, ſcribit *Afflic ad
conſtit. 73. de ferijs, & ſalarijs iudicum nu. 4.* vbi nega-
tiuæ inhæret opinioni, niſi caſus inopinatus emer-
ſerit. Hactenus de aditus facilitate, a.ſiduitateque.

Patienter audiat Iudex, inquit *tex. in l. pen. ff. de 68
his, quæ in teſtam. delen.* ergo patientia audientiæ
pars eſt, immo magna pars iuſtitiæ teſte *Plin. qui
lib. 7. ep. 3.* ſic ait. *Non deſunt, qui me aut iudicem,
aut arbitrum faciunt, accidunt querela ruſticorum,
qui auribus meis poſt longum tempus ſuo iure abutun-
tur.* Et *ep. 2. lib. 2. Temerarium exiſtimo diuinare
quam ſpatioſa ſit cauſa inaudita, tempuſq; negotio fini-
re, cuius modum ignores: præſertim, cum primam reli-
gioni ſuæ patientiam debeat iudex, quæ pars magna iu-
ſtitia eſt. At quædam ſupernacanea dicuntur: etiam; 69
ſed ſatius eſt hæc dici, quàm non dici neceſſaria. Præ-
terea, an ſint ſupernacanea, niſi cum audieris, ſcire
non poſſis.* Et paullo ſupra. *Permulti ſanè ſunt, &
qui dicunt egiſſe malunt, quàm agere; & qui audiunt,
finire, quàm iudicare, tanta negligentia, tanta deſidia,
tanta denique irreuerentia ſtudiorum, periculorumque,*
hæc *Plin.* Ex patientia benignitas oritur Senatori 70
omnino neceſſaria, teſte *Caſſiodoro var. lib. 6. ep.
14.* ita dicente. *Benignos eſſe neceſſe eſt Publicos Pa-
tres.* Et *ep. 6 lib. 10. Ornamentum bonorum omnium
eſt ſincera benignitas, quæ non eſt ſola, quia de virtuti-
bus noſcitur eſſe generata.* Ouid.

*Dextera præcipue capit indulgentia mentes.*

Patienti ſermonum danda eſſe officia voluit *D. Am-
broſ. de off. lib. 2. cap. 7. & cap. 14.* eodem, inquit,
*Humilitas gratiam auget; hæc plena laudis, & digna
primario viro.* Hinc ſcribentes in *l. vt reſponſum C.
de tranſact. Caſtrenſ. in l. digna vox C. de legib., & Io.
à Plat. in l. 1. C. de veter.* tenuerunt, iudicem placi-
dum, & benignum in reſponſionibus eſſe debere.
Eumque etiam paterna affectione ſubditos curare
debere, inquit *Mart. Laudens de official. Prin. per
tex. in auth. de man. prin. §. præcipue.* Illi enim pla-
cent, qui ſpecie obſequij regunt, ad omnia, quæ
agenda ſunt, quieta cum induſtria adſunt. *Taci-
to* teſte *Hiſtor. 3., & Macrino* de ſe ipſo loquente
*apud Herodianum*, nocent autem, qui officium aſ-
peritate ſermonis corrumpunt. *Accedat ergo*, in-
quit, *Diuus Ambroſ. de off. lib. 1. cap. 47., ſuauis
ſermo, vt conciliet ſibi affectum audientium, gra-
tumque ſe, vel familiaribus, vel ciuibus, vel, ſi
fieri poteſt, omnibus præbeat. Quin etiam*, ſecun-
dum eundem *cap. 22. lib. 2. verborum ipſorum, & 71
præceptorum eſſe menſuram conuenit, ne aut nimia*
remiſ-

*remissio videatur, aut nimia seueritas. Est vbi loquendum sit magnificentius, est vbi submissius, est vbi iucundius, & vbi seuerius, & durius.* Increpat *Herodian. Macrinum*, quod tardissimè, ac vix adeuntibus se, responderet, adeoque interdum submissa voce, vt ne exaudiri quidem posset.

Necesse est ergo, vt Senator in audiendo patientia vtatur. Cuius sanè patientiæ fines cum quis facilè excedat, non absurdum fortasse erit, quid à nobis hac in re obseruatum sit, describere.

72 Primò itaque obseruauimus nonnullos, naturæ quodam freno retentos fuisse, vt inuoluntarij ferè semper ad audiendum aliquem accesserint, & id animo perinuito fecisse ostenderint. Quibus iure obijci posse crediderim, quod olim Sacones, Lygdamo. Ii etenim cum ad eundem Lygdamum Tyrannum issent legati, atque ille congressus sæpius differret, dicens, se molliter habere; vrbanè, Dic inquiunt legati, per Deos non venisse cum illo
73 colluctaturos, sed collocuturos. Horum hominum naturalis est hæc quædam morositas ex solitudine contecta, si credimus Platoni, qui vt ait *Plut. in Coriolano* 25. pertinaciam, siue morositatem sociam solitudinis appellabat; item in Solone, & in comparatione Alcibiadis, & Coriolani voluit; vt is morosus ab ipsa solitudine efficiatur, quia morositati comes sit solitudo. Hinc fit, vt si quem à suscepto solitudinis gradu amoueamus loquendo, is tædio statim afficiatur multisque modis ostendat se per inuitum nos auditurum.

Memini me accersisse quendam grauem in maximo gradu constitutum virum, iurisperitissimum, ac religiosissimum quem cum alloqui cœpissem, subridens dixit, cogitationibus adeo varijs plenus sum, vt nulla mihi pars vacua relicta sit, quam tibi nunc applicare possim: Ita vt quicquid loquendo superinfunderis totum euadet: Sicque & ego, & tu oleum, & operam perdemus nunc tedeas itaque &c.

Cauendum est ergo Iudici, ne postquam aliquem admiserit, id ægre fecisse appareat; nempe dissimulato sermone, vultuque cum tædio vbi audierit, vel etiam si expalleat, excandescatuè, aut sæpius deflectatur, si aspectum loquentium perhorrescat, aut contorqueat se, & id genus.

Abutuntur alij patientia, qui loquendo os inflare consueuerunt, verbaque suspensa, paullatimq; retinent, vt exire vix possint, seque ipsos auscultant. Morosus enim est atque affectatus loquendi vsus huiusmodi.

Neque etiam diu retinendi sunt, qui nunquam finem dicendi faciunt.

74 Fines quoque patientiæ excedere videtur ille, qui, vt supra diximus, officium asperitate sermonis corrumpit; immo hoc contumeliosum appellat *Cic lib. 1. epist famil. vlt.* Valerio Iurisconsulto scribens, dum ait. *Qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod vale respondeas.* Si tamen id natura rei, vel importunitas loquentis non exigat; tunc enim illa, vel dimittendus est, vel turpia petenti, aut loquenti, vel quicquam contra bonos mores dicenti seuerius est respondendum. Obiur-
75 gationes inquit *Cicero lib. de off.* 1. nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, quod etiam voluit *Bar. in d. l. vt responsum C. de transact.* Cum moderantia corripiendi sunt ij, qui veritatem absorbent, inquit *D. Paulus ad Timot. 2. & Bal. in l. in rebus col. 3. C. de iure dot.* In sermone ergo eam fremulam tenere conuenit, ne aut ira excitetur aut odium, aut cupiditatis nostræ, aut ignauiæ aliqua exprimamus indicia, ait *D. Amb. de off. lib. 1.*, & *Cassiod. var. lib. 9. ep. 25.* Beneuolus cunctis, moderatus in prosperis, ignorans, nisi grauiter lacessitus, irasci hoc assequitur ille, qui iamdiu assuetus sit linguam habere moderatam: quemadmodum enim iugales equi ab auriga recta currere instructi non viam deserunt, illo etiam habenas remittente, sed perpetuo cursu à præscripto non aberrant, sic quibus subiti affectus iam sunt domiti, & iugo rationis assueti, nihil præter solitum agent, aut dicent, quod iure reprehendi possit.

*Si iratus fueris, cohibe* inquit *Proph. Ps. 33. linguam tuam à malo, & labia sua, ne loquantur malū*; quod vix 76
fieri potest, dū animus est perturbatus, dicente *eod. D. Ambros. d. c. 37. Perturbatio tollit constantiam, & perturbata mente longius se, ac latius fundari appetitus, & tanquam efferato inops frenos rationis non suscipit, nec vlla sentit auriga moderamina, quibus possit reflecti*, itē paullo post. *Non solum dum animus exagitatur, amittitur ratio; sed etiam inflammatur vultus* Rursus *hæc est fiunt abijcitur illa quædam censura, grauitasq; morum, nec teneri potest illa, quæ in rebus gerendis, atque consilijs sola potest auctoritatem suam, atque illud quod decet seuere constantia.* Cauendum igitur est à perturbatione. Necesse ergo est iudicantem ira carere, quia ira iustitiam non operatur. 11. q. 3. § *si ego. Vnde sapiens*, inquit. *Tu autem dominator virtutis omnia cū tranquillitate iudica, ira vero in sinu stulti requiescit.* Eccles 7. *Et in tranquillitate animi sententia ferendæ sunt, non in ira, quæ in sinu stulti requiescit, & iustitiam non operatur.* Verba sunt Lucæ de Penna in *l. 2. col. 2. C. de exact. trib.* & in *l. 3. in fine C de canoc. largit.* vbi etiā subdit, *quod in alijs est ira, in iudicibus superbia est. Qui enim iram*, inquit Dion Chrysostomus *orat. 3. pag. 21. nequit continere, quæ nonnunquam propter minima oboritur, neque potest a turpissimis cupiditatibus abstinere, neque potest repellere animi ægritudinem eum interdum nihil iustè acciderit: neque potest labores sustinere, ne eos quidem, qui voluptatis causa incidunt, neque animi timorem abigere potest qui in rebus difficilibus nihil prodest, sed obest maximè.* Exemplū sumi potest à *D. Greg. Nazianz. orat. 2.* in Iulianū, qui de eo sic loquitur. *Hoc autem eccui ex omnibus ignotum est, quod multos etiam ex rusticioribus qui ad eum accedebant, vt eorum quæ homines ab Imperatore peteres precibusq; postulare, ac contendere solent, aliquid consequerentur: ita multabat palam, pugno ferens, calcibusq; petens, vt praclare secum actum putarent, qui atrocius aliquid non pertulissent.* Interroganti cuidam, teste Luciano, qua ratione quispiam imperium quam optimè administrare possit, si ira, respondit, vacarit. *Cicero* quoque *ad Q fratrem lib. 2. ep. 2. circa finem* monet eum, vt quotidie meditetur resistendū esse iracundiæ, & vbi animus excandescat, linguam saltem comprimendā, continendamq, Prudens colligitur in hoc *Aristides*, vt de eo *Plut.* 10. in hæc verba. *Arbiter inter duos electus, cum alter, vt ipsum in aduersariū magis, ac magis afficeret, extra causam pleraq; illius in Aristidem maledicta recenseret. Hac missa faciamus*, inquit, *tu vero bone vir, si quid in te commisi explica, quoniā in præsentia tibi, non mihi iudiciū exerceo.* Laudandus est quoque Vespasianus, vt per *Suet c 9.* qui dū de iurgio quodā Senatoris cū equite Romano ageret, ita pronuntiauit. *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici ciuile, fasq; esse: cū minus liceat viro graui aliquē cōtumelijs afficere, Calistratus in ead. l.*

S 2 obser-

*obseruandam* voluit quoque, neque excandescere aduersus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrimari oportere; id enim non est constantis, & recti iudicis; ita enim iniustitiæ pars est, ex *Arist. eth. 2. ad Eudemum in lib. de virtutibus*, & dicitur in *c. Episcopus* 11. *q.* 3. iram viri iustitiam non operari, qui enim teste *Valer. lib.* 8. *c.* 1. indicabant ira perciti, pœnam hominis cupidè expectabant; quod verissimum agnoscens Tarentinus ille Architas dixit: *punirem nunc te, nisi iratus essem, quia non est sensus, vbi est amaritudo. Eccles. c.* 21. Cato Senior irascentem a furioso tempore solum distare dixit, quod imitatur *Horat. in ep. Ira furor breuis est*. Achilles Homericus *lib.* 15. *Illiad.* ait, *ira sapientissimorum pectora deturbari*. Cicero pro Marcello voluit, *iracundiam esse consilio inimicam*. Seneca in prouerbijs. *Homo extra corpus suum est, cum irascitur*; ait Xenocrates cum ad Platonem visendi gratia venisset, rogatus ab eo est, vt pœnas de seruo sumeret; ait enim hunc plagis affige, id enim ego ne faciam impedimento ira est. Videnda sunt, quæ nuper scripta fuerunt à *Io. Matienzo in Dialog. parte* 3. *cap.* 37. *&* 38., & a *Gerardo Maynardo decis. Tholos.* 95., vbi ait a Præside, ex sententia totius parlamenti commonitum publice fuisse quendam senatorem in reliquis præclaris donis ornatum ex hoc solum, quod hoc vitio laborabat, vt pronus naturaliter ad choleram esset, atque ob rem minimam irasceretur. Ira enim percitus interdum quædam ore proferebat, quæ nunquam cogitarat, & oratione mentem præueniente quid loquebatur, cuius postea statim eum pœnitebat, obijcere quoque quibusdam litigantibus solebat, quod malas causas quarum ipse relator erat fouerent, quod eas perdituri essent, quod temerè litigarent, & pœnam merrentur.

77 Illud tamen certissimum erit, quod si Senator irascatur, vel delectetur auditis, non esse his prout cæteras animi affectones per se nec bonas, nec malas, secundum *S. Thom.* 1. 2. *q.* 24. *art.* 2., *&* 3. pendent enim à causis propter quas suscipiuntur, & ab alijs circunstantijs multis teste *S. Augustino lib. de ciu. Dei* 9. *c.* 6., *& lib.* 14. *cap.* 10. *Lactan. lib.* 6. *c* 15. *col.* 3. *S. Thom.* 2. *q.* 35. *art.* 3., *& seq.*, *& quæst.* 39. *art.* 9. Hinc Profeta *Psal.* 4. *irascimini & nolite peccare*. Et *Apost.* 2. *Chor.* 7. *contristare alios quando oportet charitatis est officium; nam medicus ægroto amarum, & momentaneum propinat pharmacum, vt ei optatissimam, iucundissimamq; salutem afferat.*

78 Mitis ergo, & grauis sit Senator, seuerus etiam. At seueritatem istam pari iucunditate condire, summæq; grauitati tantum adiungere non minus difficile, quam magnum dixit *Plin. ep.* 3. *lib.* 4. Sed id tamen cum incredibili quadam suauitate sermonum, tum præcipuè stilo assequi posse idem, firmat *ep.* 13. *lib.* 2. in sermone miram, etiam in ore ipso, vultuq; suauitatem, item & grauitatem humanitati coniunctam requirit *tex. in d. l. congruit ff. de off. præs.*, qua vtebantur Areopagitæ, vt scribit *Dipnosoph lib.* 13. *cap.* 7., *& lib.* 14. *cap.* 3., & quam fuisse in Germanico dixit *Tac. Annal.* 2. his verbis. *Visu, audituque iuxta venerabilis, cum magnitudinem, & grauitatem summa fortuna retineret, & arrogantiam effugeret: quamuis Hyperidem dicere Atheniensibus solitum fuisse scriptum sit, ne asciderent, an esset acerbus, sed an esset ab re, proteruiterque acerbus; velut in vino, in quo adsit suauitas cum austeritate contracta.* Vel vt in musicis instrumentis fieri cernimus: neque enim ibi omnes chordæ æqualiter intenduntur: id enim ineptum, & absonum esset: sed aliæ ad grauiorem, aliæ ad acutiorem sonum, aliæ plus minusue astrictæ variam, & concinnam efficiunt harmoniam.

Tertio obseruatum est, quosdam adfuisse, quibus sarcina susceptorum negotiorum ita præmeret; vt vix mediam facti propositionem ferrent, quin subito effluerent animi iudicio, dicerentque quid sentirent inopinè: cum tamen sapientum vnus Periander dixerit, eum solum rei gerendæ esse efficacem, qui prius omne negotium foret meditatus. Sic etiam hos arguit *Prouerb. c.* 18 *Salomon Non ergo dicant se, intelligere prius penè, quam audiant; non etiam loquentis verba intercipiant, dicentes, scio quid velis, iam intellexi, intellexi, & huiusmodi: est enim quasi diuinare, & penetralia cordis ipsius loquentis perscrutari.* De Iuliano sic loquitur *Ammian. Marcell. lib.* 22. *cap.* 10., *& quanquam in disceptando erat aliquoties intempestiuus, quid quisque iurgantium coleret tempore alieno interrogans, tamen nulla eius definitio litis à vero dissonans reperitur &c.* Miratur D. Hieronymus de quodam rustico, cui philosophus quidam volebat quippiam persuadere, quia vix dum dimidium dixerat, atque ille intellexisse dicebat. Hoc sanè impatientiæ signum est. Et *Philon. Ebræus de leget. ad Caium c.* 23. *Quomodo enim*, inquit, *poterat causam pernoscere, qui eius circunstantijs ne audire quidem dignatus fuerat?* Non desunt etiam, qui non iudicis, sed partis officio funguntur: vix enim aliquem os aperire permittunt, quin illud, priusquam audierint, longa oratione claudant, tum facti speciem minus veram, tum ius longè remotum afferentes: nullam proinde responsionem admittunt, aut se deceptos persuaderi ab eo, qui instructus erat, possunt absentis vices quidem iudex sustinet; dum præsens altera loquendo decipitur, vt eandem moneat, quid illi obijci possit. Audire velle a litigatore, non audire vero eum, turpe est. 79

Qui domi aliquem se audire velle proponit, se- 80
deat, ne inuitus hoc facere videatur: tametsi à grauissimis viris plerumque factitatum viderimus, vt stantes audirent. Illud tamen admittendum non est, ne se duntaxat audientiæ paratum exhibeat, cum domum exit, quippe qui ostendat tunc se vel raptim, & inuitum quasi aures præbere, vel eos monere, vt breuitate vtantur, quod si vrbanitate ducti faciunt, ne te inuoluntarium diu retineant, quod vellent exprimere nequeunt, ac male affecti recedunt. Si quem autem audire nolit, eum 81
diu suspensum, ac expectantem non detineat, nec falsa spe frustetur, sed vt abeat, mandet, iuxta illud,

*Cæsaris ad valuas sedeo, sto nocte, dieque;*
*Nec datur ingressus, quo mea fata loquar.*
*Ite deæ faciles, & nostro nomine saltem*
*Dicite diuini Cæsaris ante pedes;*
*Si nequeo placidas affari Cæsaris aures,*
*Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat. Abi.*

Ordinem audientiæ potissimam partem esse, vt 82
supra diximus, multa ostendunt. Periandri enim fuit consilium, vt *Plut. refert in septem sap. conuiuio*, tale. *Non possum non vehementer probare, & laudare vrbes illas, & Vrbium moderatores, qui externis primum, deinde ciuibus reddendo iure, & dandis responsis*

*ponsis vacant*. Sunt etiam causæ pauperum ante alias expediendæ. *c in primis. 1. q. 1. & l. si quis ad declinandum C. de ep. & cler.* & ita obseruare Senatum Pedemontanum testatur *Tessaur. decis. 10. in fine*. Idcirco Agapetus Diaconus in admonitorio ad Iustinianum hæc posuit. *Facilis item aditus sit indigentibus, atque aperiat aures, his qui à paupertate obsidentur, vt inueniat Dei auditum adapertum. Quales enim erga nostros fuerimus conseruos, talem circa nos reperiemus Dominum*. Sic obseruasse Ducem Franciscum Sfortiam Mediol. in publica audientia constitutum, vt infimos quosque primo omnium summa humanitate, & clementia audiret, testatur *Pontan. cap. 15. de clementia*. Hinc *Ecclesiasticus c. 4.* inquit, *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine. Libera eum, qui iniuriam patitur de manu superbi, & non aridè feras in anima tua*. Aduenas a Deo sæpè iudicibus commendatos probatur *Deuteronom. c. 24 26. & 28. Exod. c 22. Leuit. c. 19.*

Pupillorum, & viduarum causæ eo quoque modo & ordine debeat expediri Quod Phalaris Tyrannus scribens ad amicum obseruasse asserit, sic inquiens. *Deos testor immortales, nunquam pupillis, & viduis fores meas clausas fuisse*. Quinetiam *Trebell. Pollio in vita Claudij Imp.* hæc habet. *Feminam pauperrimam, & viduam venisse aliquando ad Claudium lachrymis madentem, vt illius opem imploraret: optimum vero Principem misericordia commotum non solum cum illa complorasse, verum manibus etiam suis lachrymas de facie illius abstersisse. Cumq; multi ex nobilitate Rom. circa Imp. essent, quendam illorum ita Cæsarem compellasse. Satis est ad Principem Romanum authoritatem, & grauitatem, si iustitiam petentes subditos audiant etiam si lachrymas de facie illorum manibus suis non exsiccent. Cui respondens Claudius. Bonos inquit Principes eo nequaquam contentos esse decet; si nihilo amplius, quàm iusti iudices faciant; nisi in exercenda iustitia etiam misericordes esse videantur &c.* Moris fuisse Antonini Pij, vt pupillis & viduis portas semper apertas haberet; ac ianitoribus suis mandasse, non ingressu prohibere tenuiores, sed accessu arcere locupletes, vt in eius vita tradunt Historici.

83 Ordinem quoque seruat, qui ordine, & paullatim omnibus se præbet, contra vero, qui auditori soli ita se exhibet, vt ceteri inauditi remaneant. Hoc enim est contra Platonis præceptum à Cicerone relatum *lib. 1. de off.* quo nos docet, ne vnum
84 ita tueamur, vt reliquos deseramus. Fons consilij est Senator publico expositus, qui ideo, non vni duntaxat aquam exhibere debet, aut quantum plurimum aquæ postulat, dare, alteri vero fontem præcludere. Inhumanum est sanè huic consilium negare, consulendi copiam intercludere, illi vero cancellos aperire, & cuncta exhibere. Optimè Coriolanus de quo *Plut. in eius vita*. *Quemadmodum*, inquit, *stomachus solet vniuersum in se suscipere nutrimentum, quod exinde à se distributum ceteris membris emittit; ita Senatus consilia pro debita rerum dispositione suscipit, quæ paulo post populo defert, atque distribuit. Quare si stomachus vni tantùm membro nutrimentum ceteris neglectis subministraret, perniciemque faceret; ita etiam Iudex*; optimus *tex. in l. nec quicquam §. obseruare ff. de off. procons.* cuius sunt verba. *Obseruare itaque eum oportet, vt sit ordo aliquis postulationum: scilicet vt omnium desideria audiantur: ne forte dum honori postulantium datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant*. Non probo autem ordinem, quo vtebatur Marcus Barbadicus Venetorum Dux, vt omnium, qui audiri vellent, nomina in sortem octauo quoque die conijcerentur, & quorum nomina primo educta essent, primi ab eo audirentur; vt refert *Sabell. lib. 3. Decad. 4.* multa enim sunt, quæ dilationem tot dierum non patiuntur; & quæ nouo emergunt; nouo quoque, & festinato egent auxilio ordo insuper peruertitur, si sua cuique non seruatur prærogatiua. Sors denique deerrabat plerumque ad eos, qui expectare prouisionem possent.

Non tamen adeo anxius, expeditionumq; cupidus sit, vt omnes simul audire credat, atque multis 85
vno, eodemq; tempore inseruire posse existimet; vnus enim post alium audiendus est, vt vnius sermo per alterum loquentem non impediatur, iuxta *l. consulta, vers. absurdum C. de testam* nam qui om- 86
nia indistinctè intelligere vult, confusè vt intelligat necesse est. *glos. & Salic. in l. apud antiquos C. de fur.* contra vero si integras aures loquenti præbuerit, vt per *Martian. Nonell. 1. lib. 3.* Hominem huiusmodi guloso conuiuæ comparauit *Polyb. lib. 3.* dicens. *Si quis autem id protinus in singulis locis, singulisq; partibus audire velit, nescit se merito guloso conuiuæ comparari posse. Nam quemadmodum ille, vbi primum discubitum venit, appositos singulos quosque cibos degustans, neque in præsentia voluptatis aliquid capere, neque in futurum vtilitatis potest, quando necsaporem vllum perfectè sentit; & omnia simul congesta stomachum, digestionemq; impediunt: ita qui hoc ipsum in audiendis partibus faciunt, nec propriorum verborum sensum in præsentia capiunt, nec vtilitatis quippiam retinent in posterum; locus igitur relinquatur personæ, & causis.*

*Eccles. 9. & Isaia 22.* colligitur, verba sapien- 87
tum, seu iustitiæ, aut consilij (iurisperitorum, & similium) in silentio esse audienda, vt iudex causæ intentus, subtilitatibus obuiet, veritatemque clarius percipiat. Idcircò dum causæ aliquis patronus, vel pars loquitur, ad res alias vbi erit intentus Iudex, vel cum alio verba faciat, munus suum, non implet: nam etsi ea sit ius, & celeritas humani animi, vt non modo audire simul, & loqui homines possint, sed etiam eodem tempore audiant quæ dicuntur, dicenda prospiciant, & iam dicta retineant; id tamen paucis concessum est; actioq; ipsa id non patitur; qui enim tecum loquitur, attentas aures desiderat, nec verbis, colloquiovè, aut alio exteriori actu perturbari in dicendo vult. Iudex vero, potius exemplo illius magni Regis ductus, aurem vnam vni parti solummodo præbebit alteri vero alteram: quia sic audientiæ partes plenius complebit; contra vero si pluribus intentus fuerit, vt supra *glos. 1. cap. 2. num 9.* Duas
enim res, magnas præsertim, non modo agere 88
vno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quis possit? ait *Cicero Philipp. 2.* & alibi in oratione pro L. Murena. *Itaque sic statuo*, inquit, *fieri nullo modo posse, vt idem accusationem, & petitionem consulatus diligenter adornet, atque instruat: vnum sustinere pauci possunt, vtrumq; nemo*. Neque enim, vt *Quintil. scribit lib. 10. cap. 7.* se bona fide in multa simul intendere animus totum potest, & quocunque respexerit, definit intueri, quod propositum erat. Scio tamen, quod de Cæsare scriptum est a *Plut.*

*Plut. & Plin. lib 7 cap. 25.* vt & ſcribere, & legere ſimul, dictare, & audire conſueuerit: epiſtolaſq; quaternas pariter librarijs dictare, & ſi nihil aliud ageret, ſeptennas; aut de Adriano, qui vt eſt apud Spartianum vno tempore ſcribebat, dictabat, audiebat, & cum amicis fabulabatur. Sed hæc paucis conceſſa, vt dictum eſt. Eiuſmodi enim eæ ſunt audientiarum partes, vt ſingulæ totum hominem deſiderent. Eſtq; ideo periculum, ne dum in vtrumque feſtinet, neutrum rectè peragat, vt paullo ſupra diximus, Tritumq; eſt ſermone prouerbium.

*Tempore quiſque duos lepores ſectatur eodem,*
*Aut neutrum, aut certè non capit ille duos.*

89 Cauendum eſt etiam ſummopere, ne, vt ex *Tacito Annal. 4.* triſtes, trepidoſve dimittat, quos non ſermone fuerit dignatus, ſed tantum audientia: Eis enim, quos loquentes audiuit, eſt etiam reſpondendum, cum rei narratæ qualitas reſponſionem, interrogationemve expoſtulat, ne ſtatuæ videamur. Hæc muta iudicia ſapientes arguunt. *Cic. n. Ep. Famil. vlt. lib. 1.* ſcribens Valerio Iuriſconſulto, ſic ait. *Qui iſtinc veniunt te ſuperbum dicunt, quod nihil reſpondeas.* Et *Ep. 16 lib. 7.* Trebatio. I. C. his vtitur. *Qui iſtinc veniunt ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percuntantibus reſpondere.* Reſponſio item breuis nimis, ſi obſcura, hos etiam triſtes, & trepidos facit, vt moris eſt officialium quorumdam dum quemcunque etiam diu loquentem audiunt, illi autem his, vel ſimilibus reſpondent verbis, *bien eſta*, aut *tendremos cuidado*, vel *aſtamos en ello*, aut *procuraremos de azerlo de muy buena gana*: hæc etenim verba oraculi videntur tam conciſa, & obſcura; cum tamen *Caſſiod. var. lib. 12.* dixerit, *verba more veſtium ſuſpenſa ne vendantur.* Inquit etiam *tex. in c. vlt. 39. q. 5.* apertiſſimè, *Iudicem oportet cuncta rimari. & ordinem rerum plena inquiſitione diſcutere interrogandi, reſpondendi, obyciendique præbita patientia; ab eo: vt vbi actio ambarum partium illuminata ſit pleniſſime, neque litigantibus prius velit ſua ſententia obuiare, quàm cum iam peractis omnibus nihil habeat in quæſtione, quod proponant: & tandiu actio ventilentur, quouſque ad rei veritatem perueniatur. Frequenter interrogare oportet, ne quid prætermiſſum forte maneat, quod annecti conueniat.* Scribit etiam *Plato lib. 34. de legib. Dial. 6. col. 2.* frequentem inquiſitionem ad eruendam veritatem maxime conducere. Præter id, quod ſilentium, teſte *Plut. de garrulit.* multas quidem in ſe habet vtilitates, duas autem ſummas & præcipuas, quod audiat, & audiatur; ergo etiam loquendum eſt. Improbatur ſilentio affectata grauitas a *Dion. Chriſoſt. orat. 35.*

Non aliquem ambitio peruertat, vt tanquam
90 occupatus, ſemper aliud habens, quod antè agendum ſit, pridie ad ſe venire litigantem, aut eodem matutino iubeat, eundem tamen adhuc mora, & dilatione noua trahat. Audi *Tertullianum lib. de reſurrectione carnis*, ſic dicentem. *Quid de tali medico iudicabis, qui nutriat morbum mora præſidij, & periculum extendat, dilatione remedij, quo pretioſius aut famoſius cures?*

91 Non omnis cauſa contradictorium iudicium ſemper requirit, ideò cautè agendum, vt illud tantùm partibus indicatur, quoties vel Iudex ipſe ſit in facto dubius, vel in iure, vel ſperet ex eo partium, cauſidicorum, aduocatorumvè congreſſu partes ad concordiam trahere poſſe; ijs enim caſibus exceptis exiſtimamus nos actum illum minus neceſſarium, immo partibus diſpendioſum: merita ſiquidem cauſæ licet partium aſſertione pandantur; neceſſe tamen eſt, vt illa ex actis appareant, ex quibus etiam actis ius reddi oportere notum eſt. ergo congreſſus ille, illudvè contradictorium iudicium, vtplurimum non neceſſarium. Hæc ex *Ariſt. in Polit.* dicente. *Litigantis nihil aliud eſt, niſi oſtendere, quia res eſt, vel non eſt, vel quia facta eſt*: vtrum autem ſit iuſta, vel iniuſta; oportet ipſum iudicem cognoſcere, & non diſcere à litigantibus, addimus nos, neque ab aduocatis, vt in cap. ſequenti fuſius.

Quæ deſunt aduocatis, ſuppleat ipſe Senator, 92
*toto tit. & ll. vt quæ deſ. aduoc.* optimus locus apud *Ammian. Marcell. lib. 18. cap. 1.* de Iuliano talis. *Numerium Narbonenſis paullo ante rectorem accuſatum vt furem, inuſitato cenſorio rigore pro tribunali palam admiſſit volentibus audiebat: qui cum iuſtificatione defendere obiecta, nec poſſet in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer eum expugnans, documentorum inopia percitus, exclamauit, ECQVIS, FLORENTISSIME CÆSAR, NOCENS ESSE POTERIT VSQVAM, SI NEGARE SVFFECERIT? circa quem Iulianus prudenter motus ex tempore, ECQVIS, AIT INNOCENS ESSE POTERIT, SI ACCVSASSE SVFFICIET?* Et *lib. 20. c. 10. idem Marcell.* & quanquam in diſputando aliquoties erat intempeſtiuus, quid quiſque iurgantium coleret, tempore alieno interrogans; tamen, nulla eius definitio litis à vero diſſonans reperitur, nec argui vnquam potuit ob religionem, vel quodcunque aliud ab æquitatis recto tramite deuiaſſe.

Imperatoris Magni Conſtantini ſequatur veſtigia, vt de eo in eius vita *lib. 3. c. 13 Euſeb.* ſcribit. *Cum igitur multa eſſent ex vtraque parte propoſita: magnaq; controuerſia, ipſo diſputationis ingreſſu concitata: Imperator toleranter & placide omnibus animum attendere, ſtudio acri prolatas ſententias ſenſim excipere: viciſſim ferre opem vtrique diſceptantium parti: eos magna cum contentione digladiantes paullatim reconciliare: conferre cum ſingulis comiter & benignè ſermonem: quid ipſe ſentiret eloqui: ſuauis fuit & dulcis, dum alijs perſuadere, alios ſermone lenire, alios qui disertè dixiſſent collaudare, omnes denique ad concordiam reducere contendebat: vſque eo, vti tandem eos in omnibus rebus in quæſtionem aliquando veniſſent, tum conſpirantes animis, tum opinionibus adeo conſentientes redderet, vt non modo concors fides inter eos vigeret, ſed etiam &c.*

Auditis petentibus quamprimum poſtulata eo- 93
rum vel concedat, vel etiam deneget, nec rem intactam alijs decidendam relinquat: cum id abſque peccato fieri nequaquam poſſe docuerimus infra *cap. 17.* denegando enim, quod petetur iuſtitiam facit, vt ſupra & petentibus prodeſt, iuxta illud. Pars beneficij eſt, quod petitur, ſi cito neges. Scribit etiam *Plut. in Demetrio 155.* in hæc verba. *Quodam etiam tempore, cum palam edixiſſet Demetrius, omnes qui eum adirent ſe benignè auditurum: confluentibus multis, petitioneſq; ſuppliciter ſcriptas ad eum ferentibus, primùm liberaliter eas omnes recepit, in clamydeq; repoſuit: profectus deinde cum frequenti hominum copia, qui ingenti deſiderio reſponſa*

*ſuis*

*suis petitionibus expectabant, vbi ad pontem Axij venit, aperiens Clamydem eas omnes spectantibus cunctis proiecit in fluuium. Quo quidem, incredibile dictu est, quam grauiter offensi omnium Macedonum animi sint &c.* Cedunt autem litigantes preces suas, & supplices libellos, quamuis benignè à Senatore, vel Præside receptos, vbi non appareant, non in fluuium, proiectas fuisse, sed alio repositos vnde amplius non appareant, ac voces vbique emittunt, & quærelas denegatæ sibi iustitiæ proferunt. Præter id, quod teste *Plin. Ep. 8. lib. 2. in veteribus negotijs noua adsrescunt, nec tamen priora peraguntur, tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur &c. Verendum est tunc etiam, ne iudicum intentio multis causis non lassetur modo,*
95 *verum etiam confundatur. Dum enim longius extrahitur cognitio satietate, & tedio quodam iustitia cognoscentium languescit*, inquit idem *Plin. Ep. 9. lib. 3.*

Discant à Marcello I. C. Senatores, & Aduo-
96 cati in *l. 3 ff. de his, quæ in testam. delen.* causas, & sententias dicere, proferreq; sic enim ait. *Proxime: in cognitione Principis, cum quidam heredum nomina induxisset, & bona eius, vt caduca à fisco vendicarentur, dum de legatis dubitatum est.* Mox sententia Imperatoris Antonini Augusti, Prudente, & Pollione Cos. *Cum Valerius Nepos mutata voluntate & inciderit testamentum suum, & heredum nomina induxerit, hereditas eius secundum diui patris mei constitutionem ad eos, qui scripti fuerint, pertinere non videtur.* Et aduocatus fisci dixit. *Vos habetis iudices vestros.* Iunius Zeno dixit: *Rogo te Domine imperator audias me patienter; de legatis quid statues?* Antonius Cæsar dixit. *Videtur sibi voluisse testamentum valere, qui heredum nomina induxit?* Cornelius Priscianus Aduocatus Leonis dixit. *Non potest vllum testamentum valere, quod heredem non habeat.* Priscianus dixit: *manumisit quosdam, & legata dedit.* Antonius Cæsar remotis omnibus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, dixit. *Causa præsens admittere videtur humaniorem interpretationem, vt ea duntaxat existimemus. Nepotem irrita esse voluisse, quæ induxit.* Habes ergo. & Principalem iudiciorum breuem formulam, breuiq; temporis spatio & auditam, & decisam ab Imperatore optimè causam.

97 Tandem in Senatore sit grata in salutandis omnibus humanitas, imitetur M. Crassum de quo *Plut. 7.* ait, *nemini tam sordido, tamque humili Romanorum occurrebat, cui salutatus ipse salutem non redderet, cuius rei causa gratissimum extitisse eum P. Rom. scriptores omnes tradiderunt.* Sic etiam de Marco testatur Herodianus. his verbis. *Adeo ciuilem se se, & commodum omnibus principem præstabat, vt adeuntium cuiuis dexteram placide daret, neminemq; à suis custodibus prohiberi aditu pateretur: Solusq; Imperatorum sapientiæ studium non verbis, aut decretorum scientia, sed grauitate morum vitaq; continentia vsurpauit.*

98 Illud etiam verissimum erit *Cicer. in orat.* nihil tam difficile, quàm in plurimorum controuersijs ab omnibus diligi.

99 Intelligant quoque qui audiri volunt, non sibi irascendum fore si statim ad Senatoris, non introducantur; sed & ipsi patienter ferant, vt de Siracusano Dione scribit *Valer. cap. 1. lib. 4.* in hæc verba. *Cum Theodorum Principem eius vrbis domi conuenire vellet, neque admitteretur, multum, diuq; ante fores retentus, comiti suo, Patienter hoc ferendum est, ait; forsitan enim & nos, cum in gradu dignitatis nostra essemus, aliquid tale fecimus. Parmenio quoque, dum quidam indignaretur, quod non statim ad Regis colloquium admitteretur ob illius sonnolensiam, sic est Regi Philippo patrocinatus. Ne miremini, inquit, si nunc dormit Philippus, nam cum dormiretis, hic vigilabat. Vt autem quis audiatur, non se arroganter Senatori exhibeat, ne vel repellatur, aut non iucundo responso dimittatur.* Sic enim Callipidi accidisse, teste *Plut. in apophi. lacon.* legimus. Is enim, quia inter tragœdos primus haberetur, primùm Agesilao occurrit, & salutauit; deinde arroganter se se inter inambulantes conijciens, seipsum illi ostentabat, putans fore, vt aliqua comitate exciperetur. Impatiens tandem dixit. *Nonne me agnoscis ò Rex, neque audisti qui sim?* Agesilaus in ipsum respiciens. *An tu es*, inquit, Callipides Dicelicta. Aliud scribit *Plut. ibid.* de Calicratida, non sequendum. Is ad Cyrum iuniorem, qui Lacedæmoniorum socius erat, cum ad accipiendas pecunias classi necessarias Sardis peruenisset, primo quidem die iussit nunciare se Cyrum conuenire velle, Sed vbi illum bibere audiuit; expectabo inquit donec bibat. At tunc quidem recessit, postquam cognouit illo die se cum eo colloqui non posse, veritus autem ne agrestior esse videretur, postridie accessit, sed cum illum rursus bibere audisset, ac se non admitti indignatus recessit, Ephesumq; profectus est,

## CAPVT V.

*Per Recursum, seu supplicationem, quomodo concedatur Audientia publica. Item de Aduocatis, & quomodo audiendi.*

AVdientiam aliam priuatam diximus, aliam vero publicam, De prima actum fuit, nunc 100
de secunda; quæ per Senatum de more concedi consueuit in causis quibuscunque ab inferioribus iudicibus decisis, vel decidendis. Quæ praxis ex vno iuris remedio prodijt, quod recursus, seu supplicationis appellatur.

Huius autem duplicem constat esse speciem, alteram quando Principi supplicatur aduersus sententiam, à qua non licet appellare, propter excellentiam personæ, quæ iudicauit, vt ex *l. 1. §. fin. ff. de off. præfect. præt. in l. 1. C. eod. in l. si aduersus, & in auth. quæ supplicatio C. de prec. Imp. offer.* De qua nunc non erit sermo noster, sed aliqua attingemus infra in §. 8. Alteram vero quando prohibita est appellatio ratione causæ, dum supplici libello à Principe remedium imploratur. Et in hac specie
attenditur vtraque Principis potestas absoluta scilicet, & ordinaria; de quibus per nos copiosè in 102
*§. sequen glos. 1. cap. 5. & 6.* Ex absoluta Principem posse cuicunque rei iudicatæ derogare, & causam quandocunque cognoscere, & cognoscendam delegare, voluerunt *Dinus in cons. 98. num. 33. lib. 1. & cons. 119. Bal. in c. sua nobis col. 2. vers. nota, quod Princeps, & ibi Fran. num. 13. de appell. Alciat. cons. 60. num. 12. lib 8.* pulchre *Salic. in l. fin. C. sen. rescin. non poss.* vbi docet nõ posse tollere rem iudicatam rescriptam iustitiæ, sed tantùm de plenitudine

pote-

potestatis. Idē probat *Socin. in cons. 158. col. 1. lib. 2.* cū alijs pluribus per nos in *d. c. 6.* notatis, & in *tit. de rescript. §. 2. c. 2.* Sed hac non vtitur Senatus potestate, qui nouit illam sibi vsquequaque cōmunicatam nō
102 fuisse. Ex ordinaria verò potest, immo debet Princeps aduersus rem iudicatam prouidere, non semper, sed ex causa iusta, vt quicquid abstulit iniustitia, iustitia restituat, & in casibus, quorum ille (ceteris omissis relatis per *Abb. in c. ex litteris col. 2. per glos. ibidem in verbo supplicauit de in integ. rest.*) præcipuus, & frequens est, quando statuto remouetur appellatio, prout à secunda, dum conformes admittit, sublata est indistinctè ex hac *Constit.* vt per nos *ibid. in comm. de app.* ita *Bal.*, *& Salic. in l. fin. §. fin. in fine C. de temp. appell.* quorum sententia ab omnibus recepta est, vt per *Dec. in cons. 533. nu. 2. Ruin. cons. 157. num 19. lib. 5. Rol. in cons. 38. num. 7., & 20. lib. 2. Natta in cons. 172. num. 9. & seq. lib. 1. Boss. tit. de supplicat. num. 10. & tit. de quarela contra senten. num. 7. Hyppol. sing 88. Menoch. de arb.*
103 *ind. quæst. 70. num. 24.* Alter est casus æque frequens, qui ex grauamine, quod parti per interlocutoriam, à qua regulariter non appellatur, oritur; tunc enim grauatis succurritur remedio supplicationis, ex *Aret. in cons. 106. num. 10.* post *Bal. in l. fin. num. 46. ad fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen. Pap. in forma sent. interloc §. 1. n. 4. Menoch de arb. iud q. 70 n. 26.* potissimum si euidens nullitas, & iniustitia sit, vt per *Aret. vbi supra*. Est & tertius generalis, quando euidens foret sententiarum iniquitas, & nullitas, esto quod in iudicatum transijssent, quia esto quod tales exceptiones nunquam sublatæ intelligantur etiam aduersus tres conformes, vt per *Franc. in c. dilecto q. 50. & 52. de app. Alex. & aliis in §. condemnatum l. 4. ff. de re iud.* cum alijs multis per nos adductis
104 in *comment. de app. § 12. glos. 2. per totam*. Immo si statuto tolleretur omnis reuisio, in casu tamen notoriæ cuiuslibet iniquitatis sublata non intelligeretur *Franc. vbi supra num 168. Boss. in tit. de fisco n. 48. in fin.* sicque integrum videatur grauatis coram iudicibus ordinarijs de iuribus suis experiri agendo, vel excipiendo. At quia in hoc Dominio ad Senatum duntaxat recurritur aduersus rem iudicatam: In hoc casu, & cæteris supra idem Senatus hac sibi communicata per Principem ordinaria potestate
105 prouidere consueuit. Nam consideratis, atque examinatis causis grauaminum per partes in precibus, & responsis deductis, quæ conscribi, & nominatim deduci debent, teste *Contar. ad l. vnic. q. 8. num. 26. & 27. C. si de mon. poss.* petitam audientiam cessante calumnia, & subsistente præsumptione pro eo, qui reuisionem petit, vel grauamen reuocari postulat; concedit, & causam introduci in
106 Senatu decernit. Quod enim præsumptio sufficiat, vt reuisio concedatur, firmat *Innoc. in d. c. ex litteris num. 4. & seq. Ant. de Butr. col. 3. vers. Quæro an indifferenter Imol. num. 7. de rest. in integ. arg. tex. in l. minor autem §. 1. ff. de min.* per quem dixit idem *Innoc. in c. sequenti col. 3 sub num. 6* sufficere quod habeat petens aliquem iuris colorem detegendum ex summaria informatione, vt causa restitutionis introducatur, quod pluribus firmat *Oddus de restit. in integr. q. 36. art. 10. num. 21., & seq.* Sed de hoc plenius infrà §. 3 *glos. vlt cap. penult.*

Hæc ergo publica Audientia cum medio Aduocatorum fiat, eis prius auditis, præuijs etiam plenioribus informationibus ad singulos Senatores delatis, si Senatui liqueat fundamenta petentis, quæ colorata priori loco visa fuerant, re ad plenū discussa nihil pro petente decernendum censet, sed ait, quod partes vtantur iuribus suis. Si vero solida, atque firma sint; condignam adhibet prouisionem rescissis etiam diffinitiuis ipsis sententijs. At si anceps sit, iura partium si prius ad Senatorem delata non fuerint, exhiberi mandat, vt ijs maturè discussis, & in Senatu ex fide relatis prouideri possit, prout postea Senatus prouidet.

Et ex his functionibus Senatus oppressis indebitè occurrit, & Iudices, Magistratusque in officio retinet. 107

Nam si difficiliorem se præberet in admittendis præcantium quærelis, gestisque singulorum Iudicum accuratè discutiendis; non satis omnes in officio continerentur, qui munere funguntur iudicandi: Dum enim vigilem hanc Senatus curam in omne tempus reformidant, cuique suas iustitiæ partes tribuunt, abijsque abstinent vitijs, quæ in se ipsos torquere quandoque posse, grauiori Senatus censura autumant; non idem facturi si hoc depulso metu, ex libero ipsorum arbitrio iustitiam pendere intelligerent. Quod tamen curæ suæ commissum Senatus non ignorat per has *Constit.* infra §. 3. & 4.

Redeamus ad publicam Audientiam, & eam dicimus, quæ quoquomodo in Senatu, vel collega referente, vel fiscali, Iudicibusque prout in casibus de quibus infra *cap. 9., & 18.*

Verius publica dicetur ea, quæ vt iam diximus medio Aduocatorum præstari consueuit, quando mandatum est, eos in frequenti Senatu publicè audiri debere. Quarè cum multa fuerint de ipsis Aduocatis per Senatum sancita, & à scribentibus tradita, non inutile erit ea saltem recensere, quæ ad rem nostram facere videntur.

Scio tamen hanc Aduocatorum disputationem coram Senatu, & Regijs consiliarijs improbari ab 108
*Afflic. in Constit. Neapol. lib. 1. rub. 45. num. 60.* ea ratione, quod Aduocati adhibeantur ad exonerationem imperitorum iudicum tantùm: atque ideo eos coram tanto ordine non esse introducendos, sed morem hunc abolendum penitus esse. Vitium enim magnum est, inquit, si iudices ipsi ex se ipsis quid agendum sit, ignorant, aut lites decidere nesciant. Nec honestum esse ab alijs quærere, quæ ipsos in iudicando eloqui decet, vt in *auth de iud. prope finem, vers. illi autem, & in c. conuenientibus 1. q. 7.* Magna, subdit, *idem Afflic.* verecundia est apud graues viros, postquam semel audiuerit aduocatos, iugiter si dicat, veniat aduocatus. Videat autem Regius consiliarius de continuo acta, & processum, & vtatur ex diligentia requisita, & sic non indigebit præsentia aduocati, hæc ille. Addo ego *Plut. in Polit.* sententiam his conceptum verbis. *Qui rempub. regere vult, mentem is secum velut gubernatorem habere debet: orationem insuper, qua accepta mentis imperia demum in alios edat, ne idem ipse voce extera indigere videatur: neuè, vt Iphicrates Aristophontis superatus oratione, meliorem esse dicat aduersariorum actorem, cæterum suam ipsius causam longe potiorem.* Alios etiam afferamus potissimum *Ammian. Marcell.* sic de Persis *lib. 23. c. 12.* loquentem. *Ad iudicandum vsu rerum spectati destinantur, & integri, parum alienis consilijs indigentes: vnde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, iurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga.* Quæ-

storibus

storibus candidatis senatores æquiparari iam docuimus, quibus itaque congruit illud, quod *Cassiod. var ep. 5. lib. 6.* his scribit. *Considerate, quid ponderis habeatis pariter, & decoris? Si quid dubitamus à quæstore requirimus, qui est thesaurus fama publica, armarium legum, paratus semper ad subitum*, & prius *lib. 1.* idem per Theodoricum sic ait. *Omnes, quos ad Quæsturæ culmen euehimus, doctissimos æstimamus, quales legum interpretes, & consilij nostri decet esse participes*; & paullo post. *Ab ipso legum peritia postulatur; illuc vota confluunt supplicantium. Et quod est omni thesauro pretiosius, penes ipsum ciuilitatis nostræ fama reponitur. Ab alijs ergo non accipiant Senatores, quæ ipsi præstare omnibus tenentur, quemadmodum Agesilaus cuiusdam causa iudici flagitanti ab eo quid agendum esset, respondit. Accusator enim benè dixerat, reus autem malè, quippe qui ad singula diceret: Agesilae oportet Regem legibus opitulari. At ille; & domum, inquit, si quis tibi euerteret, & vestimentum si quis auferret, expectaresne, vt architectus, aut qui vestimentum conficit, tibi auxilium ferat.*

Quoties autem decretum sit, aduocatos audiri debere: certis assignatis diebus audiuntur ij, vt infra *cap. seq.* antequam tamen feratur sententia. De Senatu autem Pedemontano scribit *Ant Sola ad Decret vt nihil. tit. de sent execut glos. 1. par. in fine*, eundem consueuisse sententiam ferre, votaque ante illius editionem secreta retinere, & post editionem illa quandoque in suspenso tenere, seu retrahere, & auditis aduocatis confirmare, aut melius reformare, vt de hoc stilo testatur *Crau. cons. 201. num. 21.* & de eius validitate *Ang. cons. 114.* quod hoc vtilius sit partibus, quàm aliquando suscepto vulnere remedium quærere. Ego autem dixerim, non prius ad vota deueniendum esse, quàm aduocati auditi fuerint, vt obseruat Mediolanensis Senatus. Melius est enim ab initio remedium quærere, quàm post illatum vulnus, alia conferunt quæ attulimus infra *cap. 23.*

109 Quod vero ad Aduocatos attinet, illud in primis dicendum est, eos immemores esse non debere eorum, quæ tradit *Specul. de Aduoc.* potissimùm, quæ ad salutem, honorem existimationemque tuendam conducibilia, & memorabilia sunt, de quibus etiam per *R. Fichar. caut. 6. & 7. ac 13. Tacit. 11. Annal. Petrum Alam in tract de Aduoc. & Causidico Christiano, Ammian. Marcell. lib. 30. cap. 6. & 7.* & per *Ianum Langlaum semestrium lib. 1. per totum, Ioann. Matienz. in dialog. p. 1. cap. 7. 8. & 9. & p. 2. per totam, & Maynardum decis. Tholos. 88. p. 1.*

110 Secundò, tenebuntur Aduocati coram Senatu stare, vt tradit *Fran. Mar. quæst. 650* prout ita semper vsu receptum fuit, & scribitur à *Matienzo Dialogor. p. 2. cap. 11.*

111 Tertiò, Aduocati, qui coram Senatu causas dicunt, in proponendis Senatui oblationibus cauti sint: nam si clientes acquiescere noluerint, ipsi onus clientum subibunt, ex Senatusconsulto.

112 Quartò, Aduocati in causis dicendis coram Senatu modestè loquantur, tàm de Aduocatis aduersarijs, quàm eorum clientibus; minus eis licebit aliquo modo lacessere clientes, nisi necessitas causæ ita exigat. Ita ordo anni 1577. 16. Nouembris, & ita loquitur *l. quisquis C. de postul.* Docet etiam *Quintil. lib. 12. cap. 9.* orationes non esse vitijs implendas. Sequitur *Ammianus d. lib. 30.* Pœnam aduersus huiusmodi aduocatos describit *Symach. ep. 28. lib. 4.* de qua etiam in *l. 1 ff de off Præfect vrbis*, in *l. moris ff. de pœn. & in l 1. C. de postul.* & apud *Plin. lib. 5. ep. 14. Plut. in lib. de ciuili administratione in fine*, sic ait. *In foro, & ciuilibus controuersijs, sat erit nudis, explicatisque rationibus causam simpliciter agere, non confictis ad libidinem criminibus, congestis maledictis vndique, & iurgijs, atque minis admixtis, tanquam veneno tela inficere, eaque peracuta in aduersarium per insidias iactare. Quo fit, vt causæ suapte natura leues, atque priuatæ, ad publica crimina, deploratamque luem studio, & contentione trahantur. Cicero lib. 2. de off.* his vtitur. *Iam id non sunt admonendi (est enim in promptu) vt animaduertant, cum alios iuuare velint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit: si imprudentes, negligentia est, si scientes, temeritatis.*

Vultu, gestu, & voce non abutantur aduocati; horum enim vitia descripta nuper sunt à *Ioanne Matienzo in Dialog. p. 2. cap. 2.*

Quintò iniungitur Aduocatis, vt breuitate 113
vtantur, itaut saltem quatuor causæ intra tempus audientijs tributum expediantur, sub pœna etiam suspensionis ab aduocatione Senatus arbitrio, vbi extra punctum, super quo audientia concessa est, tempus conteratur ex ordine anni 1580. res sanè & æqua, & conducibilis. *Non enim de paruis rebus longa facienda sunt proœmia*, inquit Cleomenes, *sed quanta res est, tanta, & oratio, qua vteris esse debet. Reprehensus hinc quidam à Leone Lucratide merito fuit, quod non opportuna, opportuna vteretur oratione.* Rectè vero *Plin. in epist.* Breuitas in dicendis causis custodienda, si causa permittat; ideo in re pusilla non sunt texenda proœmia; si vero non permittat, præuaricatio est transire dicenda: Præuaricatio est etiam cursim, & breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infringenda, repetenda. Item adsunt huic opinioni leges, quæ longissima tempora largiuntur, nec breuitatem dicentibus, sed copiam, hoc est diligentiam suadent, quam præstare, nisi in angustissimis causis non potest breuitas. Sequitur ergo, vt actio sit absolutissima, quæ maximè orationi similitudinem expresserit, si modo iustum & debitum tempus accipiat; quod si negetur, nulla orationis, maxima iudicis culpa est. Varia sunt hominum iudicia variæ voluntates, inde qui eandem causam simul audierunt, sæpe diuersum, interdum idem, sed ex diuersis animi motibus sentiunt. Præterea suæ quisque intentioni fauet, & quasi fortissimum complectitur, cùm ab alio dictum est, quod ipse præuidit. Omnibus ergo dandum est aliquid, quod teneant, quod agnoscant; Omnia pertento, omnia experior, omnem lapidem agito, vtq; in agricultura, non vineas tantùm, verum etiam campos curo, & exerceo, vtque in ipsis campis, non far, aut siliginem solam, sed hordeum, fabam, ceteraq; legumina sero, sic in actione plura quasi semina spargo, vt quæ prouenerint colligam. Neque enim minus inperspicua, incerta, fallacia sunt iudicum ingenia, quam tempestatum terrarum. Nam delectare, persuadere, copiam dicendi, spatiumq; desiderat. Est gratior multis actio breuis, est sed inertibus, quorum delitias, desidiamq; quasi iudicium respicere ridiculum est, nam si hos in consilio habeas, non solum satius est breuiter dicere, sed omnino non dicere. Voluit etiam *Symach. ep. 10. lib. 1.* satius esse iterando obtundere, quàm fraudando reticere. Et

*Amianus Marcell. lib. 29. Fallere non minus videtur*, inquit, *qui geſta præterit ſciens, quam ille, qui nunquam facta fingit.* Nec minus verè apud Plautum in Querolo. *Pererat ſæpè. qui tacet. Tantum eſt enim verum, quantum & falſum dicere.* Plato quoque de moribus philoſophorum his vtitur. *Iis etiam ſi quid inciderit, quod eos inſtituta diſputatione magis delectet, vt nobis accidit, cura non eſt, prolixè ne, an breuiter loquantur, dummodo rem ipſam conſequantur. Illi occupati ſemper loquuntur: vrget enim aqua defluens: ac de his, quæ cupiunt, verba facere non licet; ſed neceſſitatem aduerſarius affert, & libelli formam, extra quam nihil dicendum, quod iuſiurandum calumniæ cauenda. Iam certamina nunquam fruſtra ſuſcipiuntur: ſed res ſeria ſemper, ſæpe etiam vita agitur.* Sic & Beatus Auguſtinus. *Loqui multum non eſt nimium, ſi tamen eſt neceſſarium.* Iterum; idem *Plin. ep. 22. lib. 6.* Egit autem carpit, & ſummatim. Quo genere veritas ſtatim oſtenditur. Polycetus quoque animaduertit idem orationi conuenire, quod nummis, qui eò ſunt præſtantiores, quo in minore materia plus valoris, ac pretij complectuntur. Sic optimum eſſe videtur orationis genus illud, quo paucis multa ſunt grauiter, ſapienter, acutè ſignificata; teſte *Plut. in Phocione 12. Cicero tamen lib. 1. de oratore*, oſtendit Aduocato prorſus damnabile non eſſe, ſi aliquando longius, & iucundius coram Senatu vagetur, dum ait, *Tu libellis, aut præceptis ſoceri tui cauſam M. Carij defendiſti, non arripuiſti patrocinium, & defenſionem teſtamentorum, ac voluntatis mortuorum, ac mea quidem ſententia (frequenter enim te audiui, atque adſui) multo maiorem partem ſententiarum ſale tuo, & lepore, & politiſſimis facetijs pellexiſti; cùm & illud nimium acumen illuderes, & admitteres ingenium Scæuolæ; qui excogitaſſet naſci prius oportere, quàm emori: Cumq; multa colligeres, & ex legibus, & ex Senatuſconſultis, & ex vita, & ſermone communi, non modò cautè, ſed etiam ridiculè ac facetè. Vbi ſi verba, non rem ſequeremur confici nihil poſſet. Itaque claritatis plenum iudicium, ac lætitia fuit; in quo quid tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit non intelligo. Dicendi certè ius egregia ſumma feſtinitate, & venuſtate coniuncta profuit.*

114 Coram autem Senatu breuitate vtendum eſt, & merita cauſæ, vt iam dicebamus, ſunt pertractanda; cùm etiam Iudex poſſit Aduocatum verba potuis effundentem inania, quàm cauſam defendentem interrumpere, & arguere, vt ait *Afflic. ſuper conſtit. rub. 44. de cauſ. in iud. decid num. 2.* finemq; prolixis, & futilibus ipſius diſceptationibus imponere, vt ait I. C. in *l. proxime in fine ff. de his, quæ in teſtam. delen.* Hinc *Luc. de Penna in l. 1. C. de lucr. aduoc.* citat illud *Boetij. 1. de conſolat.* Miror quemadmodum religioſæ aures audire feſtinent huiuſmodi aduocatorum diſputationes, pugnaſq; verborum, quæ magis ad ſubuerſionem cauſæ proficiunt. Alia *Gell. lib. 1. c. 22.* alia *Lucian. in Charidemo*, dum, *multi ſæpè homines*, inquit, *omittentes de rebus optimis, & nobis conducentibus dicere, ad alia neſcio, quæ argumenta abripi conſueuere, ex quibus ſibi quidem famam comparaturos ſe putant, auditores autem verbis nihil conferentibus obtundunt. Ac dicere ſolent alij quidem de iiſdem rebus interſe verbis contendentes, alij autem alia, quæ non exiſtunt, commemorantes, alij etiam de iis, de quibus minimè neceſſe eſt, verba facientes.*

Sextò, Aduocati ſemel aſſumptum defenſionis patrocinium non deſerant ex *Plin. ſententia in epiſt.* de Tuſcilio Nominato loquentis, qui cauſam cuiuſdam viri prætorij petentis ſibi ius in agris ſuis nundinas conſtituendi Vicentinis contradicentibus deſeruerat; eſt *tex. in l. properandum §. pen. C. de iud.* ſequitur *Marc. deciſ. 644. num. 3. Rot. deciſ. 18. alias 817. de iud. in antiq. & Gail. obſeru. 43. lib. 1.* ob hanc enim cauſam damnatum fuiſſe Demoſthenem legimus. Et Oldradum dolore, & triſtitia, quod ſe tale delictum commiſiſſe detectum fuerat, mortem obijſſe, teſtatur *Caſtrenſ. in l. 1. in fin. de aduoc. diuerſ. iud.* Feſtiuum *Valer. Martialis epigr.* 115

*Egi Sexte tuam, pactus duo millia, cauſam:*
*Miſiſti nummos, quòd mihi mille, quid eſt?*
*Narraſti nihil, inquis, & à te prodita cauſa eſt;*
*Tanto magis debes, Sexte, quòd erubui.*

Dedecus eſt enim, Euripide teſte in Hecuba, cauſam quam ſemel receperis in manus reijcere. Niſi eam iniuſtam agnouerit, vt infra *Verbo 11. verſiculo cauſas, vel verſemur in caſib ll. filius familias §. fin. & l. ſi poſt ff. de procur. l. licet ff. de arb l. ſi aut valetudine cum l. ſeq. ff de procur.* aut in alijs cumulatis per *Ian. Langlæum ſemeſtr. lib. 1. cap. 2.* qui etiam multa de præuaricatoribus retulit.

Septimò patrocinium totis viribus exerceat, non autem lentè, ac negligenter ludibrio quaſi, cùm parum à præuaricatione abſit, ex *Plin. loco ſupra ſub num. 48.* Et Ciceronis dicto, non defendi homines ſine vituperatione fortaſſe poſſe, negligenter vero defendi ſine ſcelere neutiquam poſſe. Addendus eſt *Plut. in M. Craſſo 7.* dicens eidem Craſſo nullam cauſam adeo tenuem, aut tam contemnendam viſam fuiſſe, ad quam peragendam impremeditatus accederet; Cumq; Pompeius perſæpe, ac Cæſar, Cicero etiam nonnullas à ſe cauſas quaſi parum dignas reijcerent, ipſum earum patrocinium ſuſcepiſſe. Quamobrem maximam à populo gratiam conſequi meruit. quod in cauſis accuratus, & diligens, præterea facilis ad opem indigentibus ferendam haberetur. *Plin iterum ep. 29. lib. 6 ait. Auidium Quietum præcipere ſolitum ſuſcipiendas eſſe cauſas, aut amicorum, aut deſtitutas, aut ad exemplum pertinentes: cur amicorum? non eget interpretatione, cur deſtitutas? quod in illis maxime, & conſtantia agentis, & humanitas cerneretur; cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum refert bonum, an malum induceretur. Ad hæc ego genera cauſarum, ambitioſè fortaſſe, addam tamen claras, & illuſtres; æquum enim eſt agere nonnunquam gloriæ, & famæ.* Item paullo infra. *Commodè agendo factum eſt, vt ſæpè agerem, ſæpè agendo, vt minus commodè, quia ſcilicet aſſiduitate nimia facilitas magis, quàm facultas, nec fiducia, ſed temeritas paratur.* Item. *Proinde multum lege, ſcribe, meditare, vt poſſis cum voles dicere. Dices cum velle debebis. Hoc ferè temperamentum ipſe ſeruaui, nonnunquam neceſſitati, quæ pars rationis eſt, parui; egi cum quibuſdam à Senatu iuſſus &c.* ſcribunt etiam Demoſthenem ex tempore dicere non conſueuiſſe, ſed cum rem de qua dicturus erat iam antea excogitaſſet. Natam igitur non in ore, ſed in pectore orationem effundat Aduocatus, verba aliquoties pruriente lingua penè labris exeuntia primoribus coercere, & retinere diſcat: non ſint cupreſſo ſimilia. magna & ardua, ſed ſine fructu. Hinc Iuuenalis.

dic

*dic tibi quis ſis.*

*Orator vehemens an Curtius an Matho: bucca*

*Noſcenda eſt menſura tua, ſpectandaque ſummis*

*In rebus minimiſque.*

117 Ciceronis de orat. 22. *eſt doctrina omnino ſcitu neceſſaria huiuſmodi. Vt aliquando ad cauſas deducamus illum quem conſtituimus, & eas quidem in quibus pluſculum iudicij eſt iudiciorum, atque litium (riſerit aliquis fortaſſe hoc præceptum, eſt enim non tam acutum, quàm neceſſarium; magiſque monitoris non fatui, quàm eruditi magiſtri) hoc ei primum præcipimus, quaſcunque cauſas erit acturus, vt eas diligenter penituſque cognoſcat.* Et paullo poſt. *Ita nonnulli dum operam ſuam multò æſtimari volunt, vt toto foro volitare, & à cauſa ad cauſam ire videantur, cauſas dicunt incognitas: in quo eſt illa quidem magna offenſio, vel negligentia ſuſceptis rebus, vel perfidia receptis: ſed etiam illa maior opinione mea, quod nemo poteſt de ea re quam non nouit, non turpiſſime dicere: ita dum inertiæ vituperationem, quæ maior eſt contemnunt, aſſequuntur etiam illam, quàm magis ipſi fugiunt, tarditatis. Equidem ſoleo dare operam, vt de ſua quiſque re me ipſe doceat, & vt ne quis alius adſit, quo liberius loquatur, & agere aduerſarij cauſam; vt ille agat ſuam: & quicquid de re ſua cogitarit in medium proferat. Itaque cum ille deceſſit tres perſonas vnus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, aduerſarij, iudicis: qui locus eſt talis, vt plus habeat adiumenti, quàm incommodi, hunc iudico eſſe dicendum, vbi plus mali, quàm boni reperio, id totum ad iudico, atque reijcio. Itaque aſſequor vt alio tempore cogitem quid dicam, & alio dicam.* Permulta alia huiuſmodi ſunt apud *Quintil. inſtit. orat. lib. 12. cap.* 8 qui his inter cætera vtitur. *Cum ſatis Aduocatus in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rurſus ei perſonam tranſeundum eſt, agenduſque aduerſarius, proponendum quicquid omnino excogitari contra poteſt. Quicquid recipit in eiuſmodi diſceptatione natura, interrogandus quàm infeſtiſſime, ac premendus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad verum, vbi minime expectauimus, peruenimus. In ſumma optimus eſt in dicendo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, teſtem, populum, paratiſſimas conſignationes, ipſum denique aduerſarium quædam non negaturum. Ideoque opus eſt intueri omne litis inſtrumentum, quod videre non eſt ſatis, perlegendum erit. Nam frequentiſſime aut non ſunt omnino quæ promittebantur, aut minus continent, aut cum alio aliquo nocituro permiſta ſunt, aut nimia ſunt, & fidem hoc ipſo detractura &c.* Rurſus. *Sic cauſam perſcrutatus, propoſitis ante oculos omnibus quæ proſint, noceantuè, tertiam deinceps perſonam induat iudicis, fingatque apud ſe agi cauſam, & quod ipſum mouiſſet de eadem re pronunciaturum, id potentiſſimum apud quemcunque agetur, exiſtimet: & ſic eum rarò fallet euentus, aut culpa iudicis erit.*

Locat operas ſuas Aduocatus cliento, & vt ait *Plin in ep. cum eo contrahit, dicens ſpondeo ſollicitudini tuæ, magnitudini cauſæ ſuffecturum, quem ideo fallere non conuenit*, vt habetur in *l. rem non nouam §. patroni C. de iud.* ibi, *quod cum omni quidem virtute ſua, omnique ope, quod verum & iuſtum exiſtimauerint, clientibus ſuis inferre procurent, nihil ſtudij relinquentes quod ſibi poſſibile ſit.*

Octauò, caueant Aduocati, ne quid coram Se- 118
natu præiudiciale parti fateantur, cum illud non reuocari poſſet. *l. 1. C. de error. aduoc.*, & multis probat *D. Alex. Raud. in tract. de Analogis cap. 15. num. 360.*, & adeſt alius *text. in l. cum pretium C. de lib. cauſa*, idem ſenſerunt *Abb. in cap. examinata per illum text. notab. 4. de iud. capit. deciſ. 71. num. 1., & Rol. conſ. 71. lib. 1.*

Nonò, obſeruent illud *Caſſiod.* orent cauſas 119
patroni, iurique dicendi periti, nihil autem aſtute, nihil dolo agant, ſed omnia verè loquantur; ſitque in illis mendacium non impunitum (quamuis, vt ait *Quintil. Declam* 10. multum me vel vos fallit opinio iudices, ſi vllam cauſam ita euidenter deferri in forum putatis poſſe, cui nulla mendacij velamenta contingant) improbi enim hominis eſt, ait *Cic. in Orat.* pro Murena, mendacio quemquam fallere; neque decet probum virum clientis ſui cauſam falſitate aliqua adiuuare. *c. quanto, de his quæ fiunt à prælat. ſine conſenſu cap. Specul. tit. de Aduoc §. vtriuſque*; Improbat etiam *Acurſius in l. quod ſi nolit §. ſi mancipia ff. de ædil. edict.* qui peſſimas cauſas facie honeſtatis induunt; ſic & Papinianus in *l. falſi nominis §. 1. ff. ad l. Corneliam de falſ.* dum indicat, Aduocatum, qui falſum inſtrumentum cognoſcente Præſide recitauerat, ordine decurionum decem annis motum fuiſſe. Præterea quid funeſtum magis, quàm parietes delinire coloribus, quibus malè poſitum corruptumque, & proxime collapſurum nitidum reddatur ædificium; memores ſint *text. in l. Aduocati C. de*
*Aduoc. diu. iud.* Teneant & illud Ciceronis, qui 120
ait, ſe non intelligere, cur qui ſententiam pecunia corrumpit, pœna dignus ſit: qui vero eloquentiæ laudem ferat, cum tamen cauſarum præuaricatores. *l. 1., & 3. de præuar.* vendant iuſtitiæ patrocinium, & optimum inter mortales defendendi deſerant officium.

Contra hos inuehit *S. Bernardus de conſident. lib. 1. & Ammian. Marcell. lib. 30. cap. 6.* omnino videndus, & *cap. 7.*, & *D. Ambroſ. in ſerm.* ſic ait. *Iuſtè Aduocato dicitur, Redde quod accepiſti, quoniam contra veritatem feciſti, iniquitati adfuiſti, iudicem feſelliſti, iuſtum oppreſsiſti, de falſitate viciſti.* D. Gregor. ſuper Ezech. *Iuſtus aduocatus à nullo iniuſtas cauſas accipit, nec verba dare pro iuſtitia ſuſtinet.* Talem fuiſſe M. Brutum teſtatus eſt *Plut. in eius vita*, inquiens, [ Fertur Cæſarem cum primùm Brutum orantem audiret, ad amicum conuerſum dixiſſe. Adoleſcens iſte quid velit ignoro; quod enim vult, nimis vult. Eius enim grauitas, quæ non facile, immo nequaquam ob gratiam flectebatur, ſed ex habitu rationis tendebat ad bonum, valido, atque efficaci impetu ferebatur. Ad iniuſtas enim partes fuit inexorabilis; eorumque modeſtiam, ſiue turpe ſilentium, qui ſine rubore iniuſta rogant apud magnum virum acriter improbans, dicere ſolitus erat. Quod qui nihil negare audent, ſibi videntur malè ſuum tempus inſtituiſſe. ] *Petrus Bleſenſis ep. 26.* errores multos Aduocatorum adducit, relatus a *Ian. Langlæo lib. 1. ſem. c. 1. in prin.* alios fuſius *Ammian. Marcell. d. lib. 30. cap. 5., & 6. P. Cornelius Breder.*

*in præfat. lib. 3. cautel.* De laudibus vero Aduocatorum *tex. est in l. laudabile C. de adu. diu. iud.* vbi *Albericus Specul. in tit. de Aduoc. Ias. in rub. de procur. Cassan. in catal. glor. mun. p. 7. consid. 28. & quatuor sequen Guliel. Rouill. in tract. de inst. & iur. lib. 3 cap 5. & Cagnol. in l. 2. ff. de orig. iur. num 2. & plur. seq.*

121 Decimò, Aduocatus debet esse vir subtilis, dispositus, acer, disertus, dicat eloquentissimè, eique insit maximum orationis ministerium; insigniter, non plus in precibus, quàm in defensione temporis consumat: sit vir egregius, & pro veritate firmissimus; iniuncta aduocatione diligenter, fortiterque fungatur. Hæc ex *Plin epist. potissimum 9. lib. 1.* vbi etiam ait. *Disputat subtiliter, grauiter, ornatè, sermo fit copiosus, narius, dulcis in primis, & qui repugnantes quoque ducat, impellat. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, dimissus capillus, ingens, & cana barba, quæ licet fortuita, & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis adquirunt. Nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum seueritatis, reuerearis, occursum non reformides. Vita sanctitas summa, comitas par, insectatur vitia non homines.* Item ep. 15. *eod lib. Audiui causas agentem acriter, & ardenter, nec minus politè & ornatè, siue meditata, siue subita proferret. Adsunt apta crebraq; sententiæ, grauis & decora constructio, sonantia verba, & antiqua.* Rursus ep. 13. *lib. 3. inuenire præclare, enuntiare magnificè etiam barbari solent: disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis negatum est. Hæc vero affectanda sunt semper clara & excelsa. Nam vt in pictura lumen, ita orationem tam submittere, quàm attollere decet.* Iterum *ep. 14. lib. 2. Sit audax, sed non dicat irreuerenter, & temerè. Item aliud auditores, aliud indices exigunt, ideo cum res coram iudicibus agitatur est eis inseruiendum.* Item ep. 11. eiusdem libri. *Erutius Clarus, vir sanctus, antiquus, disertus, atque in agendis causis exercitus, quas summa fide, pari constantia, nec verecundia minore defendit. Item, nihil est quod non arte, curaque si non potest vinci, mitigetur.* Item ep. 11. lib. 6. *O diem lætum, aditus in consilium à Præfecto vrbis, audij ex diuerso agentes summa spei, summa indol is iuuenes Fuscum Salinatorem, & Tumidum Quadratum, egregium par, nec modò temporibus nostris, sed liberis ipsis ornamento futurum, mira vtrique probitas, constantia salua, decorus habitus, os latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, iudicium æquale.* Plura alia possem ego ex ipsomet Plinio rectè quidem adducere, quia de se ipso ep 8. *lib. 5.* ait. *Vndeuicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi, sed alijs etiam scriptoribus aliquis locus est tribuendus*, Platoni primò, qui de Socrate hæc scribit. *Grauis, & sapiens habebatur, quia sermo eius cum comitate grauitas, terrore iucunditas, ac salibus austeritas mixtus* Idem ait *Plut. de Catone Censorino 16. & in Lycurgo 14.* Docebat citi oratione, quæ grauitatem haberet iucunditati admistam, ac sententiæ plurimum breui sermone complecterentur, *idem in Tiberio, & Gracco 3. Tiberius igitur vultu, & aspectu & motu corporis mitis, atque placidus erat. Caius autem vehemens, & ingentis spiritus. Itaque Tiberius locum, in quo ascendens constiterat, honestè, decoreque seruabat. Caius primus Romanorum per pulpitum ambulasse, & togam ab humeris dissoluisse dicitur: vt de Cleone Atheniensi scribunt, primum concionatorem resedisse inuolucrum pallij, & coxam percussisse*, & paulo infra. *Oratio præterea in Tiberio dilucida, & plenè elaborata, in Caio efficax, & redundans.* Rursus 13. *Nam Tiberij facundia, quæ malam etiam causam sustinere potuisset, tunc instans, honestamque dicendi materiam nacta, superior, inexpugnabilisque euadebat.* Idem Plut. in Alcibiade 23. postquam eum fuisse vehementissimum oratorem ex Demosthenis, & Theophrasti sententia docuit sic loquitur. *Erat autem Alcibiades optimus non modo rerum inuentor, quæ causæ suæ conferrent; sed eorum etiam verborum fabricator, atque magister, quæ cum ipsis sententijs conuenirent, & ad persuadendum accommodata viderentur. Interdum vero non succedente verborum copia, vt res exigere videbatur; reassumere ea, quæ antea dixerat consueuit, vt sine vlla intermissione integra oratio sequeretur.* Idem in Alcibiade 3. *Addunt præterea quandam ei in dicendo affuisse balbutiem, quæ voci illius splendorem, & sermoni gratiam afferre videbatur. Apul. de Dog. Plat. lib. 3. in princ.* Oratoris excellentis partes describens, sic ait. *Lata angustè, angusta latè, vulgata decenter, noua vsitate, vsitata nouè proferre, extenuare magna, maxima è minimis posse efficere, aliaque id genus plurima. Lucianus in dialogo*, cuius est titulus Iuppiter tragœdus, arguit eos, qui dicendo præ imbecillitate corrumpunt pleraque omnia non planum facientes quid sibi velint, sed ænigmatum inuolucris omnia obscurantes. *Plin. iterum ep. 20. lib. 5. Respondit mihi Fronteius magnus vnus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus*, & paulo infra. *Postero die dixit pro Vareno Homulus callidè, acriter, cultè, contra Negrinus pressè, grauiter ornatè*, item ep. 29. lib. 6. *Video etiam multos paruo ingenio, litteris nullis, vt benè agerent, agendo consequutos.* Ciceronis hac in re præcepta ne longior sim ommitto. Illud tantùm adducemus, quod ipse *lib. de offic. 11.* in hæc verba scriptum reliquit; *in beneficijs collocandis more hominum, non fortunam sequi, honesta oratio est. Sed quis est tandem, qui inopis, & optimi viri causa non anteponat in opera danda causam fortunati, & potentis? à quo enim expeditior, & celerior remuneratio fore videtur, in eum ferè voluntas nostra propensior. Sed animaduertendum est diligentius, quæ natura rerum sit, nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certè potest, & quæ sequuntur.* Aduocationis optimè gestæ, optimos esse 122
fructus, pluribus docet *Cassiod. variar. lib. 8. ep. 19.* loquens de Felice V. I. Quæstori in hunc modum. *Sed quia prudenti viro non sufficit generaliter conclusa laudatio, eius nota, propriaque tangamus. Quæstorem nostrum P. C. cognoscite, eloquentia prius exercitata placuisse, & aduocationis suæ sic assiduè crebras egisse victorias, vt merito sibi eum electio triumphalis asciueris*, & paulo post. *Ad forense gymnasium prima ætate deductus, studuit semper integritati mentis, & nobilissimo pudore, castitatem corporis sub nimio labore transegit. Orator facundus, grauissimus patronus, susceptas causas suis præconijs adiuuabat, quando credi non poterat negotium improbabile, cui talis videbatur assistere.* Rursus. *Origo eius hæreditarias sibi litteras vendicauit, cuius pater ita in Mediolanensi foro resplenduit, vt & trino fructu è Tulliano cespite pullularet. Proinde quamuis sit vel inter mediocres difficillimum placendi genus, tamen aduocationis laudem inter primarios eloquentia frequenter meruit inuenire. Is contra Magnum Olymbrium stetit; is palmarij Eugenetis lingua vbertate suffecit, & illis par extitit, quos singula-*

*gulares Roma cognouit*. Iterum idem Caſſiad. ep. 12. eod. lib. 8. *Aduocationis te campus exercuit, te iudicij noſtri culmen elegit*. Ep. vero 12. *Hinc eſt, quod te litterati dogmatis ſtudia laudabiliter exequentem, pridem ad quæſturæ culmen eligimus, vt honeſti laboris tui fieret præmium dignitas litterarum. Quid enim aduocationis officio dignius, ſi per eum impendatur ornatus?* item ep. 4. lib 11. *Nam ſi aduocationis ſtudio iuſtitia claritate fulſiſtis, quid nunc prouecti ad conſilia noſtra facietis? Creſcit enim in illo meritum, cui maius datur officium. Quando iam habendus eſt in iudicij partem qui meruit aulicis Poteſtatibus aſſidere. Ornentur ergo ſubſellia, cuius ore fora tenuerunt*. Item Ep. 4. lib. 5. *Meminiſtis enim Decoratum aduocationis laboribus inſidentem, quaſi vnicuique bonorum probitate coniunxerit. Cauſis veſtris fidelis orator aſſuit, neceſſarijs rebus inſiſtens, indicantis pertrauit animum ad ſubſellia cognitorum: cui merito frequens palma contingit, quia ſapienter allegando tractauit*. Et paulò poſt. *Nimis rarum eſt P. C. ſolidam loqui, & cui multa neceſſe eſt dicere, titubantia non proferre: Hoc in Decoratum certiſſimum fuit: has & ante noſtra iudicia vos probaſtis. Qui enim tempore ſuo, eum quaſi gubernatorem litium ignorare potuit, qui cauſarum ſcopulos tranſire contendit? legibus profecto minus indiguit, qui eius ſolatia non quæſiuit*. Alia apud eundem *Ep.* 40. *lib* 5. *& Ep* 20. *lib*. 1. inter cetera autem hæc habentur. *Siquidem ſtudij forenſis eore multifarie prædicatur ingenium; nutriſti facundiam exercitatione cauſarum: expertus es, quàm ſuaues fides afferat fructus, vt etiam ipſa concilies corda regnantium. Hæc in te ſpeculator virtutum noſter ſenſus inſpexit. Iis apud nos ſuffragijs placere meruiſti, vt dignus exiſteres ad publicas cauſas, qui geſſiſti hactenus ſub integritate priuatas*. Alia eſt Domitij Afri laus apud Tacit. 4. Annal. *Afer primoribus oratorum additus diuulgato ingenio, & ſecuta adſeueratione Cæſaris, qua ſuo iure deſertum eum appellauit, mox capeſcentis accuſationibus, aut reos tutando, proſperiore eloquentia, quàm morum fama fuit; niſi quod ætas extrema multum etiam eloquentia dempſit, dum feſſa mente retinet ſilentij impatientiam*.

123 Vndecimo, imitetur Aduocatus *Plin.* hæc de ſe ipſo dicentem *ep.* 14. *lib* 5. *Quam me iuuat, quòd in cauſis agendis, non modo pactione, dono, munere, verum etiam xenijs ſemper abſtinui. Oportet quidem quæ ſunt inhoneſta, non quaſi illicita, ſed quaſi pudenda vitare. Iucundum tamen ſi prohiberi publicè videas, quod nunquam tibi ipſi permiſeris*. Cuius quidem *Plin.* opera cenſeo ego emanaſſe hac in re Sanatuſcõſultum illud, de quo ipſe *ep.* 21. *eod. l.* 5. verba facit. Nepos prætor propoſuerat breue edictum, admonebat accuſatores, admonebat reos exſecuturum ſe quæ Senatuſconſultu continerentur, ſubera edicto Senatuſconſultum hoc. OMNES QVI QVID NEGOTII HABERENT, IVRARE PRIVS QVAM AGERENT, IVBEBANTVR. NIHIL SE OB ADVOCATIONEM CVIQVAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. His enim verbis, ac mille præterea venire aduocationes, & emi vetabantur. Peractis tamen cauſis permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare. Idem quod centum auri, quod honoraria *Vlpianus in l*. 1. *ff. de var. & extraord. cogn.* tribuit in ſingulas cauſas; lata enim antea fuerat lex Cincia de donis, & muneribus teſte Tacito 11. *Annal*, item & 14. in hæc verba. *Eius opprimendi gratia repetitum credebatur S. C. pœnaq; Cincia legis aduerſus eos, qui pretio cauſas orauiſſent*. Scribit etiam *Plut. de Cicerone*, eidem vim opum paruam fuiſſe, ſed ſumptibus ſuis ſatis concinnam, cumq; admirationi fuiſſe habitum, quod neque mercedes, neque nummorum quidquam in actionibus forenſibus caperet, tum maxime, cùm Siculorum cauſam egit in Verrem. Videnda ſunt quæ Tacit. contra Aduocat. perfidiam ſcribit *lib. Annal.* 11 & fuſius per *Ammian. Marcell. d. lib* 30. *cap.* 5. *&* 6. *Caput eſt etiam in omni procuratione negocij, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpitio*, inquit *Cic. de off.* 2.

Hac noſtra Conſtitutione infra *tit. de pœn.* prohibitum eſt clienti, & patrono facere pacta de quota litis, quam nos explicamus infra §. 2. *p.* 2. *cap.* 37. Et in *tit. de Aduoc. miſerab. perſon.* cautum eſt, vt Aduocati pauperibus patrocinium præſtare teneantur. Pauperes ergo ſuis opibus foueant, eorumq; clientelam gratuito ſuſcipiant, exemplo Aquilæ, quæ non ſanguinem minutorum epotat animalium. Et licet *Plin. ep.* 3. *lib.* 2. dicat. *Nos qui in foro, verisq; litibus terimur multum malitiæ, quamuis nolentes dediſcimus, illis tamen non vti debemus. Columella lib.* 1. *de Re Ruſt.* damnat caninam facundiam, quæ à maioribus neglecta fuerat, à poſteris receptam, & conceſſum in foro latrocinium, quod illud ego exiſtimo, quando Aduocatus, vel Patronus aliquis ſuſcepta mercede aliqua pro conſultatione facienda, nihil præſtat, clientulo autem ſcripturas tantùm reddit.

Amicorum vel affinium ratio nulla habenda eſt, vt nos a vera iuſtaq; defenſione auertere poſſit, iuxta *l. rem non nouam §. patroni C. de iud.* Sed Phocionem imitari debet Aduocatus, qui à Charide in ius vocato ob malè adminiſtratam Harpalianæ, cuius erat tutor pecuniam requiſitus, vt ſuæ cauſæ patronus adeſſet, dixit, *Ego te honeſtis tantùm in rebus generum mihi adſciui. Dicebat etiam M. Brutus arcendos eſſe eos, qui ſine rubore iniuſta rogarent, ac eos, qui nihil negare auderent, ſibi videri, malè ſuum tempus inſtituiſſe*. Hinc illud *Seneca lib. de Ira* 2. Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores aduocatos habent. Scriptum eſt etiam apud Spartianum in Caracalla, Papinianum. I. C. Imperatori Baſſiano fidem, ac patrocinium illius imploranti reſpondiſſe. Perpetrari a te parricidium potuit, excuſari à me non poteſt Verba *d.* §. *patroni*, hæc ferè ſunt. Non autem credita ſibi cauſa cognita, quod improba ſit, vel penitus deſperata, & ex mendacibus allegationibus compoſita ipſi ſcientes, prudenteſq; cum mala conſcientia patrocinabuntur. Sed ſi certamine præcedente aliquid tale ſibi cognitum fuerit, à cauſa recedent, ab huiuſmodi communione ſe penitus ſeparantes. *Quintilianus Inſtit. orat. lib.* 12. *cap.* 1. inquit. *Bonus vir non niſi bonas cauſas agit*, & *lib. eod. cap* 7. dicit, *Neque vero pudor obſtet, quominus ſuſceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter eliciendum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam, & in hoc maximum, ſi æqui iudices ſumus, beneficium eſt, vt non fallamus vana ſpe litigantem: neque eſt dignus opera patroni, qui non vtitur conſilio*.

Si tempus non ſuppetat cauſæ cognitioni, quærat Aduocatus obtinere dilationem ex his, quæ hic *cap.* 18. illi enim danda eſt, cum neceſſitas ſuggerit, 124

rit, iuxta notata in *l. quisquis C. de postul. & in l. properandum § illo procul dubio C. de iud.* Sic etiam nos docet *Plut. in Cicer. 19.* his verbis. *Cum igitur Manlius ad dicendam causam legitimum tempus exposceret, eam vnicam diem, qua administrationi suæ superat Cicero præstitit: quapropter cum id grauissimum plebi esset* (nam mos erat Prætorū reis nō pauciores decem diebus dare) *Tribuni apud se se obnoxium Ciceronem citant.* Exemplum aliud habes à *Plin. Ep. 17. lib. 1.* Suetonio Tranquillo scripta. Item *Epist. 31. lib 6.* Indulserat tamen petentibus dilationem, cuius tempore exacto consederat auditurus, clarius vero *Ep. 85. lib. 10. Postulauitque vt cognoscerem pro tribunali, quod cum ego protinus facturum, dilaturumq; profectionem dixissem, vt longiorem diem ad instruendum causam darem, vtque in aliam Ciuitatem cognoscerem petiit. Ego me audituram Niceæ respondi. Vbi cum sedissem cogniturus, idem Eumolpus tamquam adhuc parum instructus dilatione petere cœpit.* Contra Dion vt audiretur exigere. *Dicta sunt vtrinque multa, etiam de causa, ego cum dandam dilationem, & consulendum existimarem in re ad exemplum pertinenti, dixi vtrique parti, vt postulationum suarum libellos darent &c.* Sic & *Cicero Ep. ad Attic. 13.* Iudicia enim non sunt præcipitanda, sed maturè consideranda audiendo Aduocatos, & sæpè etiam si opus est, teste *Cagnol* qui plures citat in *l. 2. num. 178. de orig. iur. Ceph. cons. 77. num 59 & seq. ac Franc. Personal. q 17 num 3* Diximus petendam dilationem cum opus sit, & causa id exigat, alias secus ne iustè obturbator appelletur, vt *Pedianus ait in Verr. 1.* Obseruatores enim antiqui vocabant, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & se denuo compararent ad dicendum; facit *tex. in d. l. quisquis C. de postul.*

125 Duodecimo Vlpiani sententia in decernendis Aduocatorum audientijs sequenda erit; is enim in *l. nec quicquam § vbi decretum*, & in *§. obseruare*, sic ait. [ Obseruare itaque eum oportet, vt sit ordo aliquis postulationum: scilicet, vt omnium desideria audiantur: ne forte dum honori postulantium datur, vel improbitati creditur, mediocres desideria sua non proferunt; qui aut omnino non adhibuerunt, aut minus frequentes, neque in aliqua dignitate positos sibi Aduocatos prospexerunt. Item. Circa Aduocatum patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur: nec adeo dissimulare, si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat: eosque solos pati postulare, quibus per edictum eis postulare permittitur. ]

126 Propterea legimus plerumque Aduocatos per iudices datos, vt ex *Plin ep 9. lib. 3* ibi, *memini tamen me Aduocatum ex iudicibus datum.* Et *ep. 33. lib. 7. cui sumus Aduocati à Senatu dati*, item *ep 29. lib. 6. egi enim quasdam à Senatu iussus.* Pro tenuioribus enim, & humilioris fortunæ hominibus cum plerique patrocinium refugiunt, vel quia valentiores nacti sunt aduersarios, illis succurrendum est per Senatum potissimum, ne viliores à potentioribus opprimantur, vt Prætor se facturum polliciter in *l. 1. §. ait prætor ff. de postul.* & in *l. nec quicquam §. fin. ff. de off procons. & leg.* Sic etiam Cicero pro Murena, dum ait, *nemini vnquam infimo maiores nostri patronum deesse voluerunt.*

127 De numero patronorum antiquitus, & quibus horis facultas orandi eis fuerit concessa habetur a *Tacito in dialogo de oratoribus*, his verbis. [ Transeo ad formam, & consuetudinem veterum iudiciorum. Nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur; & liberæ comperendinationes erant: & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus neque dierum, neque patronorum cauebatur. ] Huic tamen dicto Cicero in Bruto aduersari videtur his verbis. [ Lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem noui veniebamus quotidie. ] Et *Plut. in Catone Vticensi 73.* Catoni autem contradicere volenti vix tempus duarum horarum ad dicendum concessum est: qui cum multa dicendo, ac præmittendo tempus consumpsisset; non permiserunt, vt amplius loqueretur. Sed minister eum adhuc dicentem, & in suggestu stantem arripuit. Verum idem *Cicero ad Att ep. 47 lib. 13.* ait: post bella ciuilia, neglecta Lege Pompeia peruentum ad duodecim patronos. Itaque de illo tempore Tacitum loqui dicendum est, cum ei licentiæ modum à Cicerone dictatore impositum fuisse Pedianus significet. *Plin. etiam ep 11. lib. 2.* cum Tacito conuenit, inquiens, [ Dixi horis penè quinque, nam xij. clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Item Cæsar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere sollicitudinem) præstitit; vt libertum meum post me stantem sæpius admoneret, voci, lateriq; consulerem, cum me vehementius putarem intendi, quam gracilitas mea perpeti posset. ] Item *ep. 9. lib. 4.* Egeram horis tribus, & dimidia, supererat sesqui hora. Nam cùm è lege accusator sex horas, nouem reus accepisset, ita diuiserat tempora reus inter me, & eum: qui dicturus post me erat; vt ego quinque horis, ille reliquis vteretur. Item etiam *ep. 16. lib. 4.* Et quidem horis septem, nam tandiu dixi magno cum labore, sed maiore cum fructu. *Alex. item ab Alex. genial. dier. lib. 4. cap. 11.* inquit, [ In foro autem lege cauebant, vt sex horæ accusatori, reo verò darentur nouem, ne paucioribus clepsydris tempore præscripto præcipitarent causas. Ex quibus nonnulli ne orationes præmeditatas memoriæ mandarent, nimiumq; in eo tempus absumerent, descriptas lectiones è libello lectitarunt. Posteà Cn. Pompeius quasi frenos eloquentiæ dedit, ex quo tempore intra paucissimas, neque vltra tres horas perorare cogebantur. Nam duæ horæ accusatori, tres reo dabantur: vnaq; die ab accusatore, & reo perorari iussum: quia multi data opera in serum rem trahebant, tempusq; diffundebant, rebus non definitis. Si tamen aliquorum opinioni assentiri vellent, poterant etiam sedentes illi opinioni, cui iussum erat studio, & voluntate accedere. ]

In Senatu autem Mediolanensi duo tantùm pro vtraque parte patroni admittuntur alternis vicibus causam dicturi. Primus est Aduocatus actoris, cui primus rei respondet, mox illi alter actoris; & postremo alter rei quarto loco dicit, hunc ordinem seruandum esse, dixit *Maran. de ord. iud. in proem num 11.*

Eisque intra tempus tantummodo præfinitum orare licet, vt supra *vers. Quintò*, Aduocato prolixitas damnatur, vt ait *Bar. in auth. principales §. fin. C. de iur. iur. post calum.* & vbi extra causam præpostere, vel intempestiuè dicant, eisdem silentium imponitur. Quod etiam seruatum priscis illis tempori-

poribus docet *Plin.* dum Senatus increparit seuera oratione Licinium, quia præpostera, & intempestiua loquutus erat, laudarit vero Plinium, & Tacitum iniuncta aduocatione diligenter, fortiterq; functos.

Duo pro vtraque parte eliguntur, quia plus vident oculi, item quia magis assidui ad commune prælium æmulatione quadam, & ardore victoriæ accedunt, quemadmodum equi coniugati, qui celerius, quàm seorsim impulsi currunt; non tam, quod percussi verâ violentia, & impetu scindunt; quàm quod ea mutua concertatio, ac de victoria contentio maiores eis animos incendit.

128 Decimotertio, & vltimo. Aduocatus affinis relatori non est in Senatu admittendus ex ordinibus anni 1580. & decreto Regio anni 1604. 28. Maij in hæc verba. *Y porque las causas se deuen tratar sin sospecha alguna de los juezes, lo qual no podria azer quando el auogado tuuisse parentesco con el juez, y desto se han visto muchos inconuenientes, ordeno y mando, que ningun hijo, ò padre suegro, yerno, hermano, ò sobrino pueda ser auogado ni consultor de ninguna causa publica, ò secretamente, en que sea juez el padre, e el hijo, suegro, yerno, hermano, ò tio, y que assi tanpoco puedan ningun official mayor ni minor juzgar, ni votar en causa, en la qual sea auogado, ò aya consultado alguno de los sobredichos respetiuamente.* Hoc quidem, vt iudicia ex omni parte libera sint, nimirùm actoris, rei, & iudicis. Siquidem apud Areopagitas oratoribus, neque licebat affectus mouere, quibus iudicum à veritatis luce sæpenumero abducuntur, vt per *Bud. ad l. vlt. de Senat. pag. mihi* 128. quod ex *Plut. in Hyperide, & Atheneo lib* 13. *cap.* 22. sancitum fuisse dignoscitur, quando iudices lachrymis, & eximia pulchritudine Hypperidis commotti eam liberam dimiserunt, sanxeruntq; ne quisquam, dum pro alio diceret, lachrymis, & commiserationibus vteretur, & qui iudicarent, ne oculos in reum, reamvè conijcerent. Hinc *Quintil. lib* 6. vbi de epilogo refert verba Luciani in Anachar. de Areopago talia profert. *Quid si quis in auspicanda oratione proemium ad conciliandos eorum animos, aut commiserationem exaggerationemvè extrinsecus ductam agenda causa accommodasse, qualia multa machinamenta oratorum natio capiendis iudicum animis comminisci solet, extemplo praeco prodiens tacere eum iubebat, non vltra sinens inaniter verba fundere, verborumque inuolucris qua de re agitur, implicare, vt nuda, apertaq; facta ipsa cernere Areopagita possent.* Idem etiam habetur apud Cicer. in Bruto. Iterum Lucian. in dialogo de gymnasijs. *Ingressi Areopagum, vt de cade, de vulnere, de incendio, à prudentibus admisso dijudicent, in primis consessum eunt; deinde reis fit copia dicendi, hi dicunt alternis vicibus, qui controuersiam monet, & ciuilis actio intenditur: aut per se, inquam, in iudicio dicunt, aut opera aduocatorum. Porro quandiu nihil adferunt in dicendo, quod non pertineat ad id negotium, de quo agitur, tandiu Senatus patienter audit, quod si*

129 *quis præmeditato proemio oratio &c.* Præstat sanè, vel ad tædium vsque dicentem de re tamen aduocatum audire patienter, quàm non benè cognitam, & perspectam rem siue litem inique transigere.

Huic audientia notam nonnulli tribuunt hanc,

130 si Senatores quandoque Collegis, Fiscalibus, Iudicibusve referentibus, aut cum arduas iuris, & difficiles quæstiones Aduocati proponunt, mutuis colloquijs abutantur, vt quia in res alienas intenti sint. Sed si eos colloqui opportunè de ijs rebus, quæ ad eius rei propositæ faciliorem cognitionem pertinent, viderimus, id vitio tribuendum non erit, si parcè fiat, & grauiter, vt nec ita facientes sibi ipsis, aut alijs obstrepent Senatores, vbi ad colloquendum ea momenta obseruent, quæ sæpè, dum causæ audiuntur, incidere solent, in quibus etiam si nihil à relatione animus deflectatur, alteri licebit ab altero aliquid ad rem faciens breuiter sciscitari; poterunt enim & ij, quàm alij animis adesse; quandoquidem mirandum non sit, si qui meminerint eam esse vim, ac humani animi celeritatem, vt non modo audire simul, & loqui homines possint, sed etiam eodem tempore, & audiant, quæ dicantur, & dicenda prospiciant, & iam dicta retineant.

Pro quibus, & contra quos patrocinium, & aduocationem suscipere quis possit, & debeat *Ian Langlaus d. c.* 1. *semestr. lib.* 1.

## CAPVT VI.

*Qui dies Audientia assignati.*

ORdo Regius anni 1500. sic loquitur. *D. Cancellarius, & Senatores ter in hebdomada, videlicet die Luna, die Mercurij, & die Veneris audiant quoscunque volentes, & petentes audiri, & si festum incidat in die audientia, transferatur Audientia ad diem sequentem de sero.* Et paullo infra. *Sedebit Senatus in publica Audientia semel in hebdomada in die Mercurij &c.* Sed institutum hoc nonnihil immutatum; siquidem dies ad audiendos publicè Aduocatos constituti sunt Lunæ, & Veneris, nimirum ad Audientias, quas ordinarias dicimus, dies verò Mercurij ad extraordinarias; Ceteri vero dies rerum Capitalium relationi patent. Sed & is ordo facilè peruertitur, ex causa tamen, & iussu Præsidis. Expedit etiam quandoque, antiquiori recentiorem causam præferre; vt ait *glos. in c. in primis* 2. *q.* 1. *Rom. in l. si vero §. de viro fallent.* 25. *num.* 48. *ff. solut. matrim. Rebuff. de sent. prouis. art.* 3. *glos. vlt. vers. Tertio quia. Iser. & Afflic. in Constit. Rub. de quib. cau. prim. cogn. lib.* 1. Accidere quoque possunt impedimenta, quibus præmissus ordo perturbatur, quod Neapoli accidere refert *Tapia de iur. Regn. lib.* 5. *pag.* 14. *in fine, & pag.* 38. *in vers. Le deste cause.* Præterea Senatus præmissa consuetudo non legis, sed regulæ cuiusdam pro faciliori causarum expeditione vim obtinet, vt quibus diebus publicè, vt iam dictum est, audiuntur causæ, Iudices criminalium ad Senatum non accedant; quia cum statuta condere, vel consuetudinem inducere sit Iurisdictionis. *Bar. in l. omnes populi num.* 3. *ff. de iust. & iur. & in l. de quibus num.* 11. *ff. de legib.* & nemo in se ipsum habeat iurisdictionem, non mirum est si Senatus eam legem sibi ipsi non dicat, à qua recedere non possit. Illi autem maxima cura est, ne confundantur negotia, vt sicut causæ vnæ ab alijs distinguuntur, ita distincti dies harum, & illarum deffinitionum præscribantur. At non adeo præcisè, quin iusta impellente ratione, vel etiam necessitate ita cogente possit, & debeat omissis ciuilibus, & prout varij rerum protulerint euentus per- 131

tractare

tractare criminales, & ijs suspensis incumbere ciuilibus. Legi enim quantumuis præcisæ temperamentum semper inest, nisi iusta superueniat causa, vt de nouo emergentibus, nouo succurratur remedio, teste *Bal. in l. clari viris C. de fideicom.* Ergo & fortius simplici consuetudini illud inerit.

## CAPVT VII.

*Facti species inter partes probanda, conciliandaque.*

PArtibus comparentibus, ex allegato ordine anni 1500. non admittebantur aduocati, nisi
132 ad proponendum factum, vel respondendum in facto, si tunc præsens erat pars, vel eius legitimus procurator. Causa vero delegata Senatori, si partes in facto concordarent, ita vt difficultas in iure duntaxat consisteret; audiebantur aduocati in iure: aut si partes in facto discordes essent, datis dilationibus vtrique parti, factum ipsum primò referre tenebatur Auditor, siue Relator in Senatu succintè cum statu causæ, deinde acta, & attestationes à capite vsque ad finem, nisi quædam essent non necessaria, vel per se nota, aut superflua, quæ poterant arbitrio Senatus omitti. Nunc vero vsu receptum fuit, vt inter partes ipsas facti species concilietur ab eisque subscriptione probetur. Veritas enim iuris, inquit *Bal. in cons.* 247. Proponitur
133 quod *Ioannes lib. 2. in princ.* oritur à veritate facti, id quod probat *l. ea natura ff. de reg. iur.* Atque ideo quærendum sit prius de facto, quàm de iure, *vulg. l. ex plagis §. in cliuo ff ad l. Aquil.* nam si factum incertum sit, ipsius causa non poterit certo iure terminari, secundum *Bellam. in cons* 48. *num.* 15. *vers. quod primum, & Bertaz.* post multos in *cons. ciuil.* 83. *num.* 54. Quinimmo ex modica facti mutatione totum ius mutari tenent omnes, & scripserunt *Feder. de Senis in cons.* 152. *in princ Bellam. cons.* 5. *in princ. Alciat. in l re coniuncti in princ. de leg.* 3. *Port. Imol. cons.* 168. *num.* 12. *Rimin. in cons.* 251. *num.* 74. etiam si mutatio fit in vnico puncto, vel virgula teste *Bar. & Bal. in l. cum duobus §. si coeunda ff. pro soc.* Hinc dixit merito *Tessaur. decis.* 33. *in fine*, cauere debere Senatores, ne dubiadent in facto, allegatque *not. in l. 1. C. vt quæ desi. aduoc.*

Facti autem species secundum veritatem est pro-
134 ponenda *Bal. cons.* 241. *in fine lib.* 1. *& cons.* 292. *circa finem lib.* 2., & probatur ex actis, vel scripturis, per ea, quæ *not. in c. quoniam contra de prob.*, & scribit *Decian. in Apol. cap.* 21. *num.* 37. *&* 38. (hæc enim, & oculis cerni, & manu tangi possunt) vel ex partium assertione, & consensu.

Formatur vero narratio facti breuis, & clara, si ea tantùm, quæ ipsam facti seriem concernunt, contineat; ijs omnibus omissis, quæ extra rem sunt, vel ius respiciunt. Clarum est enim ius a facto separari, & quæstionem facti eam esse, cum ambigitur factum, an aliquid sit, vel non sit, quod *Alphenus in d. §. in cliuo*, in causa ius positum esse dixerit, hoc est ex facto ipso ius pendere. Propterea quicquid facti specie obesse dignoscitur, reijciendum erit, nec superfluis dicterijs locus est relinquendus.

Noui ego quosdam, qui longa adeo verborum farragine ipsam facti seriem conscribunt; vt nisi petitiones, exceptiones, replicationes, ac contrareplicationes, cætera denique acta de verbo ad verbum in ea referant, & adnotent, non modicum de iure clientis sui condonare credant. Sed illud sanè est potius veritatem ipsam facti, quæ in paucis consistit, magna verborum congerie subuertere, aut inuertere, quam apertius, & clarius factum ipsum explicare. Qui enim Relator est (quia illud factum, vel voce, vel de scripto referre in pleno Senatu tenetur) longam hanc cantilenam referendo lassatur, itaut quandoque vox illi deficiat, & aures cæterorum Senatorum obtundat. Vt plurimum autem hisce difficultatibus occurrere solet Relator, & hos cauillos præcidit rem ex actis, & processu breuibus ipse conscribens, aut eam partibus ipsis præsentibus adeo claram in Senatu referens, vt nullo modo cauillari queat. Acta enim, & scripturæ facti seriem veram, atque qualitatem causæ, vt dicebamus manifestè ostendunt: quæ ideo nec assertione sola, nec contentione alicuius partis immutari potest. Qui vero prouinciam hanc componendi facti seriem effugit, eamque cancellario suo demandat, in præcitatam syllam facile incidit. Præter id, quod plurimum cognitioni causæ confert, si sua ipsius Relator opera, non autem cancellarij factum comprobetur. Perperam agere iudices testium audientiam notarijs committentes, cum hoc sit proprium assessoris officium *l. 1. ff. de off. assess., & c. 1. de consang., & affin.* Firmat *Luc. de Penna in l. 2. num. 7. de iur. fisci.* Quippè diligentius faciat singula, quam tabellio, vt habet in *c. Abbate de verb. sign.* Iudici enim ostendi debent cuncta instrumenta *l. fin. C. de edic. D. Adr. toll.* coram quo etiam est omnis probatio facienda *l. 2. ff. ex quib. caus. mai. c. cos de testib. l. 1. de and. ob turp. caus. quinquaginta in fine ff. de prob. c. inter cæteras de rescrip. c. damus de fals.* ibi, *apud iudicem proferatur scriptura*, qui etiam debet cuncta partium iura diligenter rimari *c. iudicantem* 30. *q.* 5. ea potissimum ex quibus potest instrui *l. 3. §. 1. ff. de testib. cum §. seq. iuncta l. ob carmen §. vlt. eod.*

## CAPVT VIII.

*Peritos aliquando consulendos.*

PErmulta accidere solent à cognitione iudicum, 135
eorum potissimum, qui supremam obtinent auctoritatem, aliena, de quibus periti consulendi sunt: nam, & in curando morbo plus proficit expertus, quam artifex, & verè scire secundum Philos. *est rem per causam cognoscere.* Ideo peritis in arte credendum esse iura voluerunt in *l. 1. ff. de ventr. inspic. in c. proposuisti de prob.* vbi latè *Dec. in vlt. notab. in c. ex litteris de frig., & malef. in l. nemini circa med. C. de aduoc. diuers. iud. in c. significasti de homic. glos. in §. Præterea instit. de rer. diuis. Cassan. in catal. glor. mun. 2. part. consid. 9 Mars. in l. 1. §. præterea col. 20., & in l. Diuus Pius col. 3. ff. de quæst.* Peritis ergo causa præmissa demandari debet, exemplo Sceuolæ, qui etsi iuris ciuilis esset oraculum, quoties tamen de re Prætoria consulebatur, ad Iurium, & Caselium huius rei, & scientiæ

tiæ peritissimos, & ei præpositos remittebat alia exempla sunt apud *Plin. in ep. lib. 10. Cicer. pro L. Corn. Balbo, & Aul. Gell. lib. 3. cap. 6.* Idem etiam à Platone obseruatum fuisse legimus, qui dum conductores sacræ aræ ab illo consilium requirerent de modo, & forma ædificij; eos ad Euclidem Archi-tectum ire iussit, vt recenset *Curt. iun. in init. cons. 20.* alios refert *Valer. lib. 8. cap. 12.*, qui etiam *cap. 13.*, inquit, suæ quemque artis optimum, & authorem esse, & dispositorem. Optimus *tex. in l. fin. C. de iur. omn. iud. in l. si chorus §. 1. ff. de leg. 3.* Assiduus enim vsus vni rei deditus, & ingenium, & artem sæpè vincit, teste *Cicer. ead. pro L. Corn. Balbo*. Sic etiam *Plin. lib. 8. c. 16.* de Aristotele dum animalium naturas, Alexandri iussu, scire voluit.

136 Peritis autem ipsis in arte credendum erit, si secundum naturam artis, quam profitentur, loquantur; non autem si ad proprium sensum responderent, vt vult *Abb. Fel., & Dec. in c. proposuisti de prob.* peritioribus vero magis credendum erit ex *Soc. reg. 36.* in verbo peritus. *Nauar. in Manuali cap. 27. num. 288.* Si quid ergo huiusmodi occurrit, antequam causa referatur Senatus, vel Senator peritos ipsos consulere consueuit.

## CAPVT IX.

*Partes quando componendæ.*

137 Concordia ciuium salus reipub. est: quia opus iustitiæ pax. *Esa. c. 32.* cum multis relatis à *Fel. in rub. de treg. & pac.* contra vero ex lite societas humana maxime turbatur, & reipub. detrimenta afferuntur multa. *l. si quis §. in ciuilibus ff. de app.* hinc *tex. in 1. C. consti.* dixit, interesse reipub. lites citò expediri. *Dec. cons. 385. in fine* Multi enim propter lites ad egestatem deducti sunt, & propriam patriam relinquerunt, vt *in auth. de defens. ciuit. in prin. in auth. vt iud. sine quoquo suffr. §. cogitatio, & glos. instit. de his qui sunt sui vel alieni iur.* Senatus itaque, cuius munus est, vt paccata, quietaque sit prouincia quam regit. *l. congruit in prin ff. de off. præs.* niti debet vt lites modis omnibus tollantur. *Alber. in l. si super n. 1. C. de transf. Ripa in l 4. § hoc autem iudicium n. 19. ff. de dam. infec. Bero. cons. 116. num. 1. lib. 3.* id enim boni viri officium est, vt iam ostensum fuit, iuxta illud *Horat. ep. 1. ad Quint.*

*Vir bonus est quis?*
*Qui consulta patrum, qui leges, iuraque seruat,*
*Quo multa magnaque secantur iudice lites.*

debet partes ciuiliter agentes componere, vt ait *Osasc. in proem. decis. suarum sub num. 6. in fine*, vel eas ac compromittendum compellere. *Alex.*, & alij in *l. quidam existimauerunt ff. si cert. pet. Dec. cons. 415. num. 2. Franc Marc. decis. 465. num. 2. Petr. Belluga in speculo Prin. rub. 2. num. 48. & seq* po-

138 tissimum quando diu fuit litigatum, *Natta cons. 385. num. 2. 4. & seq. lib. 2.* aut lis est dubia, intricata *e placuit 90. distinct. Castrens.*, & alij in *d. l. quidam existimauerunt, vbi Ias. num. 4.* plenius *Fel in d. rub. de treg., & pac. col. 2. Afin. de execut. §. 3. cap. 134.* Cur enim ad arma rixamque procedere patietur, quos potest iurisdictione sua componere inquit Iulianus in *l. æquissimum ff. de vsufruct.* Quod seruasse sacrum consilium attestatur *Gram. decis. 9. in prin.* vbi, licet dicat, compromissum minimè fieri potuisse in Regios consiliarios tanquam arbitros, cum essent iudices ordinarij; potuisse tamen eis committi tanquam arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus dicendum est, vt voluit *Salic. in l. si quis ex consensu C. de ep. aud.*, & horum sententiam nihilominus fuisse executam; ita etiam decisum fuisse testatur *Fabr. in Cod. lib. 2. tit. 38 defin. 2.*

Salubre, & ingeniosum fuit Archidami cōsilium, qui arbiter inter duos electus, ne ambos offenderet recusato arbitrio, nec alterum è duobus alienaret, si fauore vnius iudicaret, ambos in lucum duxit, & ab eis exegit iusiurandum, vt starent arbitri iudicio, quod vbi præstitissent. *Pronuntio*, inquit, *ne hunc locum exeatis, antequam dissidij, quod inter vos est, deponatur causa, & inuicem reconciliamini, quod ab eis factum est.* Et *Ammian. Marcell.* testatur de Iuliano *lib. 21. cap. 10.* conclamante Thalatio de fratre Galli, mandasse assidenti præfecto ne audiretur eorum negotium, antequam ipse cū Thalassio rediret in gratiam, quod breui euenit.

Dicunt *Card. in c. fin. de transact. Bar. in l. illicitas §. ne potentiores num. 14. ff. de off. præs. Abb. in c. 1 de treg., & pac. Ferret in tract. de fer., & induc. num. 24. Sebast. Med. in tract. de fort. cas. p. 2. q. 4. num. 28.* pauperem litigantem cum diuite maxime ad concordiam cogendum esse. Apud *Cassiod. lib. 4. ep. 46.* hæc habentur. *Conuenit pietatem nostram petitiones supplicum salubri ordinatione disponere: quia subiectorum animi releuantur, quoties mærentium querela componitur.* Et paullo post. *Quod si ita est, remotis praiudicijs, apud arbitros, quos partium consensus elegerit, te imminente causa legibus audiatur.*

Laborem non perhorrescat Consiliarius in tractanda concordia, cum debeat subditos vt filios ac fratres suos deligere, ac tutari per *tex. in l. si quis filium C. de inoff. testam., & in c. prodest 23 q. 5.* præter id, quod vbi amor, & dilectio adest, nullus labor sentitur.

Neque subterfugiant partes a litibus recedere 139 quouismodo, quoniam D. Ambrosius, vt de eo testatur S. Paulinus in ipsius vita, sed factitasse scribit, inquiens. *Cæterum ita curauit ecclesiastica, vt externa, & secularia minime neglexerit, verum audires frequenter litigantes, causas iudicaret componeret, & æquissimus arbiter vtrisque acquiescentibus partibus, definiret. Id enim, & Deo Opt. Max. pergratum fore cognouerat, & priuatorum vtilitati maxime expedire expertus fuerat vir sanctissimus. in lib. enim de offic. cap. 1. sic docuit. De suo iure virum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primùm dispendio litis carere non mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum, quo augetur amicitia, ex qua oriuntur plurima commoditates, quæ contendenti aliquo in tempore postea fructuosa sunt. Sic & Cic. de off. 2. admonet, esse non modo liberale nonnunquam de iure suo decedere, sed interdum etiam fructuosum.* Quinimmo boni viri lites execrantur, tradit *Ias. in l. filio pater ff. de leg. 1. notab. 1.*, & melius esse pati modicum, quam intrare litium certamina voluit *Abb. in c 1. de app., & Cassiod. ep. 8 lib. 11. variarum. Nolite inardescere ad præsumptiones illicitas: amate viuere quieti: transigite semper innoxij. Quid litibus honesta confunditis? Cur facitis, quæ mox timere possitis? si quæritis lucra, vitate potius damnosa litigia.* Et *lib. 4. ep 36 in fine. Ne longa quæstio litigantium non tam augeat patrimonia, quàm euertat: & quod fit ambitu lucri, causa videatur esse dispendij.* *Vlpian.* quoque in *l. item §. 2. ff. de alien. iud. mut. caus. fac.*

ait. *Non tamen eius factum improbat prætor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim verecunda cogitatio eius, qui lites execrantur, non est vituperanda*; iterum idem *Vlpian. in l. illud § quid tamen*, si dominus tribuere nolit, nec hanc molestiam suscipere, sed peculio vel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert, audiendum eum, quæ sententia habet æquitatem.

Hinc cum intersit reipub. vt lites tollantur, secundum *Bal. in l. fratris C. de transact.* inuenta est transactio, quæ etiam prætextu enormis læsionis lites tollit; vt per *Alex. in cons. 42. col. 2. lib. 1. Abb. in c. 1. de transact.* nam cum magnum commodum consequatur qui a lite recedit, *l. Lucius § fin. ff. ad trebell. cum concord.* vt scribit *Dec. in cons. 216. col. 2.* læsio tollitur; ita vt indebitum solutum per transactionem, non repetatur. *l. in summa ff. de cond. indeb. l. 2. C. de trasanct.* Atque ideo summe laudandi sunt Senatores illi, qui in componendis partibus operam dant.

Et si compromissum fiat in aliquem, tanquam Senatorem, seruari debent iura in appellatione, vel reuisione, quæ de Senatu loquuntur. *Surd. cons. 106. num. 34.*

## CAPVT X.

*Referendi ratio.*

140 SI compositioni videat Senator locum inter partes esse non posse, vbi causam referre teneatur ex forma ordinum, eam referat, monitis tamen partibus. In ordine Regio anni 1500. hæc habentur. *Et si quæ supplicationes erunt reseruatæ referendi in Senatu, referantur primo loco, & expediantur, & postea audiantur Senatores in relationibus faciendis per eos arbitrio D. Cancellarij, vt illud negotium præferatur in expeditione, quod ipse duxerit præferendum. Verum si semel relatio alicuius processus incidenter, vel diffinitiuè fuerit cepta, non possit interrumpi, vt fiat alia relatio alterius negotij, donec illud fuerit diffinitum, nisi ex magna, & vrgentissima causa arbitrio D. Cancellarij.* Et paullo post. in § propositione, *Processu verò instructo, vel concluso, Auditores ipsi ad Senatum referant, vt illius iudicio diffiniatur. Idem etiam vbi occurrerit aliquod incidens, vel emergens magni momenti, in quo interlocutoria proferenda vim diffinitiuè saperet, vel pareret irreparabile præiudicium, illud referant pari modo ad Senatum, ne per appellationem ab ipsis Auditoribus interponendam negotium differatur, cùm ab alijs interlocutorijs per eos proferendis appellari nolumus. Causa vero commissa vt supra si partes in facto concordent; ita quod in iure tantum difficultas consistat absque alia productione, vel probatione facti, referant Auditores ipsi causam ad Senatum, monitis partibus ad allegandum in iure, verbo, vel in scriptis, prout Senatus decreuerit, & negotium terminetur.* Rursus. *Ipsi vero Auditores, seu vnus ex eis, quando sunt plures, processum vt supra ad eos delatum, cùm primum poterit, videant; & data opportunitate refe-*
141 *rant, primò factum succinctè, & statum causæ, deindè acta, & productiones, ac attestationes exhibeant legenda, seu legendas in eodem Senatu, à capite vsque ad finem, nisi quædam essent non necessaria, vel per se nota, aut superflua, quæ poterunt arbitrio Senatus omitti; & fiet nihilominus copia videndi totum processum, aut aliquam eius partem cuicunque de dicto Senatu videre volenti. Deinde omnibus visis, si causa sit dubia præfigatur terminus partibus ad comparendum cum Aduocatis, & allegandum in iure voce quicquid voluerit; Denturq; dubia iuris si quæ emerserint, super quibus responsiones audiantur &c.* Iterum idem ordo. *Item Relator ipse tenebitur secundum conclusionem faciendam per D. Cancellarium à maiori parte opinionum formare quandam notulam legendam postea in Senatu, cùm primum iterum Senatores conuenerint omnibus alijs negotijs postpositis, vt possit corrigi &c.* Nouissimus 142
adest ordo Regius anni 1581. talis. *Ordiniamo ancora, e commandiamo, che alla relatione delle cause siano chiamate le parti, & suoi procuratori, & auuocati, accioche possano ricordare quello, che nella relatione del fatto si tralasciasse, perche secondo intendiamo dal non seruarsi cotesto ordine in cotesto stato, seguono inconuenienti, & graui danni alle parti.* Hæc etiam iuris esse attestatur *Tessaur. in præfat. decis. n. 37. per glos. in auth. de testib. §. quia vero, & Cran. cons. 101.*

Veritatem ex actis perceptam refert Relator, 143
vt supra *cap. 7.* & probant *Bal. in c. duobus de sent. & re iud. facit l. nec causas C. de app.* alias si ex fide non referret falsarius esset, vt habetur in *l. Diuus ff. de cust. reor.* & in *l. 2. C. de sport.* & per *Cassiod. var. lib. 6. cap. 17. vers. Non tantum.* Et in Relatore, vt ex *Cassiod. adesse debet scientia iuris, & cautela sermonis &c.* Non enim totius facti historiam recensere necessarium est, sed ea tantum deducere debet, quæ ad rem, factiq; propositionem attinent, & ita causas implicitas explicare, vt, ceteri percipiant, quæ ipse intelligit.

Si duobus causa commissa sit ad referendum, qui 144
contraria referant, erit digniori credendum ex *Fel. in d. c. duobus num. 8.* quod intelligas verum esse, nisi ex actis veritas elici posset.

Quandoque tamen relatio non videtur necessa- 145
ria, potissimum quando firmata est facti species à partibus vt *in d. cap. 7.* ea etenim statum, & seriem totius causæ continet veram a partibus ipsi approbatam, quorum præsentia non est in actu ipsius relationis necessaria, sed solum quando Aduocati forent audiendi. Et in hoc non videtur repugnare ordo præcitatus.

Vtrū sententia possit dici nulla si relatio omittatur, videndi sunt *Scrib. in d. c. duobus, de sent. & re iud.*

Relatio fit & voce, & de scripto, prout etiam 146
Romanorum moris fuit, ex Ciceronis testimonio epist. 151. *Ita enim S. C. est præscriptum, vt à me de scripto dicta est sententia*, & pro Plancio. *Oratio, quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est*; ea forsan ratione qua Quintil. lib. 2. cap 2. *Si memoria suffragetur & tempus non desit, nulla velim me syllaba effugiat; quamuis alij liberius agentes ipsam tantum rerum vim, atque ordinem memoria complectuntur.* prout de Demosthene refert Plut. qui dicere solebat, se non omnino sequi scriptionem ad dicendum, neque dicere tamen sine scriptione, nimirum quia eam præ manibus habebat; huius rei plura videnda apud *Card. Paleotum de sacri cons. consul. p. 5. q. 3. circa finem*, vbi post recitatum antiquorum scriptorum in hoc referendi genere morem, ait, *nihil in vniuersum concludi posse, sed ex dicentis ingenio, vel exercitatione, memoria, loquendi facultate, tum ex negotij, temporis, loci, & rerum reliquarum, quæ se offerre possunt, conditione æstimanda esse*; Subdens, quid enim si res paucis verbis explicari possit, & debeat? qualia frequenter ea sunt, de qui-

quibus in Senatu, libellum de sinu proferre: quem momento si sapis complecti possis? contra vero si talia sint, quæ longam, prolixamq; orationem requirant, ac de verbo ad verbum alicuius scripturæ exemplaris relationem postulent, & fidelis memoria non suffragetur, eiusq; res momenti censeatur, vt in ea aliquid prætermisisse graue sit? Certè, sicuti negari ex vna parte non potest, quin via ad expedienda negotia & breuior, & promptior, atque vsu ipso gratior, & quodammodo sincerior illa futura sit, quæ verbis tamquam sponté manantibus, nec artificiosè compositis, constet: sic ex altera parte certum est ijs, qui de scripto dicunt, multa demi impedimenta, quæ alioquin valdè obesse possent, vt etiam animaduertisse Augustum Suet. scribit. *Itaque omnibus vndique consideratis, eùm expedire id dicatur, quod aptum sit ad finem consequendum sine impedimento*, ex sententia *Diui Thomæ 2. 2. q. 88. art. 4. ad 2.* Dicimus, quemadmodum prudentis erit consiliarij vires suas, dicendi facultatem, memoriam, rem ipsam, locum, tempus, subsellijq; sui gradum metiri, atque ex his ad eam partem, quam aptius tractare possit, opportune se accommodare: sic eorum, qui audituri sunt modestiæ, sapientiæq; partes futuras esse, quodlibet siue ex tempore loquendi, siue memoriter pronuntiandi, seu ex scripto recitandi genus, quod ab eo delectum susceptumq; fuerit, benignè interpretari, atque æquis animis auscultare.

Postremò vno, & eodem, vel alio die relationes
147 fieri posse nobis constat ex vsu, & ordinibus, donec relatio perfecta fuerit. Ordinis antiqui iam initio huius capitis descripsimus verba, noui vero anni 1581. talia sunt. *Hauemo similmente inteso accadere molte volte, che cominciata la relatione d'vna causa cimile in Senato, quella si lascia adietro, per cominciarne vn altra. Dal che nascono inconuenienti, & spese alle parti, dilatandosi le cause loro. Per rimedio di questo, nostra volontà è, che di quì innanzi si finiscano successiuamente, & per ordine tutte le cause cominciate, ò che si cominciaranno à referire. Et che trouandosi presente le parti, sempre si cominci trattare la più antica, & non ritrouandosi, l'altra, che le seguirà più anteriore fino à concluderla, e terminarla; si che non sia in elettione del Presidente, ò d'alcun Senatore, il qual habbia molte cause da referire, e spedir quella dell'amico, se ben poco tempo innanzi sia cominciata, & tralasciar l'altra de molti anni pendente, che così vogliamo, ordiniamo, &*
148 *commandiamo.* Qui ordo Regius eam interprætationem recipere debet, vt non omnes causæ indistinctè debeant exaudiri, sed ceteris paribus, vt inquit *Dyn. in reg. qui prior de reg. iur. in 6.* idest si de causis vnis, & alteris peræque liqueat, alias si prius Senatui de nouiore liqueret, illa prius esset terminanda, vt per *Bal. in l. terminato sub num. 10. vers. quero Iudex C. de fruct. & expens. Alex.* pulchrè in *l. si alienam num. 10. ff. sol. matr.* Ita apertè innuunt verba illa, *Et non trouandosi l'altra, che le seguirà più anteriore*, nimirum, *vt si omnia æque in promptu non sint, ad aliam posteriorem declinetur, sed si pars negligat, quia vigilantibus &c. l. pupillus ff. quæ in fraud. cred.* si dilationes petat, vt aduocatos præparet, vel iam paratos conducat, aliquo interea, vt sæpè contingit distentos impedimento, vel vt aliud quidpiam perficiat, de quo ante auditam causæ relationem non cogitarat, inconueniens esset, si aliorum causæ, quæ relationi sunt paratæ, differentur. Et conditio horum iniqua ex alterius facto efficeretur, quod non est dicendum. Quid item si noui casus repentinè emergant, quorum definitio cunctationem reijciat omnimodum, vel ex sui natura, vel superiorum iussu? Quid si vnus ex Senatoribus, qui relationis interfuit, diu abesse cogatur, legatione puta, vel infirmitate, neque tamen votum proferre sit paratus. In his certè casibus, & alijs eiusmodi, qui sexcenti sunt, nemo iure dixerit, Regium decretum posse militare; dictum enim est supra hic *cap. 6. n. 131.* expedire aliquando, vt recentior causa præferatur veteri, per *glos. 1. in c. in primis 2. q. 1. Roman. Rebuff. Isern. & Afflic. ibi citatos.*

Ijsdem etiam rationibus negotia iam cœpta in Senatu proponi alijs interpositis differuntur, si capitula sint separata, vt per *Canon. in c. cum inter de re iud.* exigente maxime necessitate, ex causis paullo supra relatis. Neque propterea ceterorum capitum longiorem fieri deffinitionem dicendum est, sed longè breuiorem ijs absolutis, de quibus iam satis constitit. Quod & apud Romanam Rotam indistinctè seruatum noscitur.

Interuenire relator debet, quamuis ad aliud tribunal fuerit delectus, puta si Præses alicuius ex Magistratibus; vel Prætor Papiæ, aut Cremonæ est designatus, ita exigente ordine Regio, vt is referat, de quo meminit, & testatur *Menoch. cons. 909. num. 56.*

Quid si causa duobus, vel tribus tantum Senatoribus à P. Rege fuerit delegata? dicas ligari adeo 149
aliorum manus, vt interesse non possint. *c. vt nostrum de app. Ripa in c. cum M. Ferrariensis n. 198. de constit.*

Scio tamen ex legibus Acheorum de alijs rebus referre, quàm propter quas conuocati essent, non licuisse, vt testis est *Liu. Dec. 4. lib. 1.*

Romanis quoq; eodem die, vel altero ius secundæ relationis concessum fuisse non ambigitur ex *Dion. in Aug.* his verbis, *Ius secundæ relationis Augusto concessum à Senatu, quasi antea non liceret ei, qui ad Senatū semel retulisset, iterum eadem de re eodem die referre.*

Ordo seruandus à Iudicibus in comparendo corā Senatu pro relationibus faciendis editus anno 1566. 3. Ianuarij talis est. *Vsu compertū est, tolerantiam, quod à nonnullis annis citra officiales, & Iudices rerum criminalium huius ciuitatis, simul omnes, sine plures eorum vno tempore, Senatum ingrediantur pro referendis processibus, impedimentum inter se, & temporis iacturam parere, esseq; contra Senatus dignitatem; quare is ordo decreuit, priscam consuetudinem esse seruandam.*

Mandat itaq; præfatis officialibus, & iudicibus, 150
vt ad Senatum tantum veniant diebus, quibus audiendis publicæ causis non vacant, nisi forte sibi cōtingeret ex vrgenti causa, quæ dilationem non admitteret, eundem ordinem consulere. Prohibetq; illis ingressum absque licentia; sed vult, vt subsistant in cancellaria, donec a Secretario singuli vocentur, hoc ordine videlicet. Primo D. Capitaneus Iustitiæ, Secundo D. Prætor, Tertio D. Vicarius Iustitiæ, & ijs exinde succedant iudices Prætorij. Quos omnes monet, quod statutis diebus veniant hora admodum matutina, vt in prima hora, quæ sibi ad referendum assignata est, possint suas relationes absoluere. Vult tamen, quod si D. Capitaneus, siue Prætor non aderunt quando Senatus incipiet sedere, introducatur vnus ex alijs, qui prior venerit, ne tempus teratur. Et insuper ordinat, quod vbi primo admissus retulerit, statim recedat, aliusq; post alium vt supra introducatur.

## CAPVT XI.

*Rogari votum statim debeant sententia, cum Aduocati auditi fuerint, vel Relatio facta.*

151 SEd ecce facta est per Senatorem Relatio, dixeruntq; de eadam re Aduocati publicè, aut facta est relatio alicuius causæ criminalis, à Magistratibus de quibus paullo supra, aut à Regijs Aduocatis, vel ab alio, qui ius referendi habeat, erunt ne statim colligenda cuiusque consilia? Permulta hinc, & inde se offerunt nobis consideranda. Primum, quidem Senatores ad omnia, quæ sui natura officij requirit, accommodatos esse debere, itaut, si acceptis partium informationibus, & auditis Aduocatis ipsis sciant diem definitioni illius, de qua agitur causæ præstitutum esse; debeant etiam paratos esse pro sententia dicenda; tum vt quàm primum causa suum debitum accipiat finem, tum vt expensis partium parcatur, eorumq; indemnitati consultum sit. Diximus enim paullo supra ex D. Thoma, id expedire, quod aptum est ad finem consequendum sine impedimento. Quare si impedimentum ex parte litigantium cessat, per Senatores autem præstatur; dicimus eos non fecisse, quod erat expediens; causamq; damni, & expensarum præstitisse. Ideo cum tempus suppetit, recensq; extat memoria eorum, quæ in relatione, quæ in allegationibus, voce, & scriptis dicta, scriptaque sunt; tutior videtur ratio, si illicò rogentur sententiæ: vt enim faces assidua concussione ignem custodiunt, demissum ægerrimè reparant, sic & memoriæ calor, & merita causæ continuatione seruantur: contra vero intercapedine, & quasi remissione languescunt. Dubitari etiam posset, ne dilationis causa sit, vel quam aliquando in Augusto notauit Suetonius, sententias de maiore negotio non more, neque ordine, sed prout libuisset, prorogabat, vt perinde quisque animum intenderet, an si censendum magis, quam assentiendum esset, vel quam describit *Alex. ab Alex. genial. dierum cap. 14. lib. 5. & nos pract. q. c. vlt.*

Contra verò, quæ legitimum tempus non expectant, non matura, sed sera sunt, & imperitia audaciam, consideratio vero tarditatem affert. Nec relationi Senatoris, nec dictis aduocatorum standum est simpliciter, sed scripturæ, & acta sunt inspicienda, scrutandaq; & ponderanda. Ex ijs enim solis lumen meritis causæ datur, quæ nisi fiant, obscura omnia redduntur; ad instar pictoris, qui licet sit peritissimus; non tamen potest in tenebris imaginem egregie pingere, sed necesse est, si vult pro dignitate munere suo vti, vt lumen adhibeat, quo possit ipsam picturam, omnesq; eius partes intueri, coloresq; perspicere. Quomodo Senator officio suo satisfaciet, si rem, de qua agitur, eiusq; rationes non perceperit ex ipsis scripturis, veluti ex
152 tabella, & coloribus? Facti veritas, meritaq; causæ sunt a quolibet iudice inquirenda. *l. 2. C. de eden. vbi scrib. omnes, & l. illicitas §. veritas ff. de off. præs. l. 3. §. pen. ff. de iur. iur. & in l. mulier ff. de prob.* eius namque muneris hæc potissima, præcipuaq; pars est, per *Alex. in cons. 62. in prin. lib. 6. & Fel. in rub. de calum.* & cognitio causæ à iure Diuino procedit teste *Vant. de nullit. ex def. process. num. 33. & sequen.* Ideo *Eccles. 37.* scriptum legimus. Deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam, & qui veritatem quærit, ostendit prudentiam, quæ in rei inuestigatione versatur; & scientiæ plenioris infundit cupiditatem. *D. Ambros. off. 1. cap. 24.* neque enim teste eod. *D. Ambros. eod. lib. cap. 2.* potest iustitia sine prudentia esse, cùm examinare quid iustum, quid iniustum sit, non mediocris prudentiæ sit. Quæ veritas multo magis à Senatoribus, & in Senatu inspici debet, vt scribunt in terminis *Dec. in consil. 200. in fine, & Alba in consil. 306. num. 5.*

Rectius ergo veritas desumi videtur non ea die, sed altera actione; quasi in illo primo actu non satis matura, non adeo benè digesta, atque concocta causa videatur ex illa sola Aduocatorum acclamatione publica, vel priuata, aut ex scripto *solo*; cùm interdum, vel aduocatus minus instructus ad dicendum accesserit, vel alter altero frequentior, eloquentior, argutiorvè adfuerit: hic narrationi, ille contentioni, confutationivè aptior. Ex dilatione autem, vel ad alteram diem procrastinatione breui ea omnia & digeri, & concoqui poterunt adeo, vt exinde perfecta magis emittantur iudicia iustioresq; sententiæ proferantur; breui dixi, dum adhuc memoria præteritæ actionis viget & recens est.

Inquit enim *Aurelius Victor in Aug.* eum solitum 153
suisse dicere, satis celeriter fieri, quicquid commodè gereretur. Non etiam tam celeritas actionis, quam temporis opportunitas sequenda est, nec aliquos suo gradu dimouere debemus, ne inde eueniat, ac si quis equum gradarium acrius vrgeat; cui quidem nihil aliud assequitur, nisi vt veheatur incommodius. Vtpotè cum veritas causæ nimio affectu quæritur, aut nimia adhibetur diligentia, quasi velimus sapere plusquam sapere oporteat, vt latè per *Tiraq. de retract. consang. §. 35 glos 1.* quia vt ait *Seneca ep. 89.* plus scire velle quam satis sit, intemperantiæ genus est, & Æschilus ait, *Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.* Hinc dicitur, iustus quandoque in sua iustitia perit, per *glos. in l. nisi cum pridem in verbo elicit de renunt.* & latè per
*Neuiz. in syl. nup. lib. 5. sub num 67.* vbi docet scru- 154
pulositatem, & nimiam subtilitatem esse vitandam. Veritas candorem amat, latebras odit, fucos horrescit, aditus patentes quærit, libera est; seruire nequit, aliena vmbra legi non vult, suo lumine delectatur, cum seruili, ignouioq; hominum genere non habet commercium; properat, & quærenti sine fuco se exhibet. Hinc *Plut. in Charicle 30.* adducit Cratinnm dicentem. Dudum enim Pericles verbis ædificat, opera autem non attingit.

Nec in medium adducatur illud tritum in ore 155
omnium. Satius esse peccare in tempore, quàm in sententia, & aliud *Liuij 22.* Omnia non properanti clara, certaq; sunt. Festinatio improuida est, & cæca, *& lib. 31.* nihil magni discrimini consilijs, tàm inimicum, quàm celeritas, quod & *Thuc. lib. 3.* dixerat. Sic & illud ad pœnitendum properat, cito qui iudicat. Pulchrè Artabanus apud Herodotum *lib. 7.* Festinare quoduis negocium gignit errores, vnde maxima detrimenta oriri solent: at in cunctando bona insunt, quæ si non statim talia videantur, tamen in tempore bona quis esse reperiet.

periet. Pulchrius *text. in cap. nullum 30. quæst. 5.* Nam tu es qui iudicas? mala vtique audita non moueant, aut passim dicta absque certa probatione; nunquam credas, sed ante audita diligenter inquiras, nec præcipitando quicquam agas. Non obesse illud inquam, satius esse peccare in tempore, quia cognitionem causæ celeriorem desideramus, sed & plenam, & causæ conducibilem, ita vt certam proferre possit sententiam. Veluti *Cicero in Verrina. 6. Cum ad Prætorem in ius adissemus, excogitat sanè diligenter, & cautè quid decernat.* Et Seneca in lib. de virt. 4. *Prudentis sicuti proprium est examinare consilia multorum, & non citò facili credulitate ad*
156 *falsa prolabi; ita è contra, improuidi, & soccordis est, quæ citò expedienda sunt, in longum protrahere.* Videtur enim nec quod satis est, nec quod intelligentiæ præstat, non intelligere; vti Calimacho Sculptori, & Protogeni Pictori obiectum legimus. Sat erit imitasse Antoninum, qui in causis cognoscendis in hoc tantùm longior fuit, vt de vna, eademque causa dies vndecim, sæpe duodecim, sæpe etiam noctu cognosceret; quæ etiam cura breuior tamen in Iuliano Imperatore fuisse narratur ab Ammiano Marcellino; non enim præclare tunc in iudicijs agitur, cùm plura negotia finem accipiunt, sed cum pauciora, eaque securissimè, & religiosissimè.

Extrema igitur vitanda erunt, vt non præcipi-
157 tanter, & ex abrupto, secundum tradita copiosè per *Neuiz. in syl. lib. 5. num. 105. Franc. Personal. d. q. 17., & D. Menoch. de arb. iud. q. 42.*, & non negligenter, cum desidia, nimiaque procrastinatione, quæ non mediocre damnum afferre solent. Itaut nec celeritate, nec longa cunctatione causa terminetur, sicuti enim præcipitatio est nouerca iustitiæ, ex his quæ *Marsil. latè in cons. 48, & Personal. d. q. 17.* congesserunt; ita etiam nimia dilatio, & procrastinatio grauiora damna partibus infert. Cuilibet petenti tenetur Senator ius impartiri, il-
158 ludque quam primum, alias peccat dupliciter, teste *D. Thoma 2. 2. q. 54. art. fin.* primò, quia negligit facere quod sui muneris est; deinde ad expensas, & damna parti tenetur, vt per scribentes in *l. venales C. quan. prouoc., & in c. cum non ab homine de iu., & hon. cler.* cum alijs adductis per nos tum infra hac *glos. cap. 17.*, tum in *titul. de app. §. 11. glos. 3. num. 11.* Quinimo talis negligens est deterioris conditionis, quam fœnerator; ille enim restituendo quod accepit potest à Deo sperare salutem, is vero non potest absolui, nisi etiam restituat damna, & interesse, quæ vix æstimari forsan possunt ex Neuizano *loco proximè citato.* Præterea iustitiæ munus iurauit exercere Senator, vt alias diximus, quod si exerceat lites amputando gratum est, gratissimum vero si non tam tardum, vti quisque norit, & vt de gratia Ausonius scribit,

*Gratia cùm tarda est, ingrata est, gratia namque*
*Cum fieri properat gratia grata magis.*

Aliud etiam.

*Denigrat meritum dantis mora. Nam data raptim*
*Munera plus laudis, plusque fauoris habent.*

Hinc dicitur minus soluere qui tardius soluit *l. sicut in fin. ff. de verb. sign. cum simil. Luc. de Penna in l. vnic. num. 3. C. de oblat. uot. lib. 12.* è contra vero tamen *Cassiod. ep. 40. lib. 3.* Non possumus æstimare iucundum, quod ingrata fuerit dilationi suspensum.

Omnis igitur dilatio superflua in sententia proferenda vitari oportet, ne per dilationis incommoda videatur supplex odisse victoriam, ait *Cassiod. var. ep. 11. in fine lib. 1.* Propterea paratus veniat Senator sententiam dicturus, statim etiam vel audita relatione causæ, vel auditis Aduocatis, vt tenet expressè *Soc. sen. cons. 121. lib. 3.* potissimum in criminalibus causis, in quibus diligentia prodest, & dilatio obest, *arg. tex. in c. dominus 23. q. 2., & in c. 1. de off. deleg. in 6.* ac negligentia magis nocet; 160
dicitur enim negligentia deffectus debitæ sollicitudinis secundum interiorem actum, & nouerca eruditionis, vt habetur in *c. nihil 83. distinct., & per D. Thom. 2. 2. q. 54. art. 1.*, & admodum reprahenditur in corrigendis malis, & peruersis hominibus *c. error distinct. 83. c. negligere, & c. sicut 2. q. 8.* quippe qui negligenter, ea, quæ vsurpantur, omittit; excessibus viam alijs aperit *c. peruenit ad nos, & c. fin. 95. distinct.*, ac in subditis disciplinam perdit *c. iustum 23. q. 3.* atque in magnum descrimen subditorum cadit *c. si Papa 40. distinct.* vnde *D. Augustinus in lib. de verbis Domini.* Qui negligit iniuriantem corripere, peior est ipso iniuriante; ille enim iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui se ipsum vulnere percutit. Tu autem vides perire, negligis; peior es tacens, quam ille conuitiando, & in *c. visis 23. q. 5., & 5. q. 5. c. 1. 2., & 3.* idem probatur. Ea propter dicit D. Ambrosius *1. offic. c. 47.* Solliciti esse debemus, ne quid temerè, aut iniuriosè geramus, aut quicquam omnino, cuius probabilem non possimus reddere rationem. Sed agat discretè, loco, & tempore, non maiore studio, quàm res ipsa postulet, ne minore, aut paruam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videatur. Moderatio pro negotijs, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum adhibenda est.

Ad rem igitur, illicò rogandæ sunt sententiæ il- 161
lius causæ, de cuius meritis certi sunt Senatores, eorumque probabilem reddere possunt rationem, prout olim factitatum fuisse testes sunt omnes ferè nunc ætate maiores. Consueuerat enim Senatus singulo audientiarum die causas iam peroratus ad septem vsque expedire; cum statim atque Aduo- 162
cati finem dicendi fecissent, & vela pendendi mandaretur, & rationes vtrinque propositas examinarent Senatores; deliberationemque facta vela aperirentur, illicoq; partibus ipsis, & Aduocatis adhunc morantibus in propatulo quid decretum fuisset, exponeretur. Quia sciebat Senatus, qui ex prudentissimis, integerrimisq; Senatoribus constabat, non ex acclamatione Aduocatorum, sed ex scrinio pectoris Principis, quod & iura omnia, & æquitatem intus retinet, se teneri quicquid implicitum erat, populo explicare, iuxta *auth. de ind. collat. 6.*, & alia de quibus supra *cap. 5. ex Afflic. in constit. num. 60. rub. 45.*

Quid arguit ordo ille Senatus, quo iniungitur Aduocatis, vt breuitate vtantur, itaut saltem quatuor causæ intra tempus audientijs tributum expediantur, nisi quod statim peracta oratione, vota colligerentur? pro hac parte optimus est *tex. iam supra à nobis allatus in l. 3. ff. de his quæ in testam. delen.* qui post Aduocatorum omnium dicta relata sic ait, *Antoninus Cæsar remotis omnibus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, dixit causa præsens &c.* Sexcentis in locis reperies hunc Romanorum morem

163 rem fuisse, vt sententiæ statim rogarentur postquam vel reos, vel Aduocatos audiuissent, sic *Liu. lib.* 3. vbi de causa Marcelli cum siculis agit, *& lib.* 4. *de bello cum Antioco*, & alijs de controuersijs Lacedæmoniorum, & Acheorum in Senatu Romano dijudicatis agens, dum scribit in hæc verba. *Lacedamonij deinde introducti sunt, multa, & parua disceptationes iactabantur, sed qua maxime rem contingerent, erant, vtrum restituerentur quos Achai damnauerant nec ne, inique, an iure occidissent, quos occiderant; vertebantur, & vtrum manerent in Achaico consilio Lacedamonij. Restitui, iudiciaque facta tolli placuit. Lacedamonem manere in Achaico consilio, scribique id decretum, & consignari à Lacedamonijs, & Achois*. Atilius Colatinus iudex, vt apud *Valer. lib.* 2. *c.* 3. inter Luctatium Consulem, & Q. Valerium Prætorem optimè præmissa firmat his verbis. *Iam mehercule cum de imperio, & auspicio inter vos disceptationem susceperim, & tu vltroque aduersarium suum superiorem fuisse fatearis; nihil est, quod vlterius dubitem. Itaque Luctati quamuis adhuc tacueris, secundum te litem do*. Alia eiusmodi plura apud *Ian. Langlaum semestrium lib.* 7. *cap.* 19.

At si obscura sit causa, hæc ad aliam breuem sessionem differri poterit, ex his, quæ tradit *Menoch. de arb. iud. d. q.* 42. *num.* 8., *& seq.* Differtur autem res arbitrio Prȩsidis, vt in ordine anni 1500. his verbis. *Sedebit Senatus in publica audientia semel in hebdomada, in die Mercurij: & erit in facultate D. Cancellarij si volet pronuntiationes dictarum sententiarum, proferri in die publica audientia, vel si voluerit statim facta conclusione super causa, dictam conclusionem partibus intimare &c.* Olim autem si consul Senatoris alicuius sententiam, aut amici hominis minus vtilem fore dubitabat, pronuntiabat Senatusconsultum fieri non debere, vt multis probat *Manut. de Senatu Romano cap. de sententia dicenda Aul. Gell. lib.* 4. *cap.* 10. *Tacit. lib.* 3., *&* 13. *Annal. Plut. in Catone Pedianus in Milomana; Cicero* sæpè, potissimum *ep. lib.* 1. *ad Lentulum*, vel quando ampliationi locus dabatur. Ampliare enim eodem *Pediano* teste *loco. proximè citato*, est sententiam differre, aut quia res nondum satis liquet, aut quia coram sistendi testes sunt, & cum illis cōmittendi, aut quia de crimine ipso, aut de pœnæ modo deliberaretur. Et non abest longè ab ampliatione comperindinatio, nisi quod ampliatio fit in incertam aliquam: comperindinatio in certam aliquam diem iudicij prorogatio. Iterum idem *Pedianus* hoc firmat, dum inquit. *Ante legem Glauciam de comperindinatione, aut statim sententia dicebatur, si absoluendus esset reus, aut amplius pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, non liquet hoc est, obscura causa est &c.* Apud *Liu.* locus est de Horatio, ibi. *Hac lege duumuiri creati, qui se absoluere non rebantur, ea lege, ne innoxium quidem posse; cum condemnassent*, tum alter ex his. Publi Horati. *Tibi perduellionem iudico*, inquit, *Lictor colliga manus &c.*

Quæ diximus supra *num.* 141. de Relatore vt secum afferat acta omnia causæ, quæ legi & videri possint, obseruanda erunt quoque in expeditione causæ, dum vota colliguntur; nam licet paratus ipse venerit, sententiam dicturus, non tamen præsumitur eum habere memoriam omnium, quæ ab eo gesta sunt, vt ait *Bar. in l. quod iussit de re iud. & Alex. in cons.* 215. *num.* 5. *lib.* 2. habere tamen eam poterit ex actis ipsis, quæ secum habere tenetur, vt post *Dec. Rip. Cagnol.* tenet *Bologn. in l.* 2. *C. de eden. num.* 14 *Surd. decis.* 175 *num.* 10. quia vt *Bologn. ibid. ait*, memoria labilis est, *& num.* 42. *vers. sextus intellectus*.

## CAPVT XII.

*Ordo quis rogandarum in Senatu sententiarum.*

Ratio colligendarum in Senatu sententiarum, & ordo talis est in Senatu Mediolanensi. 164
Relator fine litis expositor primus, deinceps reliqui ab vtroque latere eiusdem Referentis assidentes, iuniores primum, ex post seniores sententiam dicunt, mox vltimus alterius partis: ita vt, si Senator Relator sit in capite alicuius partis, qui iuxta Præsidem residet ex altera parte penultimus euadit, & vltimus Præses. Si vero Relator medium locum alicuius partis teneat, qui eum sequuntur, mox ante sedentes in illamet parte vsque ad Præsidem, & cæteri deinde alterius partis eo, quo supra ordine votum proferunt suum: nisi duo tantum ex præcedentibus supersint, ex sequentibus vero plures, & è contra. Illi enim duo, vel vnus tantùm, item & maior numerus semper eiusdem partis Relatorem sequitur; mox reliqui deinceps dictæ met partis. Quoties autem Præses aliquid in Senatu proponat, ab eodem Præside rogati votum dicunt, qui etiam eos extra ordinem rogare pro arbitrio consueuit; quod in parlamento Tholosano, vt plurimum seruari probauit *Maynard. decis.* 71. *p.* 1. vt quisque animum intendat, vtrum magis censendum sit, quàm assentiendum, exemplo Octauij Augusti de quo *Tacit. Annal.* 3.

Si de ordinaria causa agitur, hoc est de ea quæ ad Senatum iure præsentis constitutionis spectat, rogantur ij tantum qui relationi præsentes fuerunt: si vero de causa ad Senatum euocata, etiam via recursus omnes rogantur qui collectioni votorum intersunt, etiam si quis tempore quo relata fuit causa non interfuerit, ex more antiquissimo. Pręses vero vt diximus suo tantum loco sententiam dicit, & post alios, iuxta litteras Regias 1591. registratas in fol. 78.

Est etiam obseruatum, Relatorem rogationi sententiarum semper interesse debere, etiam quod ad aliud Tribunal delectus fuerit; Puta si Præses alicuius ex Magistratibus factus fuerit, prout etiam in ipsis Magistratibus Relator si ad Senatoriam dignitatem peruenerit, adesse debet definitiuè. Vti etiam die 12. Ianuarij 1611. inter ciuitatem Mediolani, & fratres Meltros censuit Senatus D Carpano Senatore creato, qui in ipso Magistratu Relator fuerat. 165

Ordo illo antiquus anni 1500. sic loquitur. *Et si qua supplicationes erunt reseruata deliberandi in Senatu, referantur primo loco, & expediantur, & postea audiantur Senatores in relationibus faciendis per eos arbitrio D. Cancellarij, vt illud negotium praferatur in expeditione, quod ipse dixerit praferendum &c.* Item paullo post. *Quibus peractis exquirantur vota per D. Cancellarium, aut in eius absentia per alium Præsidentem in Senatu, incipiendo à Relatore, & Collegis, si plures fuerint Auditores, & poterit ipse Relator*

*lator arguere ad pariet, si voluerit, & tandem debet concludere &c.* Deinde *alij Senatores, secundum quod exquirentur eorum vota, dicent eorum sententiam simpliciter &c.*

Quid in Hispaniarum Curijs à relatore seruetur, & an ipse sententiam dicat scripsit in *Dialog. Io. Matienz. p. 1. c. 6.*

166 De iure vtrum incipiendum sit à iuniori, vel antiquiori controuersum est, vti scripserunt. *Osac. in initio decis. suarum num. 11. Aul. in c. 43. praetorum glos. 1 Curia Pisana vbi Azeued. lib. 2. cap 6. Tesauri ambo decis. 1.*, & pleniſſimè *Ian. Langlaus semestr. lib. 7. cap. 7.*, item *Alex. ab Alex. genial. dierum lib. 4. cap. 11.* qui inter cætera sic scribit. *Senatusconsultum vel per singulorum sententias exquisitas, & per calculos coniectos in vrnas, cum de quoque negotio quid quisque sentiat consulitur, & suo loco rogatus sententiam dicit, aut cum verbo assentitur, fieri adnotatum est, & in perrogandis sententijs, post relationem consulis debere à consulari gradu incipi, & Principem in Senatu, aut Consulem designatum prius, deinde ordine reliquos rogari. Nonnunquam obseruatum est, vt ex consularibus duo maxime rogarentur primi, deinde inferiores: iuuenes vero vix rogari, quasi pudor esset iuuenem sene sapientiorem videri. Et si certaretur sententijs, nec satis liqueret, tunc, vel differri consultationem, vel, si dua Senatum destinerent sententia &c.* mox paulo infra. *In quo id fuit traditum, vt de diuinis rebus prius, vt de republica infinitè, aut singulis rebus finitè ad Senatum referatur, si quid publici, priuatique negotij foret statuendum. Nonnunquam licuit Senatori priusquam ordine sententia rogarentur, postulare, vt extra ordinem de repub. dicere liceret.* Item, post allatos mores Atheniensium, Lacedæmoniorum, aliorumque Græcorum, Syracusanorum, Hæduorum, Germanorum, Macedonum, Belgarum, Gallorum, Persarum, aliarumque gentium, infrascripta subdit. Sed tamen non idem semper ordo rogandi Senatum fuit: siquidem, modo primus rogabatur, qui Princeps lectus erat in Senatu à Censoribus, & postea inquit, *Obseruatumque fuit, ne quem citra consularem locum extra ordinem primum consul rogaret.* Quem tamen ordinem rogandi sententias, Calendis Ianuarijs seruare cœperat, is toto anno perpetuum seruabatur, ex *Suet. in C. Iulio Cæsare.* Diuum tamen Augustum sententias de maiore negotio non ordine, nec more, sed prout libuisset rogasse ferunt, videndus erit quoque *Plut. in Camillo 58.*, & *Langlaus d. c. 7.*

## CAPVT XIII.

*Vota quomodo danda.*

167 SEdentes vota proferunt Senatores nostri ex hac constitutione supra in *glos. 4.* latinæque voce, & non de scripto, nec per suffragia: ipsiusque voti rationem vt plurimum reddunt, cum sciant sen-

168 tentiam, siue votum rationibus munitum esse oportere: rationis enim tres sunt actus, quorum primus pertinet ad consilium, & inquisitionem, secundus ad iudicium, tertius ad præceptum, ex *S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2.* quare, cùm ex voto sequatur præceptum, nempè sententia vel fauore actoris, vel rei, quæ exequenda est, veluti præceptum prudentia votantium emanatum, non absque rationis allegatione stilum sententiæ dicendæ amplexus est Senatus. Hinc ordo ille Regius antiquus de quo in præcedenti cap. sic ait. *Deinde alij Senatores, secundum quod exquirentur eorum vota, dicent eorum sententiam simpliciter vt supra, & liberè secundum Deum, & conscientiam.* Verum nihil debent repetere de dictis, & allegatis per alios. Et satis erit dicere, sum in opinione talis, nisi velint eam comprobare nouis rationibus, vel iuribus, quod facere poterunt: & pariter si vellent ab opinantium sententia discedere, & aliter sentire, poterunt fundare eorum opiniones, & confutare quæ in contrarium deducta erant. Nec liceat Relatori, aut alteri ex Senatoribus interrumpere Senatores suam dicentes sententiam, nisi velint admonere in facto, puta si factum aliter se habeat quam ipse Senator qui sententiam dicit, præsupponat, quod facere poterunt. Liceat tamen Senatoribus votis omnibus exquisitis discutere negotium modestè pro veritate, etiam per inspectionem librorum, si opus erit, & veritas, & iustitia locum habeat. Abstinendum itaque erit, ne quis in numero eorum se ponat, qui existimant, suam apud omnes auctoritatem eam vim obtinere, qualem Pythagoræ apud discipulos. Hi arbitrabantur satis probatum, si interrogationibus opposuissent, ipse dixit. Nec etiam eos immitetur, qui existimant, omnes suas expectare sententias debere, intentos tacere ad votum, verbis eorum nihil addere, cum vt iam diximus re ipsa, & ratione sit exquirenda veritas. *l. numerum §. mixta*, ibi, *optima ratione disputando definiuit ff. de mun., & hon.* Aristotelem enim Bibliam ridere solitum legimus *2. Polit. 6.* sic etiam probant *tex. in §. considerandum in auth. de trien., & sem. coll. 1. in c. videndum 24 distinct., & in c. omnia 22. distinct.* sed de hoc plenius infra *cap. 19.*

Romani vero stantes sententiam dicebant, vt per Halycarnals. pluribus in locis, *Dion. lib. 60. in Claudio.* In curia si Senatores diu stetissent, ipse quoque surrexit, nam propter infirmitatem sedens, plerumque si quid rogaretur de scripto respondebat. L. Sillæ, cum is propter senium in suo subsellio quædam audire non potuisset, & ideo surrexisset, permisit, vt in prætorijs subsellijs sederet. Latine sententias proferebant teste *Valer. Max. lib. 2. cap. 1* Docet etiam *Cicero lib. 4. ad Att. ep. 2.* à patribus disceptatum aliquando fuisse, sic enim ait, *quisque horum loco sententiam rogatus, multa secundum causam nostram disputauit.* Forma sententiæ dicendæ quemadmodum ex *Philipp orat.* apparet, ferè hæc erat. *Quod verba facta sunt de litteris &c.* DE EA RE ITA CENSEO. In eo autem scribendo responso moris erat, vt ea res, de qua rogatæ sententiæ fuerant, summatim exponeretur, exempli gratia, Quod M. Marcellus consul verba fecit de prouincijs D. E. R. I. C. quæ Probus interpræ tatur vt supra. 169

Scripto Senatusconsulto, eorum omnium nomina, qui affuissent adscribi solebant; quod notum fit ex *epist. Cæl. ad Cicer.*, & ex ipso *Cicerone lib. 3. de orat. Lamprid. in Heliogab.*, ac *Plin. ep. 12. lib. 2.* ibi numerantur enim sententiæ non ponderantur, clarius locus apud *Lamprid. in Alex. Seuero* relatus in *glos. præcedenti num. 27.* ibi, *sed etiam singulorum* 170

*gulorum sententia, ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quod quisque dixisset.*

Hoc ipsum cauetur ex relato Regio ordine antiquo §. *Item Secretarij*, dum ait. Forma autem registrandi erit talis. Anno & die tali &c. in Senatu, in quo aderant talis & talis, describendo omnia nomina Senatorum præsentium super tali negotio proposito per talem &c. auditis partibus, si fuerint auditæ. In alijs simpliciter, Senatus decreuit &c.

Illud etiam addendum est ex *Alex. ab Alex. d. cap. 11. lib. 4.* parum fuisse in Senatu Romano breuiter censere, & rectè sentire, nisi facundè sententiam tueretur, & argumentis firmaret, & si certaret sententijs, nec satis liqueret, tunc vel differri consultationem, vel, si duæ Senatum destinerent sententiæ, cum aliud alij censeant, id quod Senatus maxima pars decerneret, id ratum fieri: aut si non probaretur, sententiam diuidi: hoc erat, vt si plures causæ in disquisitionem venirent, vt de singulis referatur, postulare: & quod in parte placeret, id sequi, vel per discessionem, tunc, cum vnius exquisito voto, cæteri qui in suffragium ituri erant, in illius sententiam pedibus irent, vel si manum porrigerent, aut cum de scripto sententiam dicerent. Si tamen aliquorum opinioni assentiri vellent, poterant etiam sedentes ad illam opinionem, cui visum erat, studio, & voluntate accedere.

## CAPVT XIV.

*Votum suum, an possit mittere absens?*

171 IN electionibus, vt absens possit committere votum suum tradit *Curia Pisana*, & ibi *Azened. lib. 2. cap. 7.* Et in Senatu Mediolanensi seruari certum est, vt is, qui fuit præsens relationi alicuius causæ, possit iusta de causa absens votum in scriptis proferre, quod & ius admittit, teste *Bertach. in tract. de Episcopo quæst. 15. num. 25. & Lancell. instit. canon. tit. de elect. §. sed cum absens*. Ait etiam *Cicero ep. lib. 10. ad Plancum*. Id ex ipso Senatusconsulto poteris cognoscere, ita enim est præscriptum, vt à me de scripto dicta est sententia, quam Senatus frequens secutus est summo studio, hoc etiam in Areopago seruatum fuisse testis est *Maynar. decis. Tholos. 71. sub num. 5. p. 1.* quamuis, si absens expectari potest, credibile sit, vt is præsentia sua trahere præsentes in sententiam suam possit, vt Iurisconsultus de arbitris, & compromissis differens, monet.

Relator autem votum suum absens mittere non poterit, cum teneatur causam in Senatu proponere, omnium primus sententiam dicere, eoq; præsente singulorum Senatorum iudicia sunt exquirenda, & errantes commonendi. Et quamuis ex ordine Regio anni 1581. his verbis cautum sit. *Ancora intendiamo, che se il Senatore, ò altro de i duoi Magistrati, che si troua al principio del referire vna causa, ò à tutta, s'ammala, quella causa s'espedisce senza la sua presenza, & anco senza il suo voto, onde procede inconueniente, & danno grande alla parte. Et per euitarlo, saremo seruiti, che di què innanzi occorrendo, che altro habbia cominciato à vdire la relatione, & frà tanto ch'ella dura, sia da legitimo impedimento ritenuto; quella relatione si sospenda fino à tanto, che possa ritrouarsi à vdirla tutta.* (Id quod à parlamento Tholosano seruari, & ab eo cautum esse testatur nouissimè *Gerar. Maynar. d. decis. Tholos. 71. num. 5. p. 1.*) *Et se doppo vdita, & vista se ne starà absente più di trenta giorni; si riserui il suo voto per il tempo della sentenza.* Expectandum esse impeditum, intelligendus tamen est, vbi tale impedimentum duraturum non sit, quia tunc absens votum suum in scriptis relationis tempore mittit; alioquin elapso certo, & præfinito tempore res à ceteris Senatoribus ad finem perduci poterit.

## CAPVT XV.

*Vota an colligi possint, cum aliqui tantùm Senatum ingressi sunt alijs non expectatis.*

NOn valere, quæ geruntur à minori parte, probat *l. nonnulli ff. quod cuiusque vniuers. nom.* & ibi *glos. duæ partes. l. nominationum C. de decur. lib. 10. glos. & Bar. in l. quod maior ff. ad municip. & in l. 2. ff. de decret. ab ord. fac.*, & communis hæc est omnium sententia relata per *Abb. in c. cum omnes de constit.* & ibi *Doc. col. pen. vers. postremo instrumenta. Alex. & Orose. in l. suum §. hodie ff. de pac.* 172
Integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. *c. 1. 20. distinct. c. prudentiam in prin. de off. deleg. glos. in c. ad apostolica 39. q. 9. & Bal. in l. humanum C. de leg.* quia secundum S. Thomam. *Iudicium est recta deliberatio iustorum: Deliberatio autem extrinseca respicit, quæ plenius à pluribus, quàm ab vno solo percipiuntur.* Alia plura tradit *glos. in c. bona de postul. prælat. scrib. in c. 1. de his quæ fiunt à maiori parte cap. in c. licet, & c. bona de elect.* scribit etiam *Symach. lib. 4. ep. 27.* legem esse Curiæ, vt maioris numeri antistet auctoritas; sequitur *Plin. ep. 12. lib. 11. & Prudentius libro 1. contra Sym.*

*Si consulta patrum subsistere conscriptorum*
*Non aliter licitum prisco sub tempore, quàm si*
*Terrenum sensisse senes legeremur in vnum:*
*Seruemus leges patrias, infirma minoris*
*Vox cedat numeri, paruaq; in arte silescat.*

Atque inde fluxit elegans illud vetus verbum apud *Festum lib. 12.* Numera Senatum, quod obijciebat quis consuli cum impedimento esse volebat. Hinc *Seneca lib. de vita beata cap. 2.* non est, quod mihi illud discessionum more respondeas. Hæc pars maior esse videtur. Licet in concilijs si omnes fuerint vocati, & non comparuerint valeat, quod à maiori parte congregatorum fit. *Innoc. in c. 1. de maior. & obed. Bar. in l. 1. ff. de albo scrib. Doct. in l. 2. C. de decur. lib. 10. Curia Pisana lib. 1. cap. 8. in fine, Fran. Marc. decis. 783.* atque ita practicari firmat *Azened. ad Cur. Pis. lib. 1. cap. 2. sub num. 6.* & ex recepta omnium opinione de qua per *Soc. in cons. 45. num. 14. lib. 1. & Aug. Bero. q. 135. num. 5 & sequent.*

Ceterum hæc ad rem nostram nihil facere videntur, cùm nec rogentur, nec vocentur Senatores ad Senatum, sed ipsi vltro singulis diebus statutis Senatum petant. Propterea, quid hac in parte statutum sit, videamus. Primò, adest ordo ille Regius relatus supra in *Ad. tit. num. 16.* & alius in 173

*glos.*

glos. 4. cap 2. anno 1604. editus, qui sic loquitur. *Y que despues de oyda (la Missa) hauendose juntado quatro per lo menos, y no de otra manera, se attienda al despacho de los negocios, segun la dispusition de las Constitutiones desse estado.* Addamus hic verba alterius ordinis anni 1581. talia. *Auuertendo, che nelle picciole feste, nelle quali i Senatori si congregano in casa del Presidente, non si hà da trattare, ne spedir qui cosa alcuna controuersa frà parti; ma solamente le altre facili, & espedienti; al cui trattato non habbia anco à retrouarsi minor numero di quattro Senatori. Auuertendoui etiandio, & incaricandoui, che vi astiniate di trattare frà voi negotij toccanti à tutto'l Senato in altro tempo; che quando tutti vi trouate à sedere pro tribunali, per quanto importa in ciò seruar il debito ordine, & decoro.* Aliam quoque ordinis parcellam in præcedenti capite relatam adiungamus, eam sanè, qua cauetur, non posse vota desumi absentibus ijs, qui relationi interfuerunt, iure sanè probatam ex his, quæ scribit *Mayuar. d. decis. 71. num. 4. & 5.* Et tandem vna cum antiquo illo ordine anni 1500. cōcludamus, in leuioribus causis partem tantùm, quæ sit saltem numero quatuor, non minorem sufficere, in reliquis vero maiorem esse necessariam, & omnes adesse debere, equi interesse possunt, idque etiam iuxta *not. per glos.* & ibi *Imol. num. 49. in clem. ne Romani de Elect. Fran. Marc. decis. 1033. & Azeued. sub d. num. 6.* Sic & apud *Liu. plur. in locis.* De ea re nihil decerni placuit: ad frequentiores consultatio delata est. *Et lib. 39.* quid ab eo quenquam posse æqui expectare, qui per infrequentiam furtim S. C. factum ad ærarium detulerit.

## CAPVT XVI.

*Vota an colligantur, si vnus, vel plures discedant.*

174 ABbas *in c. cum nobis col. fin. de elect.* dubitationem propositam hoc pacto determinat. Valere actum a maiori parte congregatorum factum, etiamsi aliqui ex congregatis recesserint, ex quo ij contumaces ab initio videantur; si vero non remaneat maior pars, & terminus iuris non instet, non valere. Hoc ipsum sequitur *Fran. Marc. decis. 781. & 1335.* ea sanè ratione, vt per discessum maioris partis resoluatur capitulum iuribus ab eo allegatis. Apud antiquos autem ex *Dion. lib. 55.* vt diximus supra *in prin. glos. 1. cap. 2.* seruatum est, vt si non tot, quot opus fuerat, conuenirent, consilium quidem caperetur, & quod statuissent præscriberetur, sed illud tamen vim Senatusconsulti non obtinebat.

Ceterum idem *Marc. decis. 783. in fine*, tenuit collegium, etiam si duæ congregatorum partes recedant, reliquum actum gerere posse, iuxta tradita per scribentes *in c. bona de elect. contra glos. ibidem Panin. in tract. de pot. sed. vac. par. 1. prælud. 5. col. 5.* in antiquis, saltem vbi causa terminaretur, secundum *M. Ant. Chuc. de instit. canon. tit. de elect.*

175 *num. 82. Azeued.* autem ad *Cur. Pisan. lib. 1. cap. 8. sub num. 9.* videtur prædicta conciliare hoc pacto. Aut iam dissolutum est capitulum, quia dictum sit iuxta antiquum morem. Nihil iam nos moramur Patres, vt ait Capitol. & tunc non valere factum à reliquis qui remanserunt, aut non fuit resolutum, sed aliqui spontè recesserunt, & tunc actum a maiori parte reliquorum congregatorum valere. Præterea, qui iam recesserunt poterant reingredi, & actum expedire, per *glos. in d. clem. ne Romani*, vbi *Imol. num. 49. de elect.*

Sed inanis hæc videtur inuestigatio, siquidem sit in Præsidis facultate pro suo arbitrio præsentes retinere, prout etiam ius habet eos vocandi.

Præterea secundum *Cur. Pisana, & Azeued. ibidem lib. 2. cap. 8.* Senator perperam recederet, & 176 non sine peccato ante dimissum concilium, ex *reg. l. patre furioso ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iur.* cum ipse sententiam suam proferens possit alios ab illicito, & prauo consilio, vel minus recto amouere, secundum *Imol. in d. clem. ne Romani num. 47. de elect.* & sic nec cum licentia, nec sine oporteret recedere antequam omnia perficerentur, prout in Senatu Mediolani is semper laudabilis mos est habitus.

Apud Romanos, qui cogebat Senatum, idem etiam dimittebat ex *Cicer. de orat. 1.* his verbis. *Sic initio accusationis exanimatus sum, vt hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuò consilium dimiserit, simul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit*, iterum idem Cicero alijs verbis *Ep. 1. ad Q. Fratrem.*

## CAPVT XVII.

*Petens tempus ad deliberandum, an expectandus?*

DVbitationis campus latissimè patens, & in omnes ferè materias vim suam protendens, 177 multis imbecillitatis humanæ infirmitate grauatis ne veritatem rerum, earumq; cognitionem veluti fumo percussi percipiant impedimento est adeo; vt eisdem de re graui interrogatis, tempus deliberandi concedi debeat, iura voluerunt, teste *Curia Pisana lib. 2. c. 9 & Cardinali Paleoto de sacri consistorij consult. par. 4. q. 4. & nouem sequentibus*; dummodo condignum tempus ad deliberandum non habuissent: nam veluti in stomachum demissus cibus tempore ipso concoquitur, sic & consilium. Quod & obseruasse Catonem testatus est *Cic. de senect.* nimirum, vt res quas diu, multumq; cogitauerat ad Senatum afferret; & *Alexandrum Senatorum Lamprid.* his verbis. *Et id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quod quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumq; priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus*; nam vt ait Valentinianus in *l. hac lege C. de sent. ex breui recit.* iudices quos cognoscendi, & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante forment. Diximus Senatorem de re graui interrogatum posse tempus ad deliberandum petere, secus vero de re leui, siquidem superiori capite ostensum est causas huiusmodi à quatuor tantum Senatoribus expediri posse, nec res celeritatem desiderans inducere poterit animum Senatoris incertum, & titubantem ad certam sententiam in re graui proferendam, sed eam alijs, qui eam melius norint definiendam relinquere satius est, teste *S. Thoma 2. 2.*

*q. 53. art. 3. ad 3.* Quamuis in ipso tantorum patrum cœtu vix aliquid subitum, ac improuisum proponi possit, quod ab omnibus perfectè percipi nequeat; relatoris potissimum solertia, & prudentia rem claram exponentis, & ante oculos omnium certis, & definitis lineis, signisque describentis.

Si tamen accidat, vt incuria litigantium aliqui ex patribus non sint de re, quæ proponitur edocti; tunc quidem his dandam esse dilationem nemo dubitabit, ex his, quæ tradit *Alex. cons. 59. num. 6. lib. 4.* & vt culpa suas teneat authores; prout etiam si causa adeo controuersa sit & ad exemplum, vt longiori tempore indigeat; tempus vtique aliud, ac largior dilatio deliberare volenti non erit deneganda, intra quam possit omnia complecti, exemplo & agricolæ, & viatoris relato ab eodem *Paleoto q. 5.* ita tamen, vt nec celeritate, nec cunctatione sententia videatur prolata vtsupra dicebamus *cap. 4* & probat *tex. in c. ponderet 50 distinct.* (Quamuis si casus daretur, qui nullam dilationem ferret, sed opportunitate illius temporis momentanei etiam vti oporteret, ad Deum dirigendi sunt oculi nostri, si ignoramus quid agere debeamus, vt nostrum dirigat consilium ad ea, quæ vtilia sunt pro fine consequendo, vt docet *S. Thom. 2. 2. q. 51. art. 1. in solut. 3. item q. 53. art. 4. in respon. ad. 1. & q. 52. art. 4. in corpore*, & probat *S. Aug. serm 68. de tempore.*) Hinc Demosthenes, vt refert *Plutarc. lib. de lib. educ.* cùm ad consulendum accerseretur à populo, restitit, non enim instructus sum, dixit. *Neque hanc nullo cum authore mendacem traditionem esse fortasse dicas, cum ille in oratione contra Midiam cogitationis vtilitatem palàm adducat*, hunc in modum inquiens. *Ego viri Athenienses, considerasse me fateor, & quantum in me situm est, præmeditatum vehementer esse non inficior. Miserandus enim certe forem, si ita dispositus accessissem, vt quæ de hisce rebus acturus sum inconsiderata præterijssem.* Scribit Seneca de quatuor virtutibus. *Prudentis proprium est, examinare consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi, de dubijs non definias, sed suspensam tene sententiam.*

Apud antiquos reperies petitam fuisse dilationem ad respondendum. Sic enim Cicero in oratione ad Quirites; *pro reditu suo P. Lentulus Consul simul ac de solemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quàm de me agendum iudicauit, atque eo die confecta res esset, nisi is Tribunus Plebis, quem ego maximis beneficijs Quæstorem Consul ornaueram noctem sibi ad deliberandum postulasset. Postea res acta est in Senatu alia nulla &c.*

178 Rogatus quoque si sententiam dicere nollet, quia gnarus, respondebat sibi non liquere, his duabus litteris N. L. *Cicero in orat. pro Cluent.* Homines sapientes, qui neque absoluere hominem nocentissimum possent, neque re incognita primò condemnare vellent; non liquere dixerunt, alia reperies apud *Vlpian. in l. Pomponius § arbiter ff. de recep. arb. Paulum in l. Pomponius ff. de re iud.* & apud *Gell. lib. 14. c. 2.* Hinc Plaut. in Amphitryone.

*Iacent rationes, silet iudicium, quid dicam nescio.*

Sed vtrum hoc etiam liceat Senatori nostro videndum erit in sequenti.

## CAPVT XVIII.

*A sententia dicenda an possit se eximere Senator;*

IVdicis partes qui suscepit, finem se sua sententia iudicijs impositurum pollicetur, inquit *Vlpian.* 179 *in l. 13. Pomponius ait §. recepisse ff. de recep. qui arb.*, quod si facere negligit, culpa non caret; diximus enim iudicem negligentem, & iustitiam administrare recusantem peccare mortaliter, ac litem facere suam ex *D. Thom. 2. 2. q. 54. art. fin.*, & alijs. Idque contigit potissimum cum Senator votum suum proferre causat, quia negligentiam, & culpam committet *l. 4. ff. de his quæ in fraud. cred. l. in illa stipulatione*, & ibi *Bar. ff. de verb. oblig* optimus *tex. in §. si vxor instit. de inutil. stipul.* ibi, rectè facturum hominem si se ab illicitis nuptijs abstineat, vbi colligitur abstinere non esse factum, nam qui abstinet se, nihil facit, & tamen facere dicitur, & malè qui abstinet, quod etiam probat *tex. in l. vbi autem §. qui id quod*, & in *l. stipulationum §. item facto de verb. obligat.* quid prodest habere sapientiam, si consilium neges? si consulendi intercludas copiam; clausisti fontem, vt nec alijs influat nec tibi prosit, ait *D. Ambros. off. 2. c. 12.* Hinc Chilon dicebat, se sibi nullius facti conscium esse, cuius pœniteret hoc vno excepto, quod inter duos amicos arbiter ascitus, persuaserit alteri amico, vt ad alios deferret arbitrium, signum imperfectæ virtutis existimans susceptum munus deserere, ac amicitiæ causa leges non seruare. Hæc potissimum in Senatore consideranda sunt, cuius proprium, & peculiare munus est iustitiæ administratio, quam omnibus impartiri tenetur, & nemini denegare debet, vt pluribus supra probatum est. Et clarius probat ordo ille Regius sæpius relatus editus anno 1500. in hæc verba. *Et poterit ipse Relator arguere ad partes si voluerit, sed tandem concludere in alteram partem præcisè, non conditionaliter. Deinde alij Senatores, secundum quod exquirentur eorum vota, dicent eorum sententiam simpliciter vtsupra, & liberè secundum Deum, & conscientiam.* Quinimo secundum 180 *D. Menoch. de arb. iud. lib. 1. quæst. 43.* vix potest iudex etiam habens plenum arbitrium ad alteram diem citationis sententiæ definitionem differre, vt habetur in *l. duo ex tribus ff. de re iud. in l. si vret ff. de recep. arb. in l. 1. §. ex his legibus* in illis verbis *apud Collegium ff. de orig. iur. & per glos. in c. omnes de constit. Bal. in l. non ambigitur ff. de legib. & Ias. in l. si quis a filio §. si patri num. 9. ff. de leg. 1.*, sed teneri cum collegis sententiam dicere. Ergo multominus poterit in totum se abstinere, quia omittit ea, ad quæ tenetur.

Præterea, si Senator, Lector, aut Relator cau- 181 sam, quam expedire potuerit, successori suo reseruauerit; litem facit suam ex *Bal. in l. 1. §. sciendum C. de magr. conueniendis. Alex in l. properandum in prin. col. 3. vers. item facit iste tex. de iud. Fel. in c. si autem sub num 4. circa med. de rescrip.* non video quomodo se excusare possit à sententia proferenda, ex his quæ *Gaiet. in summa in verbo restitutio c 1*, & 182 *Nauarr. in manuali cap. 17. num. 21.*, & *Sot. de iust., & iur. lib. 3. q. 6. art. 2.* in fine scriptum reliquerunt, etiam si sententiam suam proferendo nihil omnino

pro-

proficeret, prout id *Gaiet. in verbo consensus*, vt puta si iam maior pars in contrariam sententiam iuisset, & contradicendo non posset actum impedire. *Ias. in l. quæ dotis num. 89. ff. sol. matr.* si enim vocem non emisit, scire non potest, an alij sint in contrariam sententiam ituri, eosque posse in suam trahere, vt ait *Innoc. in c. 1. de his quæ fiunt à maior. par. cap. cuius dictum* pro singulari sequitur *Abb. ibidem, & in c. contingat col. fin. de elect. Annan. in c. veniens de simon. Alex. in l. quæ dotis ff. sol. matr., & Fel. in c. cum omnes num. 11., & 12. de constit.* prout apud *Salust. in Catil.* Syllano contigisse legimus, qui antè suam sententiam deprompserat, audita Cæsaris sententia, suam ipsius sententiam mutauit: potissimum, cùm nec Præses, nec alij Senatores metum inferre nec possint, nec soleant, vt aduertit *glos. in auth. de man. prin. §. si quis autem collat. 1.* addenda sunt quæ *Dion de Tiberio* scribit *lib. 57.*, & quæ tradit *Plut.* num seni geren. respub. nimirum; multas manus vincit prudens, vnum licet, consilium. Et vnica sententia ad persuasionem concinnata, in publicis negotijs non modo maxima, sed & pulcherrima efficere potest.

Et licet iudicibus imperitis ad euadendum pœnam a statuto eisdem comminatam, vbi intra tempus limitatum non iudicent, duplici via sit consultum, primò, vt dicant, condemno, & absoluo prout condemnandus venit, vel absoluendus, per *l. 3. C. de sen. quæ sine cert. quant. profer.*, & quæ tradit *Abb. in c. pen. de iud.*, vbi etiam *Fel. in pen. col.* Secundò, vt absoluat partes ab obseruatione iudicij, iurando de causa sibi non liquere, secundum doctr. Ang. quam sequuntur *Castren., & Alex. in l. si vni de re iud., & Fel. in d. c. pen. de iud.* tamen in hoc dominio prædicta sibi locum non vendicant, quia iudex tenetur difinitiuè pronuntiare, vt per nos in *tit. de app. §. 11. glos. 2. per totam, & glos. 3. num. 11. 12., & 13.* Et quo ad Senatorem indecorum esset talibus vti, iuxta sententiam illius mulieris viduæ, quæ appræhenso pede Traiani equitantis, petebat sibi ius reddi de nece filij sui, dum accepto responso illo, satisfaciam tibi cum rediero, replicauit illa, quid si non redieris? At ille successor meus tibi satisfaciet. Illa vero, quid tibi prodest, si ab alio beneficium accepero, cum tu mihi debeas ius reddere, turpe est enim quod per te facere potes ab alio expectare. Hinc *Alciat. in cons. 36. lib. 2. de Senatore.* Loquens, coram quo diu litigatum fuerat, & causam ad iudicem ordinarium remittere volebat, dixit non conuenire, vt de litibus lites serat, sed eum debere circuitus omnes amputare, & causam sententia sua definire, iuxta *l. cum fundus §. seruum tuum ff. si cert. pet.* Tenetur enim munus quod suscepit, & se exerciturum iuramento suo firmauit vt supra *glos. 4. cap. 5.* diligenter exercere, ne fidei violator iniquus dicatur, vt ait *S. Aug. lib. 5. de doctr. Christ. c. 36.* maximamque culpam subeat, vt supra dicebamus in *glos. 3. cap. 1, & 32.*, & tradit *Card. Paleot. de sacr. consist. consul. par. 4. q. 10, 11., & 12.*

## CAPVT XIX.

*Sententiæ dicendæ modus quis melior.* 1

Senatorem officio suo nullo modo satisfacere, si vtatur taciturnitate, velitque se eximere à dicenda sententia, sed teneri votum suum libere proferre, iam ostensum est. Sed inter varios sententiæ dicendæ modos quisnam congruentior cæteris sit habendus, non satis liquet, stante causarum ipsarum varietate, quæ eos nec certa sub regula comprehendi, vt habetur in *l. 4. præscrip. verb. in l. cognitionum numerus in prin. ff. de var., & extraord. cogn.* nec certis sub verborum formulis explicari permittit. *l. neque leges, & l. non possunt ff. de leg. iuncta l. sed etsi vers. multi enim casus ff. ex quib. caus. maior.* Illud tamen certum erit ex varijs circumstantijs causæ, loci, temporis, personarum interdum fieri posse, vt qui simpliciter annuit, sapienter egisse, qui rationes haud necessarias affert, minus iudicio valuisse sit censendus, vt aduertit idem *Cardinalis Paleotus d. p. 4. q. 12. de sacr. consistorij consultat*, vbi subdit. Quid si res admodum clara euidensque sit? Quid si anterioribus patrum suffragijs latè examinata, atque approbata, vt nihil, quod momenti sit, addendum relinquatur? Quid si aliquorum fortè prolixitas, negotiorum reliquorum necessitas, mora iam longa peracta, & aliud tale, celeritatem in re minus necessaria postulent? Hæc, & similia homines iudicio præditos satis admonere possunt, quæ moderatio sit in his adhibenda. Nam vt de primis dicamus, cæteris prætermissis, quæ eandem excusationem habent pro vario rerum, quæ tractantur, temporumque statu; poterit assensus, quamuis non expressus, aut solo verbo, PLACET, præsertim in causis notioribus, & alias definitis vtiliter aliquando probari. 183

Idem, & de ijs affirmari potest, qui rem propositam nudè tantum commendant, & probant. Nam quando nihil nouum occurrit, & satis iam de negotio dictum fuit, instatque tempus discedendi; videtur consiliarij prudentis esse, non repetere ea, quæ iam in medium adducta fuere, aut noua oratione rem actam probare, siue intempestiuis digressionibus audientium aures plus æquo onerare, vt ait *Plut. de Garrulit. propè finem.* Sermonis quippe saturitas, non minus auribus inimica est, quàm immodicus cibus corpori, ait *D. Nazianz. orat. in 8. Pascha.* Sed sufficit verbo aliquo suam sententiam significare.

Verum est tamen illud, quod quando occurrunt negotia, quæ constant ex multis capitibus, & indigent varijs distinctionibus; non videmus quomodo fieri possit, vt omni ex parte sententia, quæ ab alijs profertur, ita placeat, vt nihil occurrat aut addendum, aut minuendum, siue mutandum, sed omnia capita vndique probentur. Quare si tunc Consiliarius vtatur verbo, PLACET, aut COMMENDO, quæ dicta sunt cum non placent omnia, aut cum aliquid occurrit, quod ei vtilius videtur, sine dubio non leuiter peccat, quia negligit officium suum.

Quod vero spectat ad generalem illam alteram secundam respondendi rationem, quando scilicet

res proposita, minime probanda Consiliario videtur, quin planè reijcienda. Et hic, vt omittamus eos, quorum subtilia, & ignea ingenia, vt dicebat ille *Quint. Cur. lib. 4. Thucid. lib. 3.* in assiduo motu versantur, & nouandis, quàm gerendis rebus sunt aptiora, habentque vt dici solet, spiritum contradictionis; quo, si quid auctoritatis in ipsis est, plerumque destruunt, ex *Tacit. 1., & 4. annal.* hos enim à Senatorio ordine, quo pax Ecclesiæ quæritur, abesse existimandum est: de his duntaxat loquemur, qui pro eo, quem habent rerum vsu, maturaq; præeunte de rebus præpositis cogitatione, non possunt non diuersam interdum ab omnibus, aut a maiori parte sententiam amplecti. Qua in re duo in primis illis maxime obseruanda esse arbitramur.

Primum est, vt quod dicturi sunt, cum ab aliorum opinione discrepant; id sibi validis, firmisque rationibus, ac verborum compendio probandum esse sciant.

Secundum est, vt quoniam aliorum dicta erunt diluenda, & pauci sunt, qui placidè, ac moderatè ferre soleant sententiam suam ab alijs improbari; idcirco memoria illud teneant, quod *Cardinalis Papiensis in ep. suis ad Franc. Card. Gonzagam Mant.* prudenter scriptum relinquit, nempè his maxime studendum esse, vt omni verborum, ac vocis honore cum alijs agant, & quàm mitissimo orationis genere causas proponant, cur hoc, quod ipsi afferunt, cæteris vtilius esse arbitrentur, simulque fidem aduersantium sic laudare contendant, vt si illi errasse iudicio cognouerint, probari tamen officium gaudeant.

Inter cætera vero fugiant contentiosas omnes voces, atque eos loquendi modos, quibus se plus cæteris vidisse significare possint; neque tamquam certum, & exploratum idipsum, de quo agitur, velint affirmare; cum ea, quæ consultantur sint contingentia, vnde nulla est necessitas, vt hoc potius, quàm illud, adeo constanter, nedum pertinaciter ab vllo asseueretur, satisque vnicuique esse debeat, se muneri, & conscientiæ suæ satisfecisse.

Superest tertia generalis respondendi ratio eorum, qui nihil explicitè affirmant, aut negant: quod multipliciter contingere potest. Nam præter ea, quæ ex diuersis quæstionibus supra tractatis colligi possunt, non desunt, qui propter magnam rei grauitatem, sibi non liquere dicunt: cumque assensum ob summam iudiciorum diuersitatem sustineant, negotium amplian dum, vt ait *Cicero pro Cecin*, ac vt olim dicebant comperindinandum, ex eod. *Cicer. de clar. orat.*, & in *Verrin. 1., & 6., & Aul. Gel. lib. 14. cap. 1.* sentiunt, vt de eo maturius deliberetur.

Sunt alij, qui rem præpositam in plura capita distinguunt, ac pro rerum varietate, quæ considerari possunt, aliter, atque aliter respondent veteri more, de quo *Cic. lib. 1. ep. famil. 9. Plin. ep. 8. Aristeni. Ascon. in orat. pro Milone*, plurium sententias diuidunt, ac diuersis inspectis casibus eas conciliare nituntur: quod magni sæpe ingenij, ac prudentiæ est argumentum.

Sunt item alij, qui totam administrandi rationem ab ea prudentiæ specie, quam politicam vocant, pendere putantes, ad eam deliberationes omnes referunt, similes illis vt ait *Arist. 6. Eth. cap. vlt.* qui dicebant facultatem ciuilem dijs debere dominari: quam etiam dijs ethnici tribuebant, quoniam illa legem imponit omnibus rebus, quæ ad constituendam, regendamque ciuitatem sunt necessariæ, quod ille valde absurdum affirmat: inde enim sequeretur, vt diuina subessent humanis.

Rursus alij sunt, qui nihil explicitè pronuntiant, sed tectis, compositisque verbis ita responsionem concipiunt; vt ad vtramque partem possit accommodari, more carminum Sybillinorum, quæ adeo artificiosè contexta fuisse perhibentur, vt quicquid accidisset ab ipsa Sybilla, vt scribit *Cicero lib. 2. de diuinat.* prædictum fuisse videretur.

Alij de industria adeo obscurè loquuntur, vt quod de Rhetore quodam scribit *Quintilianus lib. 8. cap. 2.* qui nihil aliud discipulos suos docebat, quàm vt sermonem dicendo obscurarent vtens græca voce sic ipsi omnia sermonum tenebris inuoluunt, vt se non vulgaria quædam, sed admirabilia, ac paucis cognita enuntiasse demonstrent, aut affectuosa quadam prudentiæ specie sic omnia sua abdunt; vt nihil difficilius sit, quàm quid in animo gerant, in quam partem declinent, quid denique cupiant, ex eorum ore vel machinis admotis extorquere.

Sunt & alij, qui in texendis longis sermonibus, atque in digressionibus suis tuendis libenter spatiantur, qui ad tollendas dubitationes adhibiti, maiores perplexitate, ac prolixitate sua implicant, & inuoluunt se: de quibus *Salamon. prouerb. 1.* ait. Comedunt fructus vineæ suæ, suisque consilijs saturabuntur, quod *S. Gregorius lib. pastor. 3. par. cap. 19.* ait, quia plus de se ipsis, quam sunt, sentiunt: & dum rectis aliorum suasionibus foris superati refugiunt, intus à superbia in captiuitatem rediguntur.

Has quidem respondendi varietates, de quibus modò diximus, quamuis constet collegij nostri Cardinalibus pro sua eorum prudentia non conuenire; quia tamen quædam huiusmodi futuris posset temporibus emergere, duximus eas obiter hic attingendas, vt hinc quam maiore sint laude digni illi, qui huiusmodi vitijs carent, apertius cunctis patere possit.

Reliquum est nunc, vt, quod initio propositum fuit ex omnibus ijs respondendi generalibus rationibus, quænam potior censenda sit, aperire studeamus. Qua in re occurrit nobis, quod *Seneca sæpius admonuit. ep. 22.* Quid fieri oporteat in vniuersum, aut quemadmodum ex longinquo, nemo suadebit, cum rebus ipsis deliberandum est, vigilantis est captare properantem occasionem. Alio in loco *ep. 71. in princ.* scribit. *Magna pars consilij est in tempore, consilia enim rebus aptantur, res ipsa feruntur, immo voluuntur: ergo consilium sub die nasci debet, & hoc quoque tardum est nimis, sub manu, quod aiunt, nascatur oportet.* Et rursus *lib 4. de benef. cap. 33., & 34. In arduo est veri exploratio, satis est nos eò ire, quo ducit similitudo: omne hac via procedit officium: sequimur, quo ratio, non quò veritas trahit: fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus: His veritas mihi vestigijs sequenda est, certiora non habeo.*

Quamuis igitur ad tria respondendi genera initio quæstionis proposita; suffragia omnia in vniuersum redigi posse dixerimus: attamen inter hæc tria, quod præstet, & quod ex his magis deligendum, superuacaneum est inquirere. Quis enim affir-

affirmare ausit, eum prudentius facturum, qui rem in consilio propositam probet, quam qui improbet? aut aptius eum responsurum, qui negotium variè partiatur, quàm qui purè id explicet? Certè, qui plenè statum omnem rei perspectum non habet, non potest ex his difficultat bus emergere. Cùm verò sapere, vt dicebat Comicus, sit non modo, quod ante pedes est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere; pendet hoc à rei ipsius natura, proprijs circumstantijs sociata, quæ suum habet, certumq; portum, quò dirigi cuperet, dummodo nauigij vector eam illuc producere nosset. Quare, cùm ad quamlibet rem rectè perficiendam tria requiri soleant, posse, scire, & velle. *clem. quia contingit* §. *vt autem de relig dom.* non dubitamus nunc de eo, quod ad potestatem pertinet, quemadmodum Cardinales tenentur Summum Pontificem in gubernando consilio, atque opera sua adiuuare, & Reipub. Christianæ quatenus possunt subuenire. De voluntate etiam non ambigimus, cùm eosdem Cardinales iuuandæ publicæ rei maximè cupidos, & studiosos esse fateamur.

In tertio ergo tota versatur difficultas, vt norit Senator, quam potissimum rationem ferendi sapienter suffragij sui inire debeat: quam cognitionem a Deo eum in primis & petere, & expectare par est, ad quem si ex animo confugiet, spiritu intelligentiæ replebit illum, & tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, vt habetur *Eccles.* 39. & alias diximus. Quoniam tamen idem, qui rerum omnium conditor, & auctor est, inferiorum etiam causarum ministerio vtitur; dicimus Consiliarium etiam in audiendis, meditandis, inuestigandis, communicandisq; rebus necessarijs diligentiam, ac vigilantiam omnem ponere debere, atque illud tamquam certum, perpetuumque animo suo defixum gerere, vt maturè omnibus consideratis, nihil in suffragio suo ferendo amplectatur vnquam, quod conscientiæ suæ refragetur, eam vt ducem optimam sibi perpetuo proponens, quam sequatur. Quando igitur ea monente, & exstimulante, ille ex tribus superioribus respondendi modis, vnum sibi tamquam ceteris iustiorem probandum esse delegerit; tunc in singulis illis, quoniam varietates etiam multæ obseruari possunt, vt supra diximus; existimaremus nos, si iudicij nostri tenuitas aliquam hac in re ferre opem potest, quando primi ordinis responsio esset amplectenda, atque res approbanda, tunc, sicuti Iurisconsulti dicere solent, turpe esse sine lege loqui, sic aptiorem fore eam consilij formulam, quæ rem non nudè, sed rationibus, seu exemplis cum dignitate corroboraret, ijs tamen obseruatis, quæ supra attigimus.

In secundo ordine, quando res esset repudianda, ea censeremus diligenter obseruanda, quæ ex Cardinali Papiensi supra retulimus; vt scilicet rationibus efficaciter, verbis reuerenter, ac breuiter aduersus alios agatur.

In tertio autem, quoniam distinctiones, non quidem nimium subtiles, sed solidæ, & à rei natura ductæ, plurimum causas illustrare, sententias diuersorum conciliare, & negotijs terminandis plurimum prodesse solent, si negotium eiusmodi fuerit, quod distinctionem non incommodè patiatur, atque aliorum dubitationibus satisfacere possit; tunc illud præ ceteris amplectendum esse arbitramur, cum ab eruditis receptum sit, eum, qui nouit aptè distinguere alijs præstare, *l. nauis* §. *fin. ff. ad l. Rod. de iac. Salic. in l. filia cuius C. famil. ercisc. glos. & ibidem Salic. in l. apud antiquos C. de fur. Bal. in proem. ff. in prin. & Quintil lib.* 11. *cap.* 2. eo tamen adiecto, vt magna dicendi dexteritate hæc vbique proponantur, ne plus alij sapere, velle videamur. Hactenus Paleotus, cuius quidem rationes verissimæ quamuis existant, eo tamen tendunt; vt responsionem in consultationibus instruant, non autem sententiam forment inter actorem, & reum, vt plerumque in Senatu accidere solet, in quo, vel est absoluendus, vel condemnandus reus in ea causa coram Senatu proposita, atque ideo hac etiam in re erit à nobis aliquid pro ornatu solum tradendum, cum sciamus præstantissimorum Senatorum eam esse prudentiam, vt his nostris adminiculis nullo modo egeat.

Illudq; primùm, vt Senator instructus, & paratus, si fieri potest, veniat sententiam laturus, dicturusvè, iuxta *l. illicitas* §. *veritas ff. de off præs. & nos in c ponderet* 50. *distinct.* cum alijs latè à nobis adductis infra *tit. de app.* §. 11. ne de eo dicatur, quod de illo *Philippo in M Ant. de orat. lib.* 2. qui ita solebat ad dicendum surgere, vt, quod primum verbum habiturus sit, nesciat. Sententiam ipsam proferat secundum leges, decreta, statuta, constitutiones, & consuetudines, prout ipse tenetur, vt diximus supra *glos.* 4. *cap.* 5. & soleat Princeps leges ipsas obseruare, *c. iustitia, & c. ideo.* 28. *q.* 1. *Decian. cons.* 8. *num.* 23. *lib.* 1. *Iacob. de Graffijs c.* 8. *lib* 1. *num.* 18. eius decis. casuum conscientiæ, cum alijs infra per nos deductis *cap.* 36. *& pract. quæst. c.* 1. *plenius* § *seq. glos.* 3 *cap.* 6. vel saltem receptissimas Doctorum sententias, vt latè per *Viu. decis.* 1. *lib.* 1. *Tiraquell. de primogen. q.* 6. *num.* 5. *& Did. variar. resol. cap.* 17 *num.* 1 sequatur. 184

Omnino vero secundum acta, & probata, & quæ ex fide gestorum iustificantur, sententiam dicat, non autem quæ extrinsecus. *d. l. illicitas* §. *veritas. l. de qua re ff. de iud.* cum alijs multis per nos adductis in *lib.* 1. *quæst. tract. cap.* 1. Ex facti enim serie, vt supra dicebamus, ius ipsum oritur, quod à iudice sequendum est tamquàm regula agendorum, ex *Arist.* 5. *Eth. Ægid. de regim. prin. lib.* 3. *p.* 2. *c.* 20. Constat enim ius ipsum secundum *Auth. ad Heren. lib.* 2. *Cicero in topic. Quintil. lib.* 7. *cap.* 5. ex his partibus, natura, consuetudine, iudicato, æquo, & bono, pacto, & lege. Et ideo nihil ex arbitrio fingendum, vel æquitate imaginaria, affectatavè componendum, vt infra *dicto c.* 36. *& in* §. 3. latissimè. Sed iuxta motiuum suæ conscientiæ, & puram conscientiam in Deum, secundum *Afflic. in constit. lib.* 1. *rub.* 45. *num.* 59 subdentem graues personas non loqui, nisi quod credunt, vt dicit *Bal. in l. testium C. de testib.* & iuxta leges, idem *Afflic. vbi supra num.* 61 omne enim, quod non ex conscientia fit, tristeest, & peccatum; vt ibi per eum plenè. 185

Loquatur, non assentiatur signo, vt antiqui solebant, nimirum vultu, pedibus, aut manu, vt quandoque apud antiquos obseruatum fuisse dignoscimus, apud quos vsus pedum erat in discessione, manus vero in sessione, aut statione, cum ea ex porrecta sententiam aliorum se significarent approbare. Sic Vopiscus in Aureliano. Deinde alijs 186

ma-

manus porrigentibus, alijs pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est Senatusconsultum. *Seneca ep.8. Non videor sibi plus prodesse, quàm si in Senatu candidato vocem, & manum accommodarem*. Tacit. lib. 4. Histor. *Ceteri vultu, manuq; pauci quibus conspicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum erat compositis orationibus assentiebantur*. Rationem loquendi aperuimus supra cap. præcedentibus.

187 Nec exemplis solis moueatur, dicente *Seneca ep. 99. Vitium est ad plurium exempla componi, nec quid oporteat, sed quid soleat aspicere; bono enim viro ad rationem omnia reuocanda sunt*, idem habetur *in l. nemo C. de sent.* & latius per nos *pract. quæst. lib. 1. cap. 31.* & infra §. 2. *par. 2. circa prin.*

188 Non etiam ex suo, aut alieno sensu, sed ratione, sententiam dicat ex actis firmatam, ac talem, quæ rem omnem diffiniat: sunt enim aliqui adeo natura pugnaces, vt ait *Tac. 1. Histor.* vt tantùm sententijs aliorum contradicant, qui consilij, quamuis egregij, quod non ipsi afferunt inimici, & aduersus peritos peruicaces; ac vt ait *Horat. ad Quin. epist.*

*Sed vereor, ne cui de te plus, quàm tibi credas*.

Plura ijs similia supra *glos. 1. cap. 5. circa finem*. Iterum *Tacit. 15. annal.* si quid auctoritatis in ipsis est, crebris contradictionibus destituunt. *Et 1. annal.* Tiberium vigentem annis, sedentem in Senatu verba, patrum cauillantem arguit *Tacit.*

Sed si videat Relatoris, aut aliorum sententiam superactis fundari legibus ipsis, æquitativè niti, breuibus eam probet, etiam solo verbo, *places*, aut syllabis. Idem vtsupra; quod & antiqui obseruauerunt, teste *Varro. dum de Senat. cons.* per discessionem, sic ait. *At tum maximo discendebatur tantum, cum res minime dubia esset*. Si vero aliquam præseferat dubitationem, rationibus, & legibus erit submouenda, verbis tamen aptis, adhibitis etiam declarationibus, & distinctionibus, quæ rem ipsam clariorem reddant, vt supra ex Paleoto.

Non metuat autem illud, quod est in prouerbio, amicos, odium, & quasi vt parasitus ille in Teren. *aiunt, aio; negant, nego*. Nec vt Nicias, de quo scribit *Plut. in comparat. Ipsius cum M. Crasso, neque lucro causa in Senatu sententiam dicas, nec facinorosos homines subtrahas iudicijs*. Veritatem vero sequatur; & vt ait Plut. de Aristide in eius vita 24. *Non tacerem si qua contra rempub. essent in medium afferret Themistocles; qui & ipse cuidam respondit. Neque tu bonus poeta esses si modos, & numeros in canendo contemneres, neque ipse bonus prætor si gratiam cuiusquam legibus anteferrem*, vt apud *Plut. in ipsius Themist. vita 11.*, & licet vt ait *Plin. ep. 9. lib. 3.* fides in præsentia quibus resistit, offendat; deinde tamen ab illis ipsis suscipitur laudaturque. Quinimo improbi sunt ex *Tacito annal* 11. qui veri copiam non faciunt, sed suspensa de quo ducantur inclinatura respondent. Hinc *Suet.* inquit fuisse Augusto obiectum licere oportere Senatoribus de repub. loqui, & vera, & hæc ex actu quodam iustitiæ secundum *S. Thom. 2. 2. q. 109. art. 3. in corpore, & ad 3.*

189 Breuitatem in Senatore commendat *Cic. 3. de legib.* eamque comprobat *Rebuff in l. fœmina §. Senatores num. 1. ff. de Senat., & Forster. in hist. iur. ciu. tit. de Senat. cons.* Meditatam, si fieri potest, ac compositam orationem adhibendam esse docet *Suet. in August.* inquiens. *Nam deinceps neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus est vnquam, nisi meditata, & composita oratione, quamuis non deficeret ad subita ex temporali facultate.*

Cauendum est etiam, ne alio quopiam interrogato responsionem occupet; nam non satis honestum est, neglecto eo cuius responsum expectatur, vltrò se offerre, videtur iudicare, interrogatum quæstioni non posse satisfacere, ordinemque perturbat; dum sic anteuertit respondendo, interroganti exprobat, quasi nesciuerit ab eo petere à quo responsum petere possit, tandemque & petulantia, & audacia vtitur.

Liberè loquatur, explicataque oratione vtatur, 190
non autem obscura, vt per *glos. in c. 1. §. libere de elect., & Bart. in tract. scism. post tit. si alij test. prohib.* signum est enim animi sinceri, & iusti liberè loqui, teste Propheta. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar*: contra vero arguitur ille, qui tacet, cum loqui deberet, ab *Isaia cap. 6. Veh mihi quia tacui*: & Dauide Psal. 31. *quia tacui inueterauerunt ossa mea*, facit *c. si rector 43. distinct., & Eccles. cap. 3.* Vitandus est Tiberius, de quo *Tacit. 1. Annal.* Retulit tamen ad Senatum de rebus gestis, multaque de virtute eius memorauit: magis in speciem verbis adornata, quàm vt penitus sentire crederetur. Ille vero *2. Annal* imitandus mox libellos, & auctores recitat Cæsar, ita moderatus, ne linire, neuè asperare crimina videretur.

Potissimum Relator liberè loqui, clarè, aptèq; 191
sententiam suam aperire debet rationibus munitam, vt ex ipsis alios alliciat ad ea, quæ potiora; vtilioraque sunt amplectendum. Sic enim docet *Salomon. prouerb. 1.* inquiens. *Da occasionem sapien-*
*ti, & sapientior erit*. Et *Cassiod. lib. 5. ep. 40.* Inter- 192
pellant ium confusas quærelas distincta nimis, ac lucida relatione narrabas. Non etiam velit alios in suum sensum arte trahere, vt factitasse *Tiberium plures Xiphil., & Dion.* scripserunt, dum diceret. Si mihi statuendum aliquid fuisset, hæc aut alia exposuissem. Præterea oportet animaduertere inquit *Cic. 1. de inuent.* ne cum aliter multa sint iudicata, solitarium aliquod, aut rarum iudicatum afferatur, nam his rebus auctoritas iudicati maxime potest infirmari.

Tandem & sententiam ita proferant, vt con- 193
demnati se iuremeritò condemnatus agnoscant, vt ait *Ias. in præfat. 1. par. ff. vet., & c. quem sequitur Osasc. decis. 1. sub num. 12. in fine*. Aggrippinus enim imperans conabatur eis, quos damnabat persuadere, quod ipsis expediret damnari, non enim tanquam inimicus ipsis, aiebat, nec vt latro sententiam contra eos fero; sed veluti tutor, & curator ipsorum: quemadmodum, & medicus hominē secandum consolatur, & se ipsum exhibere persuadet. De Valente *Ammian. Marcell. lib. 27. c. 8.* sic scribit. *In examinandis vero litibus ante alios id impetrauit, quod laudando Brutum Tullius refert, vt quum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur quæ faciebat*, & ita scribi studeant, vt omnem litem amputent, secundum not. à *D. Menoch. de arb. iud. lib. 1. q. 60.* ne ad instar legum Solonis multos sensus præseferens ipsa, vim iudiciorum augeat. Prudentis enim hoc proprium maxime munus est, rectè consulere, vt tollatur litigandi ars, & studium, ait *Nicom. cap. 7., & Cicero pro Cluen.*

*Cluen*, dum ait. *Iudices omnes solent in iudicando, ne ab aliorum iudicijs discrepent, prouidere; potissimum, eum status reipub. maxime iudicatis rebus contineatur*, ex *Cic. pro Sylla*, & turpe sit, dum vnus finis speratur, alteri initium præstari, ait *l. Si quis iusiurandum C. de reb. cred.*, *& l. terminato C. de fruct.*, *& lit. expen.* nefas est litem alteram consurgere ex litis primæ materia, probat etiam *l. 4. §. ait prator ff. de re iud.*, *& Nouell.*, vt si plures filij non sint §. *quod si minus agat constit.* 18. Consultandis rebus oportere ad plenum prospicere, non autem partem absoluere, partem erroribus implicitam relinquere, quæ difficilioribus adhuc controuersijs materiam præbitura sit. Decipere hoc quidem, ait *Cicero de off.* 1. non iudicare est. Leuant enim modo, vt *Liu. ait*
6. *Dec. 3 lib. 4.* velut corpus ægrum quo mox in grauiorem morbum reincidat. Sciunt omnes reipub. interesse, lites cito expediri, vt ait *tex. in 1. const. Cod. ad fin.*, & ibi *Bar. ac Bal.*, *& in l. fratres C. de transact. Alex. cons. 50. num. 8. lib. 2. Dec. cons.* 385. quia in his velut ciuilium bellorum fomentis, summa reipub. versatur vtilitas. Quod omnibus Magistratibus cordi, & curæ esse debet. Ii etenim ita sententias ferre debent, vt de legibus ferendis admonet Isocrates Regem suum Nicoclem, eas scilicet vt leges ferat, quæ nullius litis habeant seminarium, vel exortas controuersias statim dirimant. Cicero laudat Seruium Sulpitium non tam ob admirabilem, & pænè diuinam iuris scientiam, quam quod semper maluerit litium controuersias tollere, quam actiones instituere. Qui hæc obseruabit, & faciet, præsentis vitæ habebit subsidium, & æternæ remunerationis consequetur præmium, inquit *tex. in c. bona 12. q. 2.*

Sententias de scripto ferre debent Senatores, quamuis olim licuit Præfect. præter eam dicere vt infra.

194 Erit insuper scribenda sententia nomine Regio, vt vsu receptum est, & cauetur ex antiqua illa Senatus erectione his verbis. *Senatus sententias, ordinationes, decreta, cæteraque sua ordinamenta sub no-*
62. *mine nostro faciat, & expediat.* Debet etiam secundum linguam communem scribi, non secundum propriam, vt ait *Mars. Laudens. de Prin. q 251. per tex in auth. de non alien §. alienatio.* Intra modum causæ contineatur. Nam quod extra modum fit, licet putetur quibusdam esse gratum, tamen prudentibus fraude carere non videtur *Xiphil.* teste in *Iuliano.*

Quæ olim in dicendis in Senatu sententijs fuerit obseruata forma describit ordo ille anni 1500. de quo per nos supra hac *glos. cap. 3. sub num. 20. vers. ipsi vero audiuerit.*

195 Obseruata vero veterum in concipiendis sententijs verba habemus ex *Brisson. select. iure ciuili antiq. cap. 2. lib. 2.* alia & nos supra *glos. hac cap. 6. num. 96.* Addas nunc olim in capitalibus causis adhibitos Iudices, non vocales, sed tabellarias tulisse sententias. In tabellis enim sententiam suam scribentes in vrnam mittebant, ita vt alter alterius, & omnes omnium sententias ignorarent, sic *Cicero 6. in Verr. act.* Proh dij immortales, quem ego hominem accuso, quem legibus, ac iudiciali iure prosequor, de quo vos sententiam per tabellam feretis, & alibi in *orat. pro Aul. Cluent.* Cum hæc sunt videnda, tum vero illud est homines magni iudices, atque sapientes, quum illam iudicandi causa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque concupiuerit licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatesque omnes amouere.

Interdum quoque sententiæ clam, & de scripto ferebantur, nonnunquam etiam palam; vtriusque iudiciorum generis meminit *id. Cicero in orat. pro A. Cluentio*, dicens, *cum in consilium iri oporteret, quæsiuit ab reo C. Iunius Quæstor*, ex *l. illa Cornelia, quæ tùm erat, clàm, an palam de se sententiam ferri vellet. De Oppiniaci sententia responsum est, quod is Habiti familiarem Iunium esse dicebat clam velle ferri.* Alibi quoque idem Cicero in *lib. de leg. 3.* de his sententiarum generibus disserens, id magis probat, quod per vocem fiebat. *Ego*, inquit, *in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil vt fuerit in suffragijs voce melius.* Et rursum, *grauiora*, inquit, *iudicia de potentissimis hominibus extant, vocis quam tabellæ.* Ferebantur autem huiusmodi tacitæ per tabellam sententiæ, ne censentes in odium, & offensionem cuiusquam incurrerent: quanquam, & aliquos de scripto etiam sententias suas dixisse literis proditum sit, ad euitandum memoriæ periculum.

---

## CAPVT XX.

*Dubia in re quomodo iudicandum?*

IN re dubia casum esse pro amico permulti Doctores voluerunt; alij vero mediam viam esse eligendam, præsertim si vtraque pars tractat de lucro hos recenset *Tessaur. decis. 89.*, *& 206.* vbi docet etiam non posse dari casus pro amico, sed vt ipsæ ait, præstari quidem diabolo, quod etiam in præfatione ante dixerat; rationemque reddit eam esse, vt iudici liceat tantum, vel dicere sibi non liquere, vel in fauorem vtriusque partis sententiam proferre rem ipsam diuidendo, non autem pretio, vel amore alterutri totum conferre; ius enim semper certum est, quamuis in scientia nostra quandoque incertum reddatur *l. sed si restituatur §. fin. ff. de iud* quæ ignorantia alteri obesse non debet: Propterea in remedio restituendæ possessionis à pluribus intentato, in quo probationes sint æquales, dixit idem *Tessaur.* sibi videri, eam opinionem esse veriorem, quæ tenet possessionem diuidi debere, Subditque *d. decis. 206. num. 13.* Iudicum animas, qui ignorantia ducti pro arbitrio rem meam auferunt, & alteri dant, ad inferos detrudi, ex *Virgil. Æneid. 6.* 196

*Hi sunt, qui leges figunt pretio, atque refigunt.*

Est enim iustitia constans voluntas ius suum vnicuique, non soli, tribuens.

Quoties tamen ambiguitas esset in actione, interpretatio erit facienda in fauorem actoris, vt per eundem *Tessaur. dicta decis. 89. in fine.* Sicut enim agricola cum euellit syluestre germen, & infrugiferum, ibi validè impacto ligone, subuertit radicem, aut admoto igni accendit; ceterum cum vitem aggreditur putandam circumspecte manum admonet, ne quid ex his, quæ sana sunt, resecet; Itidem Iudex postquam affectus omnes amouerit, amico etiam rem alienam retinenti nihil condonet,

net, sed eam domino mandet restituendam.

In conflictu vero opinionum si casus est obscurus, sequenda erit Antonij Philosophi sententia, quæ, vt Capitol. testatur, talis est. *Æquius est, vt ego tot, taliumq; amicorum consilium sequar, quam tot, talesq; amici mei meam vnius voluntatem*; quæ quidem sententiam firmatur per *tex. in c. ne innitaris de constit.* cum alijs adductis per *Ant. Mar Corat. in tract. de comm. opin. lib. 2. tit. 9.* Trita est etiam regula illa, Factum a maiori parte capituli ratum esse debere. Si etiam pro aliqua parte extat communis opinio, res non amplius dicitur dubia, sed clara, ex *Put. decis. 235. num. 3. in 3. par.* magnum enim est veritatis argumentum, cum plures inter se conueniunt, ac sapientis est, veritatem propositam agnoscere, & ei libenter adhærere. Hæc enim, secundum *D. Ambros. 1. de off.* sunt arma iustitiæ, vt cedendo vincat, sicuti periti iaculando cedentes vincere, & fugientes grauioribus insequentes vulnerare ictibus.

Sed si æquales sint rationes vtrinque, quæ iudicis animum non magis in vnam, quam alteram inclinent partem; debet is ratione veræ, ac propriæ dubitationis rem, vt iam diximus, diuidere, prout ita se fecisse *Ant. à Butr. & P. de Anchar.* scripserunt in *cons. 210. per tex. in l. & hac Tiberius ff. de har. instit. in c. afferte de præsumpt.* & similibus ab eis relatis, quam sententiam sequuntur alij citati ab *Asin. de execut. §. 3. cap. 137* Pro hac parte optimè *Iann. Langlaus semest. lib. 5. c. 4.*

## CAPVT XXI.

*Præsidem, vel Senatores si causa tangat quomodo agendum: Quando Præses, Senator, vel Senatus dici possint suspecti.*

197 IVdicia omni ex parte libera esse debere, ne tristissimi sequantur euentus, voluit *l. cum specialis (est enim fin.)* vbi *Alex. de iud.* & multis probarunt *Rol. cons. 19. in prin. lib. 3. Osasch decis. 15. num. 5* quod & nos capitibus superioribus demonstrabimus.

Ideo vbi causa tangat Præsidem, vel Senatores; eos, dum vota colliguntur, abesse oportebit, ex his, quæ supra scripsimus. *glos. 4. cap. 3. sub num. 21. vers. Quarta causa fuit.* Et quæ tradit *Fel. in c.*
198 *edoceri de rescript. vers. omittitur consilium suspectum. Capit. decis. 138. num. 5.* vbi *Prosper Petra, & Massallus in addit.* qui allegant etiam pragmaticam statuimus illius Regni, adducit quoque ordinem Regni Britannicæ Celticæ, *Iannus Langlaus semestr. lib. 2. cap. 4.* Idem tenet *Curia Pisana lib. 1. cap. 9.* Atque ita fieri iubet Rex noster in ordine anni 1581. de quo paullo infra; & alio 1604. de quo supra *num. 128.* Hoc ipsum consueuisse antiquos, nimirum cum de re propria ageretur, recedere, testes sunt *Plut. in Marcello 47. & 48.* de quo etiam *Liu. Dec. 3. lib. 6.* in hæc verba. *Et quoniam & Siculorum, & mea verba audistis P. C. simul templo excedemus, vt me absente liberius consuli Senatus possit. Ita dimissis Siculis, & ipse in Capitolium ad delectum discessit.* Et paullo post. *Missis duobus Senatoribus in Capitolium ad Consulem, vti rediret in Curiam. Et introductis Siculis Senatusconsultum recitatum est.* Et *Valer. Max. lib. 4. cap. 1.* Tradit etiam *Pedianus in orat. pro Cornelio*, factum fuisse Senatusconsultum, cum bello Italico multi varia lege damnarentur, ne interim quis accusare posset, dum communis ira deferueret, ne iudices suam potius iniuriam vindicare; quàm iudicare viderentur.

Non tamen denegandum est Senatori, quin intersit (quamuis pro suspecto habitus fuerit) facti relationi, ac Aduocatorum disceptationi eo tantùm tempore, quo & partes ipse, & alij quicunque intersunt. Rationi enim consentaneum est, vt ij præsentes sint; cum etiam si propria ipsorum caussa referretur, vel diceretur, non prohiberentur, multo magis si aliena in qua suspecti perhibeantur. Quod verbis Regij decreti non repugnat, 199
quæ ea sunt. *Non sia presente, ne assista, non che al votar, ma ne anche nel referir, & al trattar della causa.*

Copulatiuè siquidem loquitur, quando refertur, & tractatur causa. Copulatorum vero, tunc demum fit concursus, quando semotis arbitris causæ merita inter Senatores pertractantur, discutiunturque, & hæc passim in Senatu accepta sunt.

Causas suspicionis retulerunt scribentes *in c. cum speciali, in c. proposuit, in c. postremo de app* vbi *Fran. 40. & Præpos. 75.* enumerat *Papien. in forma declinat. iurisdict. § & in quantum cum §§. sequent.* vbi etiam *appostill. Albens. cons. 92. Fran. in c secundo requiris de app. Ioseph. Ludou. decis. Perus. 108. Capit. d. decis. 138. Rol. cons. 19. lib. 3. Borgnin. decis. 28. num 114.* qui remissiuè 84. casus recenset, *Mulanens. decis. 15. parte 1. Carol. de Grassis in praxi de excep. excep. 24 Carauita ritu 265. Ian. Langlaus locis de quibus infra; & Maynard. decis. p. 175. & plur. seq.*

Neque suspiciones cessare debent ex eo solum, quod sit vir bonæ, & honestæ vitæ, vt per *Nattam cons. 274. num. 9 Decian. resp. 25. num. 16. lib. 1.*

Hæ autem causæ videntur habere locum contra 200
Senatorem tantum, non autem contra totum Senatum, tum ex iuris dispositione, tum ex Senat. cons. & ordinibus Regijs, de quibus supra. Sic enim Decretum loquitur editum anno 1580. *Qui Senatores, vel Præsidem suspectos allegant, si causa non sit notoria, teneantur intra biduum causas suspicionum adducere, & probare coram Secretario à Præside, vel Propræside eligendo, quæ postea in Senatu discutiantur. Et si per Senatum declarabitur causas adductas non esse legitimas, vel non probatas, condemnetur allegans in scutis quinquaginta Regio Fisco applicandis, nec admittatur ad allegandum causas suspitionis, nisi prius facto deposito in manibus Secretarij.* Ordo vero Regius anni 1581. talis est. *Perche intendiamo, che quando alcuni recusa come sospetto alcuno di voi, ò altro Ministro de gli altri Tribunali di esso Stato, non ci è forma della maniera del procedere, nè di specificar le cause della recusatione; anzi che dopo ancora d'essersi dichiarato, che 'l recusato s'astenga; instanza si stà presente al trattar del negotio, & à gli articoli di quello, come basti solo il non votar nella causa: il che similmente hà necessità di remedio. Per tanto vogliamo, e comandiamo che in ciò ancora si guardi la legge, nè si proceda sopra quelle cause di recusatione, le quali anche prouate che fossero, non sariano bastanti*

di

*di ragione: Ne si troui il sospetto presente, quando si trattarà di ricusarlo: & poi che si sarà dichiarato, ne sia presente, ne assista, non che al votare, mà ne anche nel referire, & al trattare della causa. Ma non prouandosi la cagione della ricusatione, incorra il ricusante nella pena de vintiquattro ducati, applicandi per terzo al Giudice ricusato, al Fisco, & alla parte.* Ec-
201 ce enim, quod Præsidem, & Senatores duntaxat nominant; Verum dubitari posset, primò an caput concilij totum concilium suspectum reddat. Secundò, an si principaliores sunt suspecti, Senatus totus pro suspecto recusari possit. Tertiò, an aliqua alia ratione Senatus iure recusari valeat. Qua in re dicendum est, concilij caput suspectum, tunc demum omnes alios suspectos reddere, quando verè propter personæ præeminentiam membra ad illi morem gerendum inducere posset, vt puta quando concilium à capite pendet, & eius voto omnia fiunt, *arg. c. nouit de his quæ fiunt à maior par. cap. ita Bero. in cons. 16. num. 22. lib. 3. & in d. cap. 1. num. 123. de iud.* vbi *Ripa num. 41. Fel. num. 5. Crau. de antiq. temp. sectione quarta limitatur num. 80. Menoch. d. cons. 94. num. 11. lib. 1. & Iacob. Laurent. in tract. de iud. suspect. c. 8. num. 20. Langlaus c. 4. lib. 2.* quod in Præside Senatus nostri verificari nequit. Secundò caput concilij si remoueri potest, absque eo, quod totum concilium remoueatur. Standum est concilio, vt multis probat *Giurba decis. 27.* vbi etiam hoc alijs modis declarat. Si enim concilium remoto capite valet, caput tantum remoueri debet. *Rip. in d. c. 1. num. 42. de ind. De Castillo decis. 53. num. 9.*

Secundo casu voluerunt *Ant. de Butr. in d. c. 1. de iud. Mart. Laudens. in tract. de official. domin. q. 15. Fel. in c. causam, quæ in prin. & in c. insinuante de off. deleg. Rol. in d. cons. 19. num. 12. lib. 3. & Ioseph. Ludou. decis. Perus.* 108. *num.* 5. consilium Principis totum posse recusari, quando principaliores consiliarij sunt suspecti.

Quinimo maioris partis suspitionem totum tribunal suspectum reddere dixit *Bal. in d. c. 1. de iud. & Caran. d. ritu 265. num. 27. in fine.* Sed de his paullo infra.

Tertio loco, totus Senatus dici poterit suspectus, secundum *Io. de Arnono sing.* 18. post *Alber. de Ros. in 2. par. stat. q. 100. incip.* An autem quis possit dicere omnes iudices, qui dixit se ita vidisse seruari, & hanc esse communem sententiam firmauit *Rol. d. cons. 16. num. 11. Decian. resp. 26. num. 5. lib. 1. & Menoch. de arb. iud. casu* 458. *num.* 10. *& d. cons. 94. num.* 8. Contra vero, & verius tenent alij, quos citat *d. Iacob. Laurent. d. c. 3. sub d. num.* 15. ex communi pariter omnium opinione, quam amplexi sunt *Gayl. obseru. 33. num. 2. & seq.* ea ratione, vt sicuti non licet omnes vnius ciuitatis doctores recusare ex *Bal. & alijs in l. hoc modo ff. de cond. & demonstr. scribentibus in d. c. 1.* vbi de communi *Bero. num. 121. de iud. & Caball. milleloq.* 808. ita nec etiam totus Senatus, cui nullus alius superior Magistratus dari potest. Accedat etiam, vt quemadmodum Imperator, seu alius Princeps supremus allegari non potest suspectus; vt multis probat *Pacian. de prob. cap. 45. num. 94. lib. 2. & Centard. in l. diffamari cap. 1. num. 29.* ita nec etiam Senatus, quæ Cæsarem, aut Regem ipsum repræsentat, vt pluries diximus recusari non poterit vti etiam de Camera Imperiali tradit *Greuaus ad Gail. obseru. 33. num 6.*

Et quamuis conetur idem *Lauren. num. 16* has diffidentes opiniones ex mente *Menoch. d. casu* 458. *num.* 12. hoc pacto conciliare, vt tunc demum recusatio admittatur, si de iusta recusationis causa manifestè appareat, alias secus: tamen veriorem eam ego existimo, vt non totum tribunal suspectum allegari possit, vbi saltem quatuor Senatores non remaneant suspecti, in quibus nomen Tribunalis conseruari, (prout conseruari ex ordinibus supra allegatis pluribus in locis eo numero quatuor clarissimè patet) possit, ita *Franc. in c. causam, quæ de app. in prin. & num. 29. Boer. decis. 269. num. 2. vers. concludit tamen post Abb. in d. c. 1. de iud. & num.* 4. ait idem *Boer.* sic vidisse seruari, sequitur *Bero. cons. 16. num. 26. lib. 3. Capit. d. decis. 137. Bursat. cons. 265. num. 17. vers. 6. lib. 3. & Lancell. de atten. post recus. num.* 41. pro quibus est *tex. in c. 1. de elect. & in l. 1. vbi glos. in rub. ff. de colleg. illic. Langlaus d. c. 4. circa fin.* Rationibus istud ipsum fulcitur; Prima, quod in diuisibilibus vtile per inutile non vitiatur *l. 1. §. si mihi Pamphilum ff. de verb. oblig.* Secunda, quia Senatus est iudex ordinarius à Regia Maiestate iurisdictionem habens supremam, & sententias sub nomine Regio proferens, qui ideo recusationi subiacere nequit, *l. 1. ad l. Aquil. de ambitu l. 1. ff. de off. Praefect. Praetor.* vt in simili ait *Gayl. d. obser. 33. num. 1. lib. 1.* post *Fel. in d. c. 1. num. 6. de iud. Fran. in c. postremo quæst. 8. de appell. Boer. d. decis. 269. num. 4.* Tertia, quia, vt omnes tenent, appellatio, & recusatio à pari procedit, vt habetur *in c. super eo de app.* ideo sicuti à Senatu non appellatur vt infra §. 11. ita nec etiam recusatio admitti debet. Quarta, quia remedium extraordinarium, vbi locus est ordinario, concurrere non debet. *l. in causæ 2. de min.* vt est delegatio iurisdictionis, quando iure ordinario aliqui ex Senatoribus possunt iusdicere. Quinta, quia frustatorium esset remedium reuisionis, quod ex hac met constitutione datur à sententijs Senatus, vbi locus esset recusationi. Reuisio enim eundem Senatum admittit; Recusatio vero reijcit. Quòd non est dicendum. *l. qui bis idem de stipul. l. hac stipulatio §. diuus vt leg. nom. caue. l. hac autem;* si cui plus quam per *l. falcid.* quinimo, dum Reuisio conceditur, recusatio tollitur. *l. cum prætor ff. de iud. l. ait prætor §. sed quod Papinianus ff. de minor. cum simil.*

Et licet dicat *Gemin. in c. pen. de off. deleg. in 6.* Principem non debere tollere exceptionem recusati iudicis; tamen existimo vix dari posse in casum in quo omnes Senatores sint eadem suspitionis causa remouendi.

Causa tangit quidem Senatores quoties agatur de appellationis causa interposita à sententia per eundem Senatorem lata, & ideo cum fuerit iudex à quo, adesse non debet, vt ait *glos. in c. dilectus 2. de rescript. vers. sed dicti iudices,* vbi *Barbat. in ult. notab. num. 71. Fran. Aret. in cons. 29. num. 25 Vincent. de Anna alleg. 18. & D. Menoch. de arb. iud. d. casu 458. num. 17.* Sed veram eiusdem *Menoch.* sententiam eodem loco sub *num. 13.* non existimo, 202
dicentis. Et quanquam difficile sit, vt iusta hæc causa excogitari possit, attamen hæc euenire potest. Si causa vna, quæ multis communis est, definita à Senatu fuit inter aliquos, & alter, qui adhuc in iudicio non fuit, nonè ad iudicium coram eodem Senatu vocetur, poterit iste citatus recu-

ſare iudicium Senatus, ex quo iam voluntatem ſuam detexit, & præſumptio eſt, quod ab ea non recedet, ita egregie de iudice, qui hac de cauſa recuſari poteſt, ſcribunt *Specul. in tit. de iud. deleg. §. ſupereſt verſ. item ſi, Aret. in conſ. 29 num. 25. Auffred. in tract. de recuſat. num. 18. verſ 27.* & idem ſentit *Iaſ. in l. apertiſſimi num. 8. verſ. decima cauſa eſt. C. de iud.* dum dixit iuſtam eſſe cauſam recuſandi iudicem, ſi iam animi ſui motum euulgauit. Idem etiam eſt, ſi iam Senatus tuliſſet ſententiam inter litigantes, & deinde tertius ratione ſui intereſſe veniret ad iudicium. (Addas alios quos adducit *Maſtrill. deciſ. 151 num. 57. quæſt. 8.* vbi tamen *num. 63.* poſt *Rebuff.* ait non eſſe credendum iudici aſſerenti, ſe in ſimili cauſa votaſſe.) Nam is tertius poſſet recuſare Senatum, qui tulit ſententiam ad ſui aduerſarij fauorem. Ita decidit *Afflic. deciſ. 235. in fine ex traditione Franci in c. cum ſpeciali q. 20. de app.* Quod intelligo, quando nullum aliud ius deducitur, quàm iam deductum. Et hæ iuſtæ recuſationis cauſæ manifeſtæ dici debent, ex quo ex actis reſultant. Acta enim rem notoriam, & claram faciunt *c. olim vbi Abb. de verb. ſign.* & ſcribunt *Aret. in conſ. 42. num. 5 & Dec. in conſ. 191. num. 9. verſ. quarto facit.* Hactenus *Menoch.* cuius inquam ſententiam minus veram in Senatu exiſtimo. Nam præter id, quod prior caſus verificatur tantum, aut in iudice delegato, ex *tex. & gloſ.* quibus iuſtificatur, in *c. cum ſuper Abbatia de off. deleg.* & ſequitur *Corſet.* poſt alios ſingulari Iudex 3. aut ſuper *tex. in l. obſeruandum*, ibi. *cuius animi motum*
804 *ff. de off. præſid. & in l. vbi falſi C. de falſ.* vbi *Alber.* & ante eum *Innoc. in c. irrefragabili de off. ordin. Bart. in l. libertatem num. 3. ff. de pet. har.* quod ſequuti ſunt etiam *Capol. in conſ. 30. col. 3. circa med. Rot. deciſ 38. alias. 256. in antiq. de conceſſ. praben. Decian. d. reſp 26 num. 9. lib. 1. Crau. conſ. 1;4. num. 2. & Oſaſch. deciſ. 73.* loquens in terminis de Senatu *num. 9.* (quos tex. iniquos aliqui appellant, tamquam ſimulationem fraudem, & dolum admittentes, vt quis aliud in corde ſentiat, aliud vero agat) non rectè etiam de vno iudice ad Senatum Mediolani fit illatio, ex his quæ docuimus in *c. 1. lib. 1. quæſt. pract.* & quia, vt iam dicebamus, ex ordinibus Regijs ſupra allegatis, exceptio recuſationis totius Senatus remota eſt omnino, clarius ex Conſtitutione Senatus edita anno 1499. in hæc verba. *Præterea ordinamus, & perpetuo edicto declaramus, quod ſententia, decreta, & ordinationes prolata, & proferendæ per dictum conſilium noſtrum, ſuum ſortiantur effectum: & tanquam ſententia, ſeu Arreſta curia ſupremæ, à quibus appellari, ſeu prouocari non poteſt, nec de eorum nullitate dici, executioni mandabuntur. Et tenebitur dictus Locumtenens, ceteriq; Officiarij noſtri Ducatus, & Dominij illa facere exequi, & ſimiliter alias prouiſiones dandas per dictum Conſilium: & ſuper his manum fortem concedere, ſi opus ſit, &c. Poterit tamen condemnatus per dictum Senatum. infra terminum iuris ſupplicare, recurrere, & Reuiſionem proceſſus petere contra dictas ſententias & Arreſta, & parite prius iudicato ſuper dicta ſupplicatione, vel recurſu, à Cancellaria noſtra literas Reuiſionis impetrare, quas dicto Senatui tenebitur præſentare, & deinde, priuſquam ad dictam reuiſionem procedatur, deponere, & conſignare ſummam ſexaginta ducatorum auri in manibus vnius ex Secretarijs dicti Senatus, vel alterius per dictum Senatum deputandi, Camera noſtra Ducali, caſu quo dictus ſupplicans ſuccumbat irremiſſibiliter applicanda. Quo depoſito facto, tenebitur dictus Senatus noſter infra vnius anni ſpacium dictum proceſſum reuidere, & denuo prout iuſtum fuerit iudicare, reiectis ijs, quos ex cauſa legitima, altera partium inſtante, ſuſpectos eſſe cognouerit, & alijs in eorum locum ſi opus fuerit ſubrogandis.* Videnda eſt etiam conſtitutio noſtra infra in §. 11. Nec ratio Menochij in ipſo Senatu noſtro militat, vt ſcilicet nolit Senatus à priori ſententia recedere, quia vt iam dictum eſt eadem ratione tollendum eſſet reuiſionis remedium, in quo ijdem, qui prius iudicarunt, interuenire debent; & tamen credibile eſt, & pro certo habetur eoſdem patres poſſe, & debere ſententiam in melius mutare. Amplius, dum ſententia Senatus executioni mittenda eſt, vim legis obtinet, etiam quoad alios ſimiles cauſas, vt diximus *eod. lib. pract. quæſt. c. 29. num. 12* ergo per recuſationem ſuſpendi non poterit. Nec generales igitur, nec aptæ ſunt ſuſpicionis hæ duæ cauſæ à D. Menochio adductæ ad allegandum totum Mediolanenſem Senatum ſuſpectum ex prædictis, & etiam, quia Mediolanenſes iudices ex laudabili conſuetudine ſolent animi ſui motum partibus ante ſententiam, abſque eo, quod poſſint dici ſuſpecti, aperire. Quemadmodum enim teſte Fabio, neque pudor obſtet, quò minus ſuſceptam cum melior videretur, item cognita inter diſcendum iniquitate dimittat aduocato, cum prius litigatori dixerit verum. Nam etiam in hoc maximum, ſi æqui iudices ſumus, beneficium eſt, vt non fallamus vana ſpe litigantem; ita etiam Iudici diſeruiunt ea, quæ ſcribit *Fel. in c. irrefragabili num. 4. de off. ordin.* & in ſpecie poſt *Valaſc. & D. de Roſa, & alios*, dixit *Giurba deciſ. 54.* exceptionis huiuſmodi nullam habitam fuiſſe rationem dixit. Præter id, quod poſſunt iudices poſt concluſionem in cauſa id iure facere, teſte *Bar. in l. admonendi num. 2. ff. de iur. iur.* vbi *Iaſ. num. 54. Ripa num. 47. Lancell. Conrad. de allegat. & mot. in tract. de off. prat. num. 29.* hoc ipſum probat, dicens non extra rem eſſe, ſi iudex poſt concluſionem in cauſa, & in calculo ferendæ ſententiæ propalare cogitauerit animi ſui votum, parificatur enim concluſio in cauſa, & prolatio ſententiæ, alias nullus, quia incertus, non compareret, nec inſtaret, & nulla partium inſtante, vel præſente ſententia redderetur nulla, vt ibi per eum. Sic etiam *Maynard. deciſ. Tholoſ. 96. p. 1.* At ſtatim porrectis in Senatu precibus concluditur in cauſa. *l. 1. C. quando libell. prin. dat.* ergo hæc ſuſpitionis aſſertio minus vera dignoſcitur. Alia ſumi poterit limitatio ex *Maynard. deciſ. 95. d. p. 1.*

Addas hic ad ſuſpitionem recuſationis euitandam rationes ſeptem in *gloſ. 3. num. 261* per nos ſupra adductas.

Præterea ſi nullus alius ſuperior tribunal datur, quis de cauſa iudicari poterit; in caſu enim *Decian.* ex conuentione cauſa erat committenda Regimini ſuperioris Auſtriæ. Si enim alijs demandari cognitio deberet, eligendi eſſent ij auctoritate, & numero cum Senatoribus pares, quod fieri nullo modo poſſe quiſque affirmabit. Et diximus infra *§. 2. p. 2. in præfat.* Sententias Senatus facere ius quoad omnes, quod non eſſet verum; ſi ſuſpitio dari poſſet. Præter id, quod ſcribunt *Bal. in l. hoc modo per illum tex. ff. de cond & clem. Vin. lib. 1. com.*

opin.

*opin. in verbo suspectus*, & *Gail. obseru. 23. lib. 1.* in fraudem fieri recusationem de toto tribunali, vel collegio.

Quid si res sit celeritatem requirens, de qua vota exquiruntur, & aliquis in ipso actu assumen-
205 di vota dicatur suspectus, suspitio autem clara non sit; ita vt non debeat, tunc pro suspecto allegatus se abstinere, nec pro parte expediat, contra se habere suspectum, quid agendum? Quæstionem hanc proposuit *Abb. in c. Cumana per illum tex. & c. Genesi eod. de elect.* in casu in quo quis debeat interesse electioni, & tempus instet, ita quod commode non possit recipi probatio, an is interesse possit, vel ne, & concludit, cautelam esse, vt is admittatur cum protestatione, vt istius votum valeat, si & in quantum. *Abb. sequitur Cap. caut. 232.* qui dicit hoc notandum esse pro electione Summi Pontificis, & aliorum. Idem tenuit etiam *Auendanus de mandatis Regum cap. 19. lib. 1. num. 22. cap. 2.* Verum, ad causas in Senatu vertentes hoc adaptari non posse, crediderim, ne sententia in incerto versetur, contra *l. si frumentum, & l. idem Pomponius ff. de rei vend. &* §. *incertum instit. de leg.* cum alijs multis relatis per *Mars. in rub. C. de prob. à num. 384. vsque ad num. 434.* quia si appareat vitium, vel suspitionum militare, huius Senatoris votum nihil proderit, *Rom. cons. 501. col. 2. & Fel. in c. cum contingat colum. pen. de off. deleg.* ita vt lata iam sententia, quam diximus dilationem non pati, retractari posset, quod nihil absurdius est omnino. Possent etiam multi hac vti cautela ad differendum alicuius causæ expeditionem, vel ad eam euertendum. Propterea in odium illius, qui suspitionis causas in tempore non deduxit, vel minus probauit, aut nimis se arctauit, nulla ipsius retardatæ exceptionis suspitionis, seroq; propositæ habenda esset ratio.

Ex *Plut. in Catone Vticensi* 84. saluberrimum desumi potest exemplum pro eo, qui aliquem pro sus-
206 pecto allegare intendit, sic enim ait. *Flaccus vero ipsum ex iudicibus reiecit, & quidem post oratam causam, sed nihilominus condemnatus est. Omnino autem difficilis, atque anceps scrupulus erat Catonis, qui in iudicium vocabantur. Nullus enim reorum iudicem habere volebat Catonem, & tamen reijcere formidabant; nam multi eo ipso condemnati sunt, quod Catonem reijciendo non satis confisi sua innocentia videbantur.*

Et qui suspitionis, aut affectionis causas aliquas asserit, cum Iurisconsulto respondere poterimus, in *l. prætor edixit in prin. ff. de iniur.* Quod qui iniuriam hoc affectionis prætextu, se perpessos dictitant, certum enuntient quid iniuriæ factum sit, nec tantopere vagentur cum discrimine alienæ existimationis, quæ res ad criminales quasque causas prolata est, teste *Dec. in cons. 83.*

Illud autem vsu receptum est, vt non passim,
207 nec ab omnibus, qui Senatorum aliquos suspectos proponunt, exigatur Regij decreti pœna, sed ab ijs tantùm, qui nedum suspectos dixerint, sed etiam lite improba, & suscepto probationis onere vsque ad sententiam perseuerauerint, quòd si pœnitentia ducti à cœptis destiterint, vel quia malam causam se fouere intelligant, vel quia dubium litis euentum reformident; ij pœnam decreti iuremerito euitabunt, sic enim & eius verba innuunt, si diligenter obseruentur, & cessantibus verbis, iusta iuris interpretatione itidem suadetur, ex multorum iurium lectione, in *l. Papinianus* §. *meminisse ff. de inoff. test. in l. qui cum* §. *accusasse*, & in *l. in seruitutem* §. *petijsse ff. de bon. libert. Andr. in c. 1. in verbo pœnam in addit. quæ sunt regal.* quem sequitur *Vincent. de Anna in c. 1. num 249.* de Vassallo descripto. *Mastrill.* tamen ait *num. 86. d. decis. 151.* durum esse obtinere hoc in practica.

Exceptionem recusationis esse speciem declina- 208
toriarum indubitati iuris est, atque ideo semper præsumitur malitiosè, & solo differendi animo proponi. *Fel. in d. c. insinuante num. 9. de off. deleg.* Debet ergo recusatio Senatoris in principio litis opponi, non in genere, sed specificè, quia si obscurè habetur pro non excipiente. *Bar. in l. Titia sexiores ff. de leg. 1. glos. Fel., & doct. in c. pastoralis de excep.*, & si in genere non poterunt postea declarari. *Bal. in auth. si dicatur C. de test.* non obstante, quod adijciatur clausula *saluo &c. Fel. vbi supra.* In principio litis opponi debet, quia si post aliquos actus etiam minimos fiat, non attendit *scriben. in l. apertissimi*, & ibi præcipuè *Ias. num. 11. C. de iud.*, & in *c. inter monasterium de sent., & re iud.* vbi *Fel. num. 4.* pulcherrimè concludit, per minimum quemcunque actum approbatiuum iurisdictionis iudicis declinatoriam elidi. *Bar., & cæteri in l. quidam consulebat de re iud. Lanfran. in c. quoniam contra in vers. recusationes in prin. de prob.* Et eo minus recusationi locus erit, si proponatur ab eo, qui Senatorem ipsum in ea causa eligi curauerit, *auth. offeratur C. de lit. contestat. glos. 1.*, & ibi scribentes potissimum *Ias. sub num. 1. in d. l. apertissimi C. de iud.* propterea anno 1597. pro Com. Lampugnano infante contra Com. Sancti Secundi iudicauit Senatus, suspitionem de Præside Riccardo ab eo Sancti Secundi allegatam, non habuisse locum; difficile etiam suspitio illius qui ad referendum propositus admittitur, postquam vel consulere, vel referre inceperit, secundum *Bar. in l. quidam consulebant ff. de re iud. Rebuff. de recus. art. 1. glos. 2.* quos sequit. *Ant. Sola ad decret. de suspit. iud. num. 2.*, & iterum ad *decret. de recus. iud. sub num. 5.*

Nec obstat si dicatur causas suspitionis ortum habuisse post litem contestatam, quod iuramento probare sufficit, *l. Pomponius* §. *ratific. de procur.* §. *cum quidam ff. de arb. l. eleganter* §. *si quis post ff. de cond. indeb. l. 2. C. de confes. eiusd. lit. c. insinuante* vbi *Fel. de off. deleg. Maran. de ord. iud. actu 2. prin. num. 25.* Sufficit namque, si post earum notitiam vnico solo actu iudiciario in iudicem consensum fuerit, vt per eundem *Fel. num. 2. per illum tex., & Rebuff. de recus. art. 1 glos. vlt. num. 2. Mastrill. d. decis. 151. num. 67., & nonnullis seqq.*

Non obstat etiam quod de executione agatur, in qua noui articuli emergere videantur, quia verum est, à sententia recedi non posse. Itaut sicuti in exceptionibus peremptorijs inutiliter de recusatione agitur, si iam lis contestata fuerit, non obstante quod tales exceptiones de nouo videantur emergere: ita nec si quæ impedimenta contra executionem allegentur, alioquin nunquam iudex qui sententiam tulit, exequi illam posset, quia ex prolatione sententiæ factus est suspectus. Nisi allegans suspitionem esset minor, aut vniuersitas: illi enim non denegaretur restitutio in integrum. *Oddo de rest. in integr q. 64. art. 6.* maxime si protestetur, vt ibi *num. 43. ad finem, & Mastrill. d. decis. 151. n. 28. cum seq.*

Qui suspitionem pro alio allegat, debet habere mandatum speciale. *l. non solum §. fin. ff. de procur. Bar. in l. si procurator ff de cond. indeb.*, & ita per Senatum Paris. declaratum fuisse testatur *Papon. tit. de recus. 9 arct.* 1. quod iuris esse multis probat *Ant. Sola vbi supra num. 5., & seqq.* vbi limitat, nisi procurator promitteret de rato.

Exceptione hac recusationis non vti potest reus qui in prima citatione non comparuit. *Bal. in l. si qui ex consensu C. de ep. aud. Afflic. decis. 133. Crau. cons* 801. *num.* 4.

Si Senator assisus suspectus allegatur, quando
209 agitur vel via appellationis, vel via recursus de reuocanda sententia lata per Senatorem affinem audiendus hic erit existimationi etenim, & honori Senatoris illius interest, ne eius sententia rescindatur tanquam iniqua, vt traditur in *c. dilectus 1 de rescrip. in c. cum speciali §. porro* vbi *Prapos. num. 23. Fran. num 18. de app.* sequuntur alij relati ab *Aufredio ad Capell. Tholos. decis.* 278. dicentes iudicem, quamuis non citatum, posse assistere causæ appellationis, & sententiam suam defendere. Quali quoque iniuria affectus videtur iudex à quo per appellationem, & propterea iustè recusari posse. *Scrib. in d. c.* 1. vbi *Imol. col fin.* tradiderunt. Ergo ex hoc interesse ipsius Senatoris, qui sententiam tulit, recusatio affinis sustinetur. *glos. in c. 2. vt lit. contest. Specul. de iud. deleg. §. superest num. 8. Scrib. in c speciali de app.* etiam si interesse sit secundarium *Rot. decis. 93. num. 2 p.* 1 facilius namque recusatur iudex quàm testis, quem solum fortè de negotio instructum habet producens. *c. cum R. canoniens, & c. insinuante de off. deleg. Rebuff. tit. de recus. art. glos. vnic. num. 44.*, & recusationis materia fauorabilis reputatur, cum æquissimum sit, vt nemo cogatur, eum habere iudicem, qui sibi iustè suspectus sit. *Conar. pract. quæst. c. 26. in prin. Rot. d. decis 93. num. 1.* Et sufficit allegari affinitatem, absque eo quod quis affinitatis gradus declarare teneatur, sic enim decisum fuisse per Parlamentum Tholosanum testatur *Gerar. Mayner. decis. 98. lib.* 1.

Et quamuis doli suspitio cesset propter personæ integritatem, non tamen vt iam diximus supra ante *num.* 209. aliæ suspitiones ex hoc solum euanescunt, & minus illa affectionis naturalis, quæ tolli non potest, *§. sed naturalia instit. de iur nat. cum simil.* solaque apta sit ad inclinandum animum iudicis, quamuis eum corruptum non habeat, vt eleganter tradit *Aquens. in l. qui iurisdictioni in fin. verb. ff. de iur. om. iud* affectio enim vel amor iusta est causa *Port. cons 91. num. 16* Inimicitiæ idcirco contra fratrem, reddunt Senatorem suspectum, vt per *Ant. Fabrum in Cod. lib. 3 tit. 4. definit. 4.*

210 Princeps tamen, cui exposita sit species affinitatis, rescripto suo tollere potest suspitionis exceptionem ea de causa allegatam, secundum *Spec. de recus. § 1. col. 2. num. 5. Fran. in c. postremo de appell. in 3. casu, & Prapos. num. 8. Dec. in c. ad hac de rescrip.* item exceptiones dilatorias *Host. in tit. de rescrip. §. quas vices. Afflic. tit. de excep. dilat. num. 19. ad constit.*

Animaduertendum erit, ordines anni 1581. velle nuncupatim, vt causæ suspitionum non admittantur, quæ de iure admittendæ non sunt, ergo præter eas a iure probatas nulla erit alia admittenda, vt voluit *Neuiz. in cons. 36. num. 3.*

Affinitatis vincula fortissima esse nemo est qui dubitet. propterea, vt iudicia libera sint, affinis recusari poterit, vt optime docet *Cicero Philipp. viij., & Quintilianus in orat.* pro milite contra Tribunum Marij propinquum, dum ait, *ò rem omnibus narrandam eam absolueris. Nam si quid tibi iudicandi fides sua causa facere permisit, cogitas professo quantum tibi hoc ipsum apud æmulos, quos virtutibus offendis, allaturum sit inuidia, cum videberis, aut corruptorem militis iudicare innocentem. Quod si bene inuidiam noui, hoc quoque tibi obijcietur, quod saltem propinquus tuus peccauit. Quare abdicandus, & abiurandus est, non tuus sanguis.*

Hinc iudicatum per Curiam legimus, recusationem vnius consiliarij rectè oppositam, eo quia eius 211
gener erat aduocatus alterius partis, & cum socero in eadem domo viuebat, & morabatur, vt per *Aufred. in tract. de recus. num. 16. ad finem.* Quod multo fortius factum fuisset, si ille consiliarius suam sententiam proferre debuisset, quæ pæne similis esset causæ generi sui, sic etiam infra *num.* 215.

Si Iudex appellationis eius causæ sit, quam pater iudicauit solus, legitima erit suspitionis causa, secus vero si cum adiunctis vt in Senatu vel collegio, ita *Papon. in tit. de recusat. arran. 3. tit. 9., & Ant. Sola ad decret. de recus. num.* 11.

Suspitionis sanè alia est legitima causa, quando 212
Senator habet penè similem causam, cum illa, in qua iudicium suum proferre potest. *c. causam quæ 2. de iud.*, & pro regula generali traditur, Iudicem posse remoueri ex omni causa, per quam verisimiliter præsumatur inclinare debere in fauorem alterius partis, vt per *Abb. in eod. c. causam*, quæ *Mascard. de prob. conclus.* 943. *num.* 30 penè similis causa dicetur, quando ex ea similitudine causa iudicis, quam habet cum alio, fortior reddi potest, si vno modo potius iudicetur, quam alio; sic enim ex ea potest insurgere argumentum præsumptio, opinio pro causa sua *Abb. ibidem num.* 2. quem refert *Ias. in ead. l. apertissime sub num 9. C. de iud. Mascard. vbi supra num. 25., & 26.* Quod procedit etiam, si talis sententia non posset facere ius quoad causam suã, quia exemplis non esset iudicandum. Etenim cum habeat affectionem ad causam suam, debet nihilominus remoueri ratione dictæ affectionis, sic *Abb. vbi supra num.* 3. concludens, Iudicem, etiam si causa non sit omnino similis, quia tamen aliqualiter suspectus, ex affectione remoueri posse.

Quod si etiam socer pro genero in causa consul- 213
uerit, & votum animi sui propalauerit, non solum consulendo, sed etiam causam generi sui consimilem intentando; profectò, sicuti ex duplici capite oritur affectio ad causam, ita duplex oritur legitimæ suspitionis causa, vt per *Abb. loco memorato.*

Iusta sanè causa recusationis, si iudex in causa
consuluerit. *l. solet, & l. prator ff de iur. omn. ind. l. fin. C. de assess. Rebuff. de recus. art. 9. glos. vnica num.* 214
33. etiam si causa sit inter diuersas personas, quia militat ead. ratio, vt probat *Aret. cons. 29. col. fin.* & multò magis si in causa propria, in qua vult iudicare consuluerit, tunc enim vt incorrupti iudicis nomen obtineat, abstinere debet, ita dicit *tex. in l. fin. in fin. C. de assess., & domest. l. prator ff. de iur. om. ind.* Quod procedit in Aduocato, seu consultore tam partis contrariæ, quàm proprio, quando scilicet in causa mea propalauit votum suum contra me, ita *Alex. in l solet num. 4.*, & ibi *Ias. de iur. om. ind.*

*iud.* non enim tunc præsumitur suam mutare opinionem. *Innoc. in d. c. irrefragabili col. 1. circa med. Aret. d. cons. 29 col. fin.*

Vbi tamen affinis votum suum dixerit cum alijs, nec pro suspecto sit allegatus sententia dici non poterit nulla, vti iudicatum fuisse attestatur *Mastrill. d. decis.* 151. *num.* 16., *& seq.* contra vero si recusatio deducta sit.

215 De anno 1589. D. Senator Bossius opposita exceptione recusationis in causa Seaffeta, quia ipsius gener causam consimilem haberet, & in ipsius domo propria degeret, fuit remotus, & quia parentis locum socer obtinet. *l. quia parentis ff. sol. matr.*, & affectio patris erga filios præsumitur plenaria, secundum *Bal. in l. mater sua C. de oper. liber.*

216 Amplius cum Marchio Horatius Pallauicinus ageret coram Quæst. Extraord. ad consequutionem crediti sui in bonis Rainaldi Tettoni, & Thomæ Abduæ, & suspectum allegaret D. Mendociam vti affinem aliquorum concreditorum ipsorum Tettoni, & Abduæ, & D. Arsagum, quia fisci partes in eadem causa egisset, cum non conuenire diceret, vt ille, qui iam fuerat pars, esset tunc iudex; censuit Senatus die 4. Decembris, dictos D. Mendociam, & alios, si qui essent affinitate iuncti, nec non dictum D. Arsagum abstinere debere à voto in ea causa proferendo.

217 Qui ergo iam fisci partes sustinuit in aliqua causa, de eadem iudicare non poterit, & pro hac decisione facit *Const. infra de foro compet. in prin.* cum multis ibi *per nos adductis*, & ita determinasse Mag. Cur. firmat *Mastrill. d. decis.* 151. *num.* 49., *& seqq.*

Quid si quis iudicauerit in causa connexa, videat. *Mastrill. decis.* 129.

218 Si quis fuerit aduocatus in aliqua causa, factus Senator de eadem sententiam proferre ei non licebit, vt supra *vers. iusta est sanè causa num.* 214. *Mastrill. decis.* 151. *num.* 8., *& seqq Franc. in c. postremo col.* 2. *de appell.* Verum si aliqua, dum lector est constitutus, circa ordinem iudicij, vel exceptiones, aut præparatoria decreuerit quamuis suspectus allegetur, irrita non erunt, vt a Senatu Lusitano decisum fuisse attestatur *Cabed. decis.* 20 *p.* 1. Idque eo minus irrita erunt, quod non solus, sed cum approbatione Præsidis decreuerit; sicuti neque etiam de iure irrita sunt, quæ ab ipso recusato, cum adiuncto illi dato, fiunt. Leuia enim præmissu dicuntur vt ibidem *Cabed.* probat, pro quibus Senatores recusari non debent, nec vti tales iudicari, cum sint, & præsumantur exploratæ fidei, vitæque integræ, & vti tales à Principe electi, & approbati, vt in *l. vnic. ff. de off. præfec. prat.* ibi credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret iudicaturus. Confert etiam quod scribit Simanca de *Cathol. instit. tit.* 17. *num.* 15. Non tamen cliens potest aliquem, quia sibi fuerit aduocatus, recusare vt plene per *Mastrill. d. decis.* 151. *num.* 35. & alijs pluribus.

An filius illius, qui sententiam tulit, recusari possit, posse voluit *Mastrill. d. decis.* 151. *num.* 23. sic & ille, cuius filius in causa patrocinium præstat, atque in ijsdem ædibus cum patre commoratur, vt per *Maynard. decis. Tholos.* 91. *p.* 1. & idem ad procuratores, vel sollicitatores extendi voluit, nisi subornata sollicitatio facta ad eum finem fuisset, vt iudex recusari posset.

Qui vero in familiaritatem interiorem aliquem ex litigatoribus receperit, vtrum suspectus dici possit? existimant aliqui verisimile esse, Senatorem pro familiari proniorem futurum, cum vsu, & consuetudine, necessitudines alantur, dicente *Cicerone in Lalio*, vitæ communionem, amicitiæ condimentum, & *ep.* 18. *fam. ser. sulpit.* quotidiana consuetudine familiaritatem sic augeri, vt ea nihil esse possit coniunctius, hæc pluribus firmantur à *Matienzo in Dialog. p.* 3. *cap.* 20., *&* 21., *& Maynard. decis.* 93. 219

Meminit *Plut. in Polit. de Themistocle, & Cleomene*, qui vt primum rempub. attingere destinauit, vocatis amicis omnibus, soluere se velle dixit amicitiæ vincula, subdique rationem: solere amicitias pleraque iusta, & recta subuertere, quod homines rempub. administrantes, vtpotè affectu, & mollitiæ occupatos quadam, sæpenumero a via deducit recti officij. Subdit tamen *idem Plut.* ei longè melius fuisse, auaritiam, & contentionem omnem animi procul eijcere. Neque enim his ciuibus opus est, qui beneuolos atque amicos habeant nullos, sed qui temperati, & frugi sint &c.

Themistocles vero ei qui rectè honestèque ipsam rem communem gesturum affirmarat, vt qui æquū se omnibus, parem que præstiturus esset. Dic meliora inquit: nolim æquidem in Magistratu gerendo talem me esse, & ea ratione adhoc ascendere solium, vt nihil à me amplius habituri essent amici, quam inimici. Subdens *id. Plut.* Nempe ne is quidem rectè: nec enim debuit ciuitatem, & munus commune suis adductus studijs suis, ipse assecutus affectibus, amicis permittere, & tam perperam priuatis obstringere rationibus. Hactenus *Plut.*

Contra vero de conuiuis *Dion. enim in Aug. lib.* 54. scribit Augustum iudicibus, qui quotannis sorte deligebantur prohibuisse, ne eo anno in domum alicuius eorum, qui causam in iudicio agendam haberent, ingrederentur. Theocritus autem in Sylla.

*Qui ad mensam semper eandem*
*Cenabant ambo fidi, nimirum vt amici*

Et Ennius 7. Annal.

*Hocce locutus vocat, qui cum bene sæpe libenter*
*Mensam, sermonesque suos, rerumque suarum,*
*Comiter impertit.*

Et *Apuleius in Asin. aur. lib.* 8. Iamque sermonibus assiduis, & conuersatione frequenti, nonnunquam etiam cœna, poculoque communi charior, chariorque factus. Vnde & prouerbio celebratur illud salem, & mensam ne prætereas, quo significatur amicorum consuetudinem negligendam non esse, neque violanda amicitiæ iura. Et ex *tex. in l.* 1. *de off. iud. ciuil. C. cautum videtur*, ne meridianis horis à litigatoribus iudices viderentur, quæ verba prandij tempus indicant teste *Iano Langlao semestr. lib.* 2. *c.* 1. à quo, & hæc sumpsimus (præter alia multa, quæ hac in re scribit) & à *Maynardo decis. Tholos.* 78. *&* 93. *p.* 1. De iure communi idem scribunt *Doct. in l. late §. amicos de verb. sign. Tiraq. in l. si vnquam verbo libertis num.* 92. *& seq. de reuoc. don. Menoch. de arb. iud. lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 361. *num.* 11. *& Mascar. de prob. conclus.* 85. *&* 86.

Commensalis item, & testis non integer est, & recusari potest *c. insinuante*, vbi *Host. Abb. & Fel.*

de

*de off. deleg. glos in c. accusatores, vel testes 3.q.5. Ias. & Iacob de Sancto Georgio*, ac alij in *l. apertissimi C. de iud. glos.*, *& scrib. in c. in litteris de test. scrib. in l. testis idoneus ff. de testib.* sic & *Cicero* non obscure *in orat. pro L. Flaco*. Si quem infimo loco natum defenderem communis humanitatis iure, ac misericordia deprecarer, ne accusatoris confessoribus conuiuis, contubernalibus, cinem, ac supplicem vestrum dederetis. Facit *tex. in l. illud ff. ad l. Aquil.*

220 Addit idem *Ian. vbi supra*. Qua ratione, & ipsos quoque in negotijs collusorum, eorumque qui vna cum illis (vt illud interim Augusti apud Tranquillum vsurpem) aleatorium forum calfaciunt, reijci posse putauerim: quod etiam credibile sit illos collusoribus, quam aduersarijs æquiores, promioresque futuros ex consuetudine, beneuolentiaq; quam sicut sermonis & cibi, ita & lusus communio conciliat. Quandoquidem, vt est apud *Ouid. 3. de art. am.* laudendo sæpe paratur amor. Scribit etiam *Cicero ij. Philippo*. M. Antonium restituisse Licinium Lenticulam collusorem suum de alea condemnatum, vt quod alea perdiderat, beneficio legis dissolueret. Qua in re, inquit ille, Antonius qui nullam restitutionis illius causam afferre potuit, apertissimè studium suum in collusorem professus est. Cum nihil huiusmodi in gratiam Caij Antonij, quamuis patrui sui, repetundarum damnati, ipse fecerit: hoc pacto ostendens magis se erga collusorem, quàm propinquum affici. Alibi etiam idem *Cicero Philippo v.* compransores, & collusores eodem loco ponit. Ita enim ille de eodem Antonio loquens. Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, vt militibus daretur, tamen infligi magnum reipub. vulnus putabamus. Hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus diuidebus. Meminit, & *Ammianus Marcellinus lib. 28.* aleatoriæ, tesserariæque amicitiæ, quam ætate sua, alia quacunque firmiorem validioremque fuisse contendit, sic enim ait, hoc fatendum est, quod cum omnes amicitiæ Romæ tepescant, aleariæ solæ, quasi gloriosis quæsitæ sudoribus, sociales sunt, & affectu nimio firmitate plena connexæ. Vnde quidam ex his gregibus inueniuntur ita concordes, vt quis illos esse existimet fratres, alios adducit *Maynard. decis. Tholos.* 80 *p. 1.* meminitque post *Gram. decis. 11. num. 5. in fine, & num. 6., & Farin. lib. 1. tit. 9. quæst. 56. num. 427. vsque ad num. 432.* collusorem à testimonio repelli. Rursus idem *Langlaus* subdit vbi supra.

Nihil obstat quominus vel Præses, vel Senator ad nuptiale, vel aliud conuiuium, quod rogatu, accersitauè litigatoris, non exhibeatur, inuitatus accedat; licet eo etiam litigator veniat. Nam & Periclem ad nuptias Euriptolemi vocatum iuisse scimus. Hactenus *Langlaus*, & cum eo sensit. *Maynard. decis. 79. p. 1.*

221 Addit quoque non ideo iudicem alienari à causa alicuius posse quod conuictorem habeat diuersæ partis, vel cognitorem, vel aduocatum, etiam si iudicantis filius is sit. Neque enim hi sunt, qui litigant, sed qui litigantibus ministerium, operamq; suam accomodant. *arg. l. qui cum maior §. patroni ff. de bon. libert. c. 1. vbi glos., & Doct. de off. iud. Ias.* & alij in *l. praior ff de iur. omn. iud.* ostenditque sic per Senatum Burdigalensem fuisse definitum, & in non absimili specie senatum Parisiensem censuisse.

Apud nos tamen per ord. Reg. prohibitum est, ne quis filius, vel affinis senatoris causam dicat, instruatuè, vt supra *num. 28.* prout etiam filius illius, qui iudicauit, rectè recusatur vt ex *Mastrillo d. decis 151. num. 23.* Vtrum autem senator possit esse iudex in causa aduocati, procuratorisue sui, aut contrariæ partis a not. *Ant. Faber in Cod. lib. 3. tit. 4. definit. 1. pag 169.* vbi etiam *definit. 2.* docet, Senatorem. qui suspectus allegatus est, posse interim de causis suspitionis contra alios allegatis sententiam dicere; quandiu remotus non est.

Et *diffinit. 3.* quærit. An iusta recusandi Senatoris causa sit, quod ad vnius ex litigatoribus domum diuerterit, si cogente aliqua necessitate id fecerit.

*Diffinit.* autem 4. probat, vt recusatus Senator, quamuis nondum remotus, nihil interim in ea lite statuere possit.

Posse dominum directum esse iudicem in causa sui emphiteutæ id. *Faber.* tenet *definit. 9.*

Item *definit. 12. lib. 4. tit. 1* ait. Cogi non posse Senatorem iurare super obiectis causis suspitionis.

Docet idem *Langlaus cap. 3. dicti lib. 2. semestr.* iustè regia sanctione cautum fuisse, vt is, qui principis alicuius suffragio in amplissimum ordinem coaptatus sit, vel alio Magistratu decoratus, aut antistitis alicuius beneficio sacerdotio aliquo honestatus; in negotio suffragatoris sui recusari possit, idque ad patrem huius honorati extendit. 222
Cuius rei rationem illam esse dicit, quod verisimilimum sit, ipsum proniorem in eum futurum, cuius ope honoribus, auctus, & amplificatus sit: propensiores enim ad bene merendum de eo sumus, qui de nobis benè aliquando meritus sit. *c. illud vbi glos. 3. q. 2.* nam naturæ iura ad antidora nos impellunt. *l. sed etsi lege §. consuluit de pet. her.*, & ordo charitatis obnoxios nos facit ijs, à quibus cognoscimus beneficium recepisse. *c. cum in officijs de testam.* Dicitur etiam in *c. visus 16. q. 2.* humani moris esse illum vereri, cuius iudicio aliquis erectus sit. Comprobat *D. Gregor. in c. 1. 8. q. 2* dicens, eum qui patrocinio alicuius fuerit electus, voluntati ipsius cum fuerit ordinatus, reuerentia cogente obedire compelli. Sed hoc ad rem nostram adaptari non possunt, ni ageretur de lite coram Vicario Prætorio mota, postquam ille ex Senatus suffragio ad id munus delectus est. Neque enim ex eo tantum, quod Senator à Senatu, vt dictum est, nominetur, arceri quisquam a sententia proferenda poterit, cum & approbatio quoque Regiorum consiliariorum in supremo consilio Regio requiratur, & a Rege nostro dignitatis decoretur.

Neque apud nos admitti potest id, quod idem *Langlaus cap. 4. eiusdem lib. 2.* scribit, & probat *Maynard. decis. Tholos. 82. p. 1., & decis. sequentib. trib.* recusari in collegæ negotio collegam iure posse, quasi socij intersè eiusdem rei sint, cum teste *Isidoro Ethym. lib. 10* collega à colligatione societatis, & amplexu amicitiæ sit dictus. Socius autem in causa socij reijcitur. *Scrib. in d. l. apertissimi C. de iud. c. postremo de app. c. insinuante de off. deleg.*, ergo & collega habet quippè, vt *Vlpianus* ait in *l. verum ff. pro soc.* Societas ius quodamodo fraternitatis. Coequalitas enim honoris, ait *Modestinus in l. sed & milites ff. de excus. tut.* priuilegijs militari fortior est, cum vnius tantum sit Senatus noster etiam in decurias, aut classes non diuisus. Licet

enim

enim collegij coniunctio, & publici muneris societas non mediocre afferat vinculum ad voluntates hominum copulandos, vt testis est *Cicero famil. ep. lib. 3. ep. 4.* & alibi sæpe; ac ea sit quorumdam erga collegas amicitia, vt in eorum gratiam à veritate, iustitiaque deflectere nefas non ducatur, & collitigator credere iure possit se æqua conditione litigare, cum aduersario suo non posse; nihilominus tamen, causæ Senatorum vt plurimum coram Capitaneo iustitiæ pertractantur, illeque licet coram Senatu, à plurimis cognoscantur Senatoribus, ita vt difficile sit omnes in suum sensum collegam, collegas trahere possit.

Illud quoque, quod dicitur, credibile esse vnumquemque in partem collegæ procliuiorem futurum, vt si quando eius opera vti ipsum in re non abssimili contigerit, merita reponat, parq; pari quod dicitur referat: Pensatur enim officium officio, ac abluit manum manus, periculum est etiam, ne collegæ contractum in eant, qui dicitur facio vt facias, mutuasque operas tanquam senes inuicem scalpentes, tradant, vt ait *Rebuff. in tract. de recus. art. 9. glos. 1.* Hinc *Liu. de decem viris loquens* his vsus est. Si quis autem collegam appellaret, ab eo ad quem venerat, ita discedebant, vt pœniteret prioris decreto non stetisse. Et *Cic. in orat. pro L. Flacco* putabat, inquit in re manifesta nefas esse publicanum iudicare contra publicanum. Iterum *Liu. Dec. 4. lib. 3.* de Cartaginensibus Iudicibus loquens sic ait, *qui vnum eius ordinis idem omnes aduersos habebat. Hunc morem, quo collega mutuum sibi in iudicando fouent*, expressit pulchre Seneca in ludo de morte Claudij, dum dixit. *Varia erant sententia, & videbatur Claudius sententia vincere. Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc, modo illuc cursabat, & aiebat, noli mihi inuidere, mea res agitur; deinde si quid volueris inuicem faciam: manus manum lauat*; Et hoc vitio Magistratus, & optimates Venetos maxime laborare, inquit idem *Langlaus*, dum inter se mutuas operas dantes eorum gratiam in iudicando ineunt, qui mox pari beneficio remetiri beneficium possint, hoc scilicet ius collegij appellantes. Prout hoc ipsum etiam non sine maximo multorum præiudicio per Mercatorum nostrorum collegia vsurpatū tandiu fuisse, Egregius vir, ac peritissimus Reg. Fiscalis Io. Ambrosius Fermus de ipsorum more peritissimus pluribus testatus est, & vsus quotidie nos docet.

Illud inquam, quod dicitur de remetiendo inter collegas beneficio apud Senatum nostrum locum sibi vendicare non potest. Cum amplissimus is ordo cultor sit iustitiæ, ita vt existimet ea è medio sublata, neque amicitiam, neque necessitudinem, neque officiorum coniunctionem cuiquam posse constare iuxta sententiam *Cal. Calcag. in lib. de rat. iud.* Accedit, quod in Senatorum nostrorum numerum ferè non referuntur nisi selecti viri, quiq; doctrina, eruditione, sapientia, fide, integritate, & fama ceteris ante stant, ita vt ordinis illius splendor id agit, vt in eum allecti, temere, leuiterque in suspicionem cuiquam venire non debeant.

Cessant hæc potissimum, cum inter duos Senatores lis agitur, traditum enim est pro regula, parem affectionis causam suspicionem omnem tollere. *l. non solum §. 1. ff. de rit. nup.*

Alia quoque est suspicionis ratio, quæ ob inimicitiæ causam proficiscitur, quæ cum in iure clara sit, non est, quod nunc ea disseramus videat tamen, si liber, *Langleum d. lib. 2. semestr c. fin. & lib. 3. cap. 5. & Mastrill. d. decis. 151. num. 46.* & alijs pluribus. Illud tantum dicemus, causam suspitionis non attendi, quando ea prouenit ab ipso, qui apponit. *Rol.* tamen *cons. 24. num. 46. lib. 1.* voluit inimicitiam superuenientem ex facto tam vnius, quam alterius sufficere ad repellendum quem à testimonio, & infert *num. 47.* Iudicem posse recusari, etiam si suspitionis causa ab eo proueniat, qui eam allegat. in iudice vero aliter vt infra.

Neque reijci poterit ea recusatio quæ oritur ex eo, quod quis aliquando cum iudice litem sustinuerit. *Rip. in c. 1. num. 15. de iud. Carau. ritu 288. num. 22. Viu. decis. 363. Carol. de Grass. excep. 24. num. 80. Mastrill. d. decis 151. num. 58.*

Vtrum autem huius Prouinciæ moderator recusari possit? videas *Mastrill. d. decis. 151. q. 10. num. 77.*

Per Excellentissimum Comestabilem Castellæ delegata fuerat causa ad referendum in Senatu D. Augustino Dominico Senatori inter Com. Liuiam Belgiosiam, Com. Annam Moronam, eius filiam parte vna, & Com. Hieronymum Moronum Stampam, & eorum respectiuè maritum, & patrem, parte altera lata sententia fauore ipsius Com. Annæ propositum fuit, reliquum arbitris fore committendum; quare mulieres nominarunt in eorum arbitrum præfatum D. Squarciaficum, dictus autem Com. Hieronymus alium: verum per eos nihil agi potuit. Iterumque obtenta alia delegatione in præfatum D. Squarciaficum coram eo agebant mulieres. Dictus autem Com. Hieronymus eum suspectum recusauit, ex eo potissimum, quod fuerit in arbitrum ex parte dictorum mulierum nominatus. Lectis itaque die 26. Februarij 1613. in Senatu memoriali cum decreto S. E. precibusq; & responsis partium, ac comparatione præfati Comitis in qua iurabatur suspectus idem D. Squarciaficus, censuit Senatus persistendum esse in prædictis delegationibus, eo tamen addito, quod vbi ipse Ill. Præses Squarciaficus videret aliquas difficultates excitari hinc & inde, quæ consultatione, & decisione Senatus indigere viderentur, de illis prius verbum in Senatu faceret, si & prout conuenire eidem videretur. Alex. Besut.

Ordo Regius de quo supra *num. 128.* editus anno 1604. causam disputationis præbuit in lite vertente inter Marchiones Extentes, & Comites Triultios. Iurisconf. enim Ioannes Caualchinus gener Illustris. Præsidis Squarciafici consuluerat pro Triuultijs, qui propterea petierunt à Senatu, vt declararet an dictus Illustris. Præses posset in causa votum suum proferre, ne quandoque, vbi ad eorum fauorem sententia fieri contingeret, de eius nullitate per aduersantes opponeretur. Responderunt Extentes, hoc non ad Triuultios, sed ad ipsos pertinere, qui nedum hac de causa non contendunt Præsidem remouendum, sed libentissime annuunt, vt votum ferre possit. Quæsitum itaque in Senatu fuit, vtrum nihilominus remouendus esset, an vero attento Extentum consensu admittendus.

Dicebant aliqui non ideo à voto abstinere debere, stante regula, vt exceptionem is alleget solum, qui ea vti possit, non vero per aduersarium *c. affe-ratur 3. q. 3. Innoc. in c. insinuante de off. deleg.* & in

pug-

puncto suspitionis hoc probat *tex. in l. apertissimi C de iud. & in c. secundo requiris §. 1. de appell. & in c. iudex ab Apostolica de off. deleg. in 6.* & tradunt *scribentes in c. speciali de app.* Et de eo, qui fuit Aduocatus in causa, vt eatenus prohibeatur iudex esse, quatenus recusetur; *tex. est in c. postremo de app.* ibi, *non immerito poterit recusari*. Quinimmo quod non possit recusari ab ea parte pro qua fuit aduocatus, sed tantum ab aduersa, est *glos. in c. di lecto in verbo recusatus*, & ibi *Imola de testib.* sequitur *Alex. in l. solet, & ibi Fas. ff. de iur. omn. iud. Fel. in c. irrefragabili num. 4 de off. ordin.*

Vnde cum Regij ordines conclusionem hanc, quæ de iure communi procedebat tantum in eo, qui fuerat aduocatus per *tex. in l. prætor ff. de iurd. omn. iud. in l. fin. C. de assessor. & in l. quisquis C. de postul.* nec comprehendebat iudicem affinem, vel consanguineum aduocati. *Maran. in praxi p. 6. n. 55.* videbatur concludendum id locum non habere in recusatione proposita, idq; etiam quia in correctorijs facienda est stricta interpretatio, & vt minus corrigat, quam sit possibile, *tex. not. in l. 3. §. hoc verbo ff. de neg. gest.* cum simil. sequeretur etiam absurdum, quod suspitio nouissimè inducta præter dispositionem iuris communis esset magis priuilegiata, quam illa ex iure communi oriens. Immo suspitio oriens ex persona affinis, vel consanguinei esset maioris efficaciæ, quam illa quæ oritur ex persona propria, quia hæc retineat terminos suspitionis, illa vero excedat inhabilitatem; Ita vt si ipse Illustris. Præses Aduocatus Triuultiorum extitisset, is attento Extensium consensu votum ferre posset, iuxta conclusionem supra firmatam, & secundum quam iudicauit *Sacrum Consil. Neapol.* teste *D. Regente Tapia lib. 3. pragm.* 23. licet contrarium sustinere conetur *Bertazol. cons. crim.* 550. Cum vero non ipse, sed eius gener in causa scripserit, quod de iure communi in proposito esset nullius momenti, nunc ex ipsis ordinibus Regijs a voto abstinere debeat, quo nihil absurdius; & eo magis, quia hoc modo posset fieri fraus legi, scilicet, vt qui præsentirent aliquem non bene contra se sentire, nec habet iustam recusationis causam posset introducere aliquem ex huius affinibus vel consanguineis in ordine comprehensis, qui etiam suppressis nominibus scriberet, vt eumdem a voto remoueret. Et huic periculo fuit optimè prouisum per pragmaticam in eo Regno Neapol. peculiarē.

Respondebant præterea verbis ordinis per verba negatiua conceptis. Nemo possit; tollentibus omnem potentiam, vt post *glos. 1. in c. 1. de reg. iur. in 6.* scribit *Ias. in l. non dubium num. 60. C. de legib.* & latè exornat *Gallia in consuetudine Alexan. in verbo potest num.* 8. duobus modis, altero quod licet, quid sit datum pro forma, potest tamen ei renuntiari quando respicit vtilitatem priuatam. *Dec. in l. qui iurisdictioni ff. de iur. om. iud.* Priuatam autem vtilitatem continere verba illa in prin. ordinis, *y porque las causas se deuen tratar sin sospeccha alguna &c.* desumpta, vt ita dicamus ex *d. l. apertissimi C. de iud.* Altero quia eodem modo, immo durius loquitur *tex. in l. fin. C. de assessor.* per quem is, qui fuit aduocatus, à iudicando remouetur, vt obseruat *Bertazol. d. cons. 550. à num. 12. vsque ad 16.* & omnium scribentium recepta est sententia, vt tunc demum habeat locum recusatio, si à contraria parte obijciatur.

Allegabatur etiam per Triuultios ordinatio, seu declaratio excelsi secreti oris consilij anno 1608. die primo Decembris vt ploquet D. Præside dum esset Regius Aduocatus ... parte instante facta in qua votum tulerat contra fiscum Quæstor Ioannes Menochius, cuius pater in eadem causa pro fisco consuluerat. Verum respondebatur, obstare regulam, non exemplis, sed legibus. *l. nemo C. de sent. & interloc. omn. iud.* quæ præcipuè habere locum debebat apud Senatum Mediolani.

Maior pars vero dominorum inclinauit in contrariam sententiam, moti potissimum verbis recitati ordinis, quæ licet in principio priuatam respicere videantur vtilitatem, propter publicam tamen emanauit, vt ibi, *y desto se han justo muchos inconuenientes*. Rursus; & inspecta mente S. Reg. M. videbatur absolutum, vt in narratis ab eo casibus Regij Officiales à voto, & a iudicando se retraherent. Et quia inspecto dictorum omnium interesse, tutiorem eam partem fore, quæ re integra abstensionem amplecteretur. Cum hoc ipsum semper ex laudabili Senatus consuetudine (quicquid ius commune statuerit,) qui fuit in causa Aduocatus, soleat statim non expectata partis recusatione recedere, etsi pars annuerit, atque ita Senatus die 18. Iunij 1616. censuit in causa prædicta Illustriss. Præsidem à voto abstinere debere. Bellasius.

Retenta præcedenti resolutione fuit eodem pariter quæsitum die, vtrum idem Illustris. Præses sicuti a voto, ita etiam ab alijs actionibus, quæ per Præsidem fieri debent, & præsertim à deputatione relatoris abstinere deberet, & fuit omnium fere voto resolutum non debere, ea ratione, quod aut volumus Regium ordinem procedere per modum suspitionis: & tunc regula est, vt suspectus in conoscendo, non sit suspectus in delegando *c. cum speciali*, & ibi *Scrib. de app. c. contra clericum de foro compet. Dec. in l. qui iurisdictioni ff. de iur. om. iud.* & est *tex. notab. in l. præses ff. eod.* qui loquitur in terminis suspitionis nascentis ex munere aduocationis prius suscepto; & hanc conclusionem firmat *Ias. ibid. & in d. l. apertissimi num. 7. C. de iud.* Aut volumus vt procedat per viam inhabilitatis, & tunc illa regula accipi debet, vt non egrediatur terminos in ordine propositos, voti scilicet, & sententiæ, iuxta tritas iuris regulas: tanto magis, quia Relatoris deputatio est potius oneris distributio, qua delegatio. Cetera vero, quæ ad ordinem iudiciarium pertinent, vel a relatore consentientibus partibus, vel ijs dissentientibus in pleno Senatu expediuntur, & resoluuntur. Idem Belas.

Recusauerat Io. Iacobus Peronus causidicus Papiensis Illustris. Comitem Ludouicum Tabernam suspectum, ea ratione, quod prætenderet se ab eo pluribus in capitibus grauatum, dum ille Prætor esset Papiæ, & in precibus hac de causa Senatui porrectis grauiter de eo, & de Egrg. Capitaneo Iustitiæ oblocutus fuit. Deputato autem Senatore, coram quo Peronus iustificaret ea, quæ in precibus deduxerat, ac omnibus per eum peractis in Senatu relatis, censuit is ordo, pleraque ex propositis capitibus impertinentiam ac calumniosa esse, alia vero non subsistere, & propterea propositam recusationem reijcienda, prout reiecit: ac in poenam temerariæ oblocutionis, iussit eum ictibus tribus funis publicè plecti, ac demum vt in

Se-

Senatu palinodiam caneret, & veniam peteret: quæ omnia executioni missa fuerunt. His peractis Egr. Capitaneus perseuerauit procedere in causa, ac Ill. Taberna in omnibus Peroni causis votum semper deinceps tulit.

Post biennium autem nouam Peronus proposuit recusationem de eod. D. Taberna, ex eo, quod per dictas oblocutiones offensus dici posset. Qua in re Senatus amoto dicto D. Taberna, & maturè examinato articulo, & primo, quod inimicitia superueniens ex facto partis non esset apta repellere testem, quando esset affectata, vt per *Bar. in l. 1. §. cum quis ff. de quæst.* quod multis exornat *Farin quæst. 53. num. 18.* & in casu recusationis examinat *Fran. Marc. quæst. 892. num. 7. & 16. p. 1. & quæst. 291. num. 1. p. 2.* & an sit affectata, vel ne iudicis arbitrio relinquitur, secundum *Bar. vbi supra*, quem sequuntur relati per *Cottam in memorial. in verbo inimicitia capitales circa fin. vers. Idem de teste.* Secundo quicquid sit in teste, animaduertit Senatus in iudice, vel arbitro procedere conclusionem, vt inimicitia superueniens ex culpa partis, quæ arbitrum vel iudicem offendit, minime impediat, quin sententiam ferre possit, ne pars ex dolo suo lucretur; sicuti singulariter tenent *Io. Andr. in addit. ad Spec. in tit. de arb. §. finitur autem arbitrium, in verbo superuenient.* Quod dictum pro singulariter. *Franc. Aret. in cap. repellatur ab recusatione col. 2. vers. huic dixi singulariter de accus. Cotta loco citato. vers. Propterea de iudice, & arbitro.* Tertio deseruit optime distinctio *Bal. in auth. si testis productus dicatur C. de testib.* per quam probatur, quod, ex quo Senatus censuerit Peronum indebite de perill. Taberna conquestum fuisse; & proposita grauamina fuisse calumniosa, inducitur vt ipse non potuerit a voto repelli. Quarto, obseruauit Senatus semper ita d. Tabernam cum Perono se gessisse, vt prædicta ad animum reuocasse minime dici possit, cumq; insuper ille omnia coram ipso ordine eierasse, debitas pœnas luisse, veniam petijsse, ea demum deinde in ipsum, prout etiam in Egr. Capitaneum consentisse, ex quibus censuit is ordo, propositam recusationem non esse ex hoc capite admittendam, die 23. Nouembris 1617.

Aliam recusationis decisionem non contemnendam affert *Muia deris. 15.* de eo qui reiectus fuerat à recusatione iudicis, vtrum deberet pro eadem, vel simili exceptionis recusatione audiri, & conclusum fuisse asserit, iudicem illum iterum suspectum allegari non potuisse, vt litium sit finis.

223 Ad recusationis igitur præsidium, tanquam ad sacram anchoram confugiat, qui Senatorem nactus fuerit, quam iusta, probabiliq; ratione ductus credat in aduersarij partem propensiorem futurum; cum traditum sit, naturale quodammodo esse, suspectorum iudicum insidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere. *c. quia suspecti 2. q. 5. c. secundo requiris de postul.* res enim periculosissima est, & quæ tristissimos sortiri solet euentus, sub iudice suspecto subire iudicium. Hinc cautum est, lites omnes sine suspitione procedere.

224 *l. apertissimi C. de iud.* Nec erit, quod id ægrè ferat magistratus, quisquis ille fuerit, modo honori, nominiq; eius litigator pepercerit: neque libello suspitionis quicquam complexus sit, quo tantillum læsa videri possit ipsius existimatio. Nam & Augustus, testem se in iudicijs inductum, non tantum interrogari, sed refelli etiam æquissimo animo passus est, vt per *Tranq. cap. 56* Nec refert vera sint, an commentitia, quæ ad eiurandum eum litigator protulerit; semper enim moderatè, patienterq; ferre ea ipse debet & id in animo versare, quod *Cicero in orat. pro Quintio*, dixit. *Magnitudinem periculi, & eius maxime, qui de fortunis omnibus, vel de maiori earum parte iudicio decernat, summo timore hominem afficere: qui id dum cogitat, non minus sapè venit ei in mentem potestatis, quam æquitatis ipsius, qui ius dicturus sit: propterea quod omnes, quorum in alterius manu, vel vita, vel fortuna posita sunt, sapius illud cogitant, quid possit is, cuius in ditione, ac potestate sunt, quam quid debeat facere; potestatem eius magis timentes, quam æquitatem, & clementiam agnoscentes. Cum enim eiusmodi sunt causa, quas ipse, qui recusatus est, ignorare non possit, fraudisq; vel calliditatis nulla præsumptio subsit: neque etiam aduersarius aliter docere velit, non est, quod iudex inuito eo, qui suspicatur, causam retineat.* Quod sub persona Secundi Tacitus in dialogo de oratore his probat. *Ego vero antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi, & modesti iudices solent; vt in his cognitionibus excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia præualere &c.* exemplum aliud attulimus ex *Liuio Decad. 4. lib. 11.*

Mores recusandorum iudicum apud veteres testatur A.con. Pedianus, vt citati testes secundum legem, quæ iubebat, vt priusquam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, ac coram accusatore, ac reo, pilæ, in quibus nomina iudicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio iudicum fieret, vnius & septuaginta, qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent, tum ad dicendum duas horas, reus tres haberet, reusq; eodem die illo iudicaretur. Prius autem, quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reijceret; ita vt numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent quinquaginta & vnus. Idem Ascon. alio loco sic ait, *Moris erat celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina iudicum Selectorum.* 225

Reiectio autem idcirco dicitur, quia cum multi iudices in consilio cum prætore suo iudicaturi essent, qui Quæsitor fuisset in publica causa, verbi gratia repetundarum, ambitus, maiestatis; necesse fuerat, eos primum de curia Senatoria conscribi, cum Senatus iudicaret, deinde in vrnam sortitio mitti, vt de pluribus necessarius numerus confici possit. Tertio, idest, post vrnam permitti accusatori, & reo, vt ex illo numero reijciant, quos putauerint sibi, aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus, & fama iudicum illorum, quos aut reijciebant, aut retinebant voluntatis coniecturam facere populus, quis causæ suæ confideret, quis corrumpere iudices vellet, reiectione celebrata. In eorum locum, qui reiecti fuerant, subsortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus complecteretur. Prima enim sortitio dicebatur: his perfectis, iurabant in leges iudices, vt obstricti religione iudicarent, cum iurassent, omnes prætor prætorem, nomina eorum libellis, vt supra diximus 226

Z con-

continebantur, & vbique habebantur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime iudicarent. Itaque ad prætoris tribunal considerent, vt iudicaturi cum prætore suo. Hucusque Pedianus.

Pessimé egisse Valentinianum testis est *Ammian. Marcell. de quo lib. 27* sic ait. *Ad hanc inclementiam illud quoque accedebat dictu dirum, & factu, quod si quis eum adesset, iudicium potentis inimici declinans, aliumq; sibi postulans dari, hoc non impetrato, ad eundem, quem metuebat, licet multa praetenderet iusta, remittebatur.* Pessimum aliud apud *Liu. lib. 3.* quod iam retulimus. Si quis collegam appellasset, ab eo ad quem venerat, ita discedebat, vt pœniteret prioris decreto non stetisse.

Recusationes Iudicum, ad lites futuras non porrigi, docet *Maynard. decis. Tholos. 99. lib. 1.*

## CAPVT XXII.

*Sententia si pari fiat numero.*

227 FActa votorum collectione, erit semper iudicandum pro ea parte, quam plures laudarunt, & vt ait ordo anni 1500 *Teneatur D. Cancellarius, vel Præsidens concludere à pluralitate opinionum.* & paullo post. *Item Relator ipse tenebitur secundum conclusionem faciendam per D. Cancell. à maiori parte opinionum &c.* Quod etiam in Senatus erectione anno præcedenti his verbis fuerat statutum. *Ordinamus, quod in dicto Senatu nostro teneatur Cancellarius, seu Præsidens in eius absentia concludere materia sufficienter discussa super pluralitate vocum, & opinionum.* Idem olim obseruatum Romæ fuisse scribit *Liu. lib. 37.*, *& Gell. lib. 5.*, & alij, dum dicunt Senatusconsf., & decreta in eam partem facta fuisse, quam plures laudassent. Quod autem standum sit semper maiori parti votorum firmarunt *glos. in c. 1. de ijs quæ fiunt à maior. par. cap. in c. audttis de elect., & in c. cum omnes de constit. Afflic. decis. 1. num. 4. Cabed. decis. 6. num. 4. & 5.* sic etiam *Codex Fabrianus lib. 1. tit. 7. de Senat. definit. 1.* Sed si par sit numerus tam eorum, qui in vnam iuerunt sententiam, quàm qui in alteram, vbi agatur de electione; pro ea pronuntiandum erit, vt scribentes tradiderunt pluribus in locis relatis a *Curia Pisana*, vbi etiam *Azeuid.* Idem erit vbi fauorabilior sit causa, puta matrimonij, dotis, testamenti, aut pietatis. Ex *Fabriano vbi supra.* Apud nos vero, votum eorum præualet, cum quo adest illud Præsidis, vti Mediolani, & alibi seruari attestatur *Tessaur. d. decis. 1. n. 5. & seq.*

In criminalibus erit tamen sequenda mitior sententia, vt per eundem *Tessaur. d. loco in fine, & Fabriano vbi supra*, qui mouetur auctoritate antiquorum, & refert a Caio Iunio Censorio, & Petronio Turpiliano Coss. anno MCCCXIII. legem latam fuisse, vt si partes dissonantes iudicum existant, pro libertate pronuntiandum sit, sic etiam *de C. Mario Plut. in eius vita* scribit, quod existentibus suffragiis paribus iudicium euaserit. Hoc ipsum etiam firmauit Hermogenianus in *l. 24. ff. de manum.* Videndus est etiam *Plin. ep. 33. lib. 6.* dicens. Nam duobus consilijs vicimus; totidem victi fuimus; notabilis prorsus, & mira eadem causa, ijsdem iudicibus, ijsdem Aduocatis, eodem tempore tanta diuersitas accidit casu, quod non casus videretur. Et *Plut. in C. Mario 9* accusato de ambitu talia profert. Tandem existentibus suffragijs paribus præter omnium opinionem iudicium euasit. Si diuersæ fuerit sententiæ, vtique etiam illa sequenda erit, quæ multis placuerit. *Cic. lib. 10. & 12. ad Attic. Lamprid. in Seuero.* Quid si discordant in summa, not. *Cabed. decis. Lusit. 7. p. 1.*

228 Non omittendum censeo illud, quod egregiè tangit *Boss. de defens. reorum sub num. 23 in fine.* Si tractetur de probando aliquid in Senatu fuisse factum, quia cum de tali negotio habitus esset sermo, interierant qui contradixerunt, alij vero dicant factum non fuisse, vbi inquit videri esse *tex. in c. tertio loco de prob.*, & ibi *Dec. in 3. col. in 5. notab.* istud ipsum repetit ibidem *Boss. num. 33.* subdens hunc esse modum probandi falsitatem indirectè. Quid si ex vndecim Senatoribus inter tres litigatores, pro primo sentiant quatuor pro secundo reliqui. Pro tertio constat, non posse dici definitum negotium. Aut si ex eodem numero quinque condemnandum puteat reum vltimo supplicio, quatuor relegandum, alij pœna pecuniaria plectendum? *Fabrian. d. lib. 1. tit. de Senat. definit. 3.* vbi ait etiam, si quinque condemnent in centum, quatuor in quinquaginta, ceteri in triginta, minimam summam spectari oportere.

## CAPVT XXIII.

*Sententia iam lata manum non esse apponendam.*

229 PLatonis in lib. de anima præcepta duo, quouis iudice digna referre duxit *Raynal. Cors. indagat. iur. lib. 2. cap. 24.* Primum, ne rationibus vllis sine longa examinatione credamus, cumque illis sufficienti examine crediderimus, ne facili inde ob quaslibet obiectiones, similitudinesque amoueamur. Secundum est, ne aut propriam, aut alienam in disputando, & minus in iudicando personam, sed rationem duntaxat veritati consonam cogitemus. De hoc secundo satis supra in superioribus capitibus, nunc autem de primo; de quo rectè *Cassiod. ep. 5. lib. 1.* In immensum trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur discordantibus pax, si nec legitimis sententijs acquiescant. Vnus enim inter procellas humanas portus instructus est, quem si homines feruida voluntate prætereunt, in vndosis iurgijs semper errabunt. Illud etiam ab antiquis obseruatum fuisse probat *Plin. ep. 13 lib. 6* inquiens. Senatus ipse mirificus. Nam illi quoque, qui prius negarant Vareno quæ petebat, eadem danda, postquam erant data, censuerunt. Singulos enim integra re dissentire fas esse, peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum. Tradit etiam *Liu. lib. 3.* omnia senatusconsf. statim vt facta erant ad ædiles plebis, vel apud ærarium deferri lege cautum fuisse, quod etiam probat *Cicero Philipp. 5.*, & alij vt est *Tacit. lib. 3. Suet. in Augusto cap. 36.* Platonis sententiam probarunt sapientes multi, Siquidem dixerit *Arist. lib. 6. eth. cap 9.* Principium rectè faciendi, esse rectè sapere, & ea, quæ maturè deliberata sunt, exequi, & *Demost. orat. 22.* celeriter deliberata esse agenda, cum mora autem confu-

consulendum. Laudatur ab Ammiano Marcellino Eupraxius his verbis *Eupraxius Cæsariensis Maurus promotus Quæstor, multa & prudentibus emulanda bona fiducia reliquit exempla, nusquam à statu naturæ discedens intrepidè sed constans semper, legumq; similis quas omnibus vna eademq; voce loqui in multiplicibus aduertimus causis: qui tunc magis in suspecta parte iustitia permanebat, cum eum recta monentem exagitaret minax Imperator, & nimius.* Improbantur autem a Salustio qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt. *Signa profectò inconstantis mollisque animi, ac ægrotantis corporis, quod leuibus etiam offensis quassari solet.* Damna permulta ex hac inconstantia oriri docet *Cicero contra Rullum*, iudiciorum, inquiens, perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutio damnatorum ciuitatum afflictarum, perditis rebus extremi exitiorum solent

230 esse exitus. Propterea optima ratione sapientissimus Rex noster in memorato ordine anni 1581. hæc inquit. *Vogliamo ancora, e comandiamo, che'l Relatore non possa leuare, ne aggiongere cosa alcuna alle Ordinationi del Senato, senza communicar bene la cagione di ciò che si leua, ò s'aggionge, con quei Giudici, che si saranno trouati à deliberare.* Nimirum si de ea re agatur, quæ reformatione aliqua egeat, non vt communis sententia iam firmata immutetur, sed vt melius explicetur, quod fieri potest, & debet teste *Bal. in rub. C. de fide instrum. num. 22.* Et tunc de iure non erit necessaria præsentia omnium, qui definitioni interfuerunt, ex quo de rei substantia non agitur, sed de explicatione eius, quæ in casu *Bal* à solo notario post absolutum actum fieri possent. Quod etiam expressè cautum fuisse videtur in eo ordine anni 1500. in hæc verba. *Relator ipse tenebitur secundum conclusionem faciendam per D. Cancellarium à maiori parte opinionum, formare quandam notulam legendam postea in Senatu, cum primum iterum Senatores conuenient, omnibus alijs negotijs postpositis, vt possit corrigi, & emendari secundum intentionem dominorum: quam notulam sic correctam, & emendatam ipse Relator signabit manu sua: pariterque D. Cancellarius, vel Præsidens in eius absentia signabit, & dabit in manibus Secretarij registrandam.*

231 In quadam noua Leonis *Constitutione* 45. sic & in *rub.* & *tex.* scriptum est. Vt sententiam Iudices in literas referant, suaque manu obsignent. Item. Dum vt res iudicatæ firmæ maneant, & ne qua suspicio, aut controuersia sententias insequatur, curam gerimus, hoc se nobis constituendum obtulit, vt quibuscunque dijudicare, ac dirimere lites obtigisset, de quibus rebus iudicium pronuntiaturi essent, de ijs sententiam de scripto ferrent, eamque manibus suis obsignarent: vt ne si temere iudicatum esse postmodum depræhendatur, negare illi suam sententiam possint: neque alij cuipiam supposititia, adulterinaquæ sententiæ scriptura effecta, illam in iudicum aliquem referre liceat. Quicunque igitur Iudicum dignitate honoratus est, de hinc ita facito, ac quibus de rebus iudicauit, decretum, scriptum, suaque manu obsignatum edito.

Soli Præfecto Prætorio licuit olim sententias sine scripto ferre, vt apud *Cassiod. ep. 3. lib. 12. Sym. ep. 27. lib. 1., & in l. 2. C. de senten. ex breui recit.* Tutior vero est Constitutionis, & Senatus erectionis iam alia ratio illa, quæ subsignationem a Iudice, aut Relatore requirit. quod etiam probarunt *Vant. de nullit. ex deff. process. num. 69, & seq. vsque ad num 86. Butr. in c. quoniam contra num. 55. de prob.* dum ait, notarium non debere totum tenorem sententiæ de verbo ad verbum describere, sed solum, quod tali die, tali loco, ac inter tales personas lata fuit sententia, prout in schedula manu iudicis subscripta. Sic etiam *Monterus decis. Aragon. 12. num. 28.* Non etiam subscriptio ipsa sententiæ sufficit, sed ad notarium deferri debet, teste *Ias. in l. emptor §. Lucius num. 4. vers. singulariter nota ff. depos.*, & in *l. si ita stipulatus §. Chrisogonus num. 15. vers. Tertio vltra scribentes ff. de verb. oblig.* Neque admitti deberet stylus contrarius, tum quia nullus, quippe sit contra ius, & sine superioris auctoritate introductus. *l. formam C. de off. Præf. Prat. Alex. in cons. 36. in fine lib. 2. Dec. in rub. de consuet. num. 2. vers. breuiter resoluendo*, & in *cons 677. ad finem, Natta cons. 318. num. 2.* latè *Bossa cons. 8. per totum.* Tribuit etiam talis stylus incentiuum delinquendi, vt in *d. constit.* 45. estq; sine ratione, propterea eradicari deberet. *c. fin. vbi Abb. de consuet. Fel. in c. cum ex officijs col. 6. vers. secundo dico de rescrip. Rum. cons. 155. col. 3. vers. quia etiam, & cons. 156. col. pen. vers. quæ etiam consuetudo lib. 4. Paris. cons. 27. cum plur. sequent. lib. 1.* Neque enim hoc ius nouum est, cum antiquitus moribus receptum fuerit, vt iudices omnes sententias de scripto suas recitarent, & eis perlectis addere aliquid, vel diminuere, detrahereuè, aut commutare eas non possent. Sic enim *Seneca Declam. 3. lib. 8. Iudex dat tabellam*, inquit, *Reuocare sententiam, quam tulit, non potest Quæstor. non mutat pronuntiationem.* Clarius *Apul. in Florida lib. 1. Enimuero ipse proconsul moderata voce rarenter, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe præconis vox garrula ministerium est, quæ semel lecta, neque augeri littera vna, neque autem minui potest, sed vtrunque recitata est; ita &c.*

De Senatusconsultis aut decretis, quæ à cunctis Senatoribus perscribebantur obsignabanturque differit *Ian. Langleus semest. lib. 7. cap. 12. & 13., & Maynar. decis. Tholos. 74. lib. primo*, affirmantes recta ratione sancitum in Francia fuisse, vt à cunctis subscriberentur, nempe, vt exinde legitimus consentientium numerus elici possit, & item an aliqui suspecti interuenerint. De hac re nonnulla etiam per nos supra in initio huius §. *c* 3., & dum scripsimus aliud fuisse S. C., aliud auctoritas, consensus, voluntas, & voces Senatus, licet hæc obsignatione munita essent. Ex auctoritatibus, quas ibi attulimus apertissimè colligitur ad S. C. validitatem necessariam fuisse contentium subscriptionem; idq; etiam docet *Cic. ep. ad Attic. pen. lib. 1. prid. calen. Octobris in æde Apollinis scribendo affuerunt L. Domitius, C. F. Ænobardus, Q. Cæcilius, Q. F. &c.* idem in *orat. de arusp. Resp. Postremo dic*, inquit, *frequentissimus Senatus te consule designato Lentule sententia Principe P. Lentulo, & Q. Metello Consulibus statuit: cum omnes Pontifices, qui erant huius ordinis adessent, cumque alij, qui honoribus populi Romani antecedebant, multa de collegij iudicio verba fecissent, omnesque ijdem scribendo adessent, domum meam iudicio Pontificum*

Z 2 *libe-*

*liberatam videri*. Sic etiam tenet *Alciat. in l. subsignatum ff. de verb. sign.* qui etiam ait, Iurisconsultos ideo testes iuris appellatos, quia responsa sua subsignata dabant, de qua re est optimus *textus in l. 2. §., & vt obiter ff. de orig. iur.* Proinde, & numera Senatum inquit *Sextus Pompeius lib. de sign. verb.* numera dicebat quiuis Senator Consuli, cum impedimento volebat esse quominus fieret Senatusconf. si tot non essent Senatores, quo numero liceret S. C. scribi, alia plura supra *glos. 5. num. 27.*

Nisi etiam dicas à Principe Senatus ea tantùm subscripta, vt est apud Flauium Vopiscum in Tacito, his verbis. *Tacitum cum prima sententia Senator esset S. C quo Imperator declaratus, atque renunciatus erat, quasi verè priuatum (vt qui verè recusaret imperium) interfuisse eique S. C. (quod in libro Elephantino Bibliotheca Vlpia perscriptum legitur) manu sua subscripsisse.* *Cic. in orat. post red.* idem firmat, inquiens. *Quod si Q. Metellus illo tempore Consul fuisset vnicus; dubitatis quo animo fuerit in me conseruando futurus, cum in restituende authorem fuisse, adscriptoremque videatis.* Rursus *famil lib. 10. ep. 13. Id ex ipso Senatusconsulto poteris cognoscere, ita enim est perscriptum, vt à me de scripto dicta est sententia, quam Senatus frequens secutus est summo studio, magnoque consensu*; Clarius idem *Cic. ep. 16. d. lib. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad vnum. Ea qua fuerit, ex S. C. cognosces; Formulam etiam S. C. praescribebat Dux, & auctor illius.* Cic. Philipp. 1. *Quam ob causam iustam, atque magnam, & quod periculosissimum ciuile bellum, maximumque humanitate, & sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque conuertit, S. C. his verbis censeo perscribendum. Cum à M. Lepido Imper. Pont. Max. sæpenumero respub. bene, & fœliciter gesta sit &c.*

Apud nos autem decreta subscribuntur primò à Relatore, & mox à Præside, ea tamen prius recitata præsentibus omnibus ijs qui sententiam dixerint, quod etiam in supremis Franciæ Curijs seruari testatur *Langlaus d. cap. 12. pag. 406.*

Non ergo ab ipso iam iudicato recedendum erit, vlla etiam in parte minima quemadmodum enim qui deprauant monetam, tametsi partem lædant, vniuersam tamen corrupisse videntur; hocq; graui persequendum voluerunt iura iudicio: sic quoque qui partem quandam iuris, iam declarat, aut pœnarum abrogant, rem totam euertunt, eamque nullius fuisse pretij ostendunt. Res etiam sic iudicatæ, quia disquisitis omnium sententijs, causa plenissime cognita, circunstantijs omnibus rerum, personarum, temporumque adhibitis, hanc auctoritatem adeptæ sunt, vt vix vnquam retractari, infirmari, ac rescindi possint; cum generaliter non tam illius interfit, qui vicit, sententiam non rescindi, quàm reipub. vt lites finem accipiant, appareatque perpetuo Senatum æquo iure iudicasse. Nec ab re Athenis, qui ante iudicatum priuata actione conueniebantur, post iudicatum ni satisfecisset, de vi publica tenebatur, vt aduersus Mydam Demost. testatur idque ne contumacia damnatorum auctoritas rei iudicatæ diminueretur, & non tam vtilitates singulorum læderentur, quàm iura, & leges minuerentur. De hoc etiam *Langlaus semestr. lib 5 c. 2.*

231 Tandem Præses, & Senatores concordes sint, mutuoque se amore vincantur, non enim oportere priuatis odijs dissidere, qui publica summa iuncti sunt potestate, inquit *Valer. lib. 4. c. 2.* Et quemadmodum in fabrica humani corporis grata est cuique membri portio, ita & multo plus in commune compositio membrorum apta delectat. Hoc ipsum multis probat *Plut. lib. de ciuili administr.* inter cetera hæc etiam dicens, *nisi dissidij, atque causas inimicitiarum horreant ij, atque aduersentur, eisdem id eueniat omnino necesse est, vt vnum è tribus malis effugere nequeant, aut enim collegam parem sibi, aut meliorem, aut inferiorem necessario existimabunt. Si parem, per factionem dissentire ab eo incipient, ne cedere videantur. Si præstantiorem, inuidia, & liuore flagrabunt; Si inferiorem, contemnent. Sed enim diuersa omnino ratione præstantioribus morem gerere, inferiores ornare, paribus honorem habere deberent, ceteros amplecti beneuolè, atque omnibus amicitia prosequi officijs. Non enim per mensam, & inter pocula, nec in vestibulis ipsis societatem huiusmodi inuenerunt, sed communi consulto ciuitatis, & publica suffragatione. Quo fit, vt beneuolentiam hanc decernente patria, veluti ius quoddam hæreditarium mutua charitate complexos, perpetuo seruare, atque tueri oporteat.* Et paullo post. *Quibus quaso artibus modestus quisquam alius, & frugi homo videri possit, qui alicubi obseruanti per maleuolentiam insultet, qui factis praclarè gestis per æmulationem obtrectet, vel denique inde laudem benefactorum per ambitionem extorquens, sibi ipsi postea per impudentiam arroget, & adscribat? Equidem commemini iuuenem me quodam adhibito altero socio, legatum ad Proconsulem decreto publico institutum, socium vero casu quodam restitisse, neque legationis munus ad exitum vsque prosequutum, me functum officio, & quæ publico nomine curanda susceperam, ex sententia confecisse, domum regresso, ac legationis iam absoluta rationem publicè relaturo, mihi patrem secreto iussisse, ne dicerem: accessi, dixi, feci, sed comprehenso collega, accessimus, diximus, fecimus, haud secus si rebus omnibus ipse quoque interfuisset, & operam mecum præsens conficiendis negotijs impendisset: hac enim ratione nihil non modestè atque humaniter fieri, eo modo haud inuidiosè rem totam tractari, verum etiam de existimatione nihil inde atque gloria detrahi.* Hactenus *Plut.* non etiam illos decem viros imitetur, quorum meminit *Liu. 3. ab vrbe cond.* his verbis. *Si quis collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, vt pœniteret prioris decreto non stetisse; sed iustitiam teneant, grauatos releuent,* iuxta *tex. in l. illicitas §. ne potentiores ff. de off. præs., & in l. 1. C. quan. Imper. inter vid., & pupill., & glos. in c. 1. 87. distinct.* Et quicquid in Senatu agant, prout *Aul. Gell. lib. 14. cap. 7., & Seneca de tranquill. vita cap. 14* orto sole, clara luce agant, sine vlla fraudis doliuè suspitione, sine timore, sine odio, aut beneuolentia, liberè, securoque animo faciant.

Hæc qualiacunque sint a nobis fuerunt allata, non quia in Senatu hodiernis necessaria temporibus existimauerimus, nec vt Mineruam instrueremus, sed credentes ea aliquibus esse iucunda, quos explicata rerum notitia delectat. Exempla quoque maiorum proposuimus, quæ neque obscuritatem afferunt ad intelligendum, neque ad tractandum versutias, vt ait *D. Ambros. off. cap. 25.* demum vt illis saltem credendum fore lectores putent.

CA-

## CAPVT XXIV.

*Secreta non debent releuare Senatores.*

233 NEc mutanda esse Senatusconsͣ docuimus, nec ea quæ tacenda sunt, publicanda nunc demonstrabimus, siquidem teste *Festo, & Ægid. Rom. de regim. prin. lib. 2. par. 2. c. 17.* consilium, dictum est a con, & sileo, vt simul iuncti Senatores statuant sanè, sed sileant, & taceant simul. Consiliarijs duo vitanda esse dixit Arist. *Primum ne sint plani, alterum, ne sint placentes, hoc est adulatores,* & 2. Reth. idem refert, quendam poetam nomine Alexandrum, qui viderat Priamum è concilio egredientem, dixisse: is est qui consuluit, quasi solus, quia & secretus, & inter alios verax. Inquit etiam *Valer. lib. 2. cap. 1.* arcana consilia P. conscriptorum multis nemo Senator enuntiauit; quia vt ipse *cap. 2.* subdit, est taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum; nec res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere graue est, ex *Curt. lib. 4.*

Decet ergo Senatorem secreto vti, tum quia, secundum *Isaiam c. 32. transumptum in c. fin. 5. q. 4.* est cultus iustitiæ silentium, tum quia Princeps eidem sub silentio secreta committit, vt dicit *glos.* ab omnibus approbata in *l. omnimodo §. imputari C. de inoff. test.* & quam notab. vocat *Luc. de Penna in rub. de silent.* vbi alia plura: adde etiam *tex. insignis in l. proximos 2. in fine*, ibi. *Quibus enim pietatis nostra arcana merito committuntur &c.* Et Thob. *secretum Regis abscondere certum est, opera vero Dei reuelare honorificũ est. Decet tertio ne damna alicui inferantur, aut scandala oriantur*, vt ait *D. Anton. in 2. p. tit. 4. cap. 8. de confid. § 8.*

Potissimum, quia Senator in ingressu sui officij secreta tenere, quæ in Senatu tractantur, vt late supra *glos. 4. cap. 5.* iurat, atque iurare tenetur, secundum *Bal. de non. form. fidel. in vsib. feud. num. 7.* & formam iuramenti, quam subire tenentur Senatores Mediolanenses, refert etiam *Menoch. de arb. iud. lib. 2. cent. 6. casu 537. num. 12. in fine.* Arduum nimis est, meruisse Principis secretum, inquit *Cassiod. var. Ep. 10. lib. 8.* Alexander cum arcanas quasdam literas Ephestioni legisset, detracto annulum ori eius admouit. Quod quisque id sibi factum putet, simul ac est in consilium lectus. Nimirum os sibi clausum a Principe, signatumq; esse. Is Persarum mos fuit, vt nemo consiliorum conscius esset, præter optimates taciturnos, & fidos, sicuti & apud Romanos. Notabile est illud de Eumene Rege, qui cum Romam venisset, & Regem Persen in Senatu accusasset, ac de toto bello cum patribus deliberasset, in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia Regem, scire quisquam potuit: bello denique perfecto, quæque dicta ab Rege quæque responsa essent emanauere. Silentium ergo Senatoribus seruandum etiam in causis priuatorum, nec iudiciorum secreta debent euulgare cum periculum sit, vt litigatores illic antimonias plerasque adhibeant, inueniantque. Imitentur Areopagitas, quorum nemo subticentior, vt in prouerbio apud Græcos, de quibus *Valer. lib. 2. c. 2. & Bud. ad l. vlt. de Senat. col. mihi 184.*

Qui enim secreta reuelat, officio priuari potest, 234 *l. aliud in prin. ff. de pœn.* vbi *Bar. glos. in c. de forma 32. q. vlt. arg. c. 1. quib. caus. feud. amit.* & ibi *Bal. scribentes in c. 1. vers. credentias de pac. constan. & in l. si quis aliquid per illum tex. ff. de pœn. & in l. omnes §. exploratores ff. de re milit.* idem *Bal. & ceteri in l. fin. ff. qui sat. cog. Alber. in l. 1. ad fin. ff. ad l. Iuliam maiest. Luc. de Penna in rub. de silent. lib. 10. Mart. Laudens. de consil. prin. q. 2. Marsil. latè cons. 1. lib. 1.* Memini ego, quendam Egregium Senatorem fuisse per aliquot dies ab officio suspensum, quod diceretur propalasse sententiam Senatus quandam, antequam publicaretur, & legi, obiurgatum grauissime fuisse Q. Fabium Max. quia è Senatu egressus P. Crassum Quæstorem alloquutus est, credens eum in Senatu fuisse; vt apud Valer. Maximum. Et non solum officio priuari poterit, sed etiam tanquam proditor puniri, vt habetur in *l. obseruandum vbi scribentes ff. de off. præs. & in l. si quis transfuga ff. de pœn.*, quod sequuntur omnes in *d. §. exploratores ff. de re milit.*, & comprobant *Cæpol. cons. 39. num. 26. & seq. Alber. in l. 1. § is qui depositum ff. ad l. Corneliam de fals.* Hinc *Bos. tit. de carcerato num. 30. & seq.* sic scriptum reliquit. Et si tu Senator fueris, maxime tibi animaduertendum erit, vt memor iuramenti præstiti in admissione dignitatis, sis secretus, quia alias incides in magnum periculum, nam *glos. in c. de forma 22. q. 2.* dicit, quod capite punitur reuelator secretorum, & ita dicit *tex. in l. si quis aliquot §. 1. de pœn.* & licet tam *glos.* quàm *tex. loquantur de secreto, quod reuelatur hostibus*, vt per *Alber. in d. §. 1.* & ita etiam sit intelligendus *Mart. Laudens. de consiliar.* attamen magna pœna afficiendi videntur tales, etiam si ea tantùm denuntient, quæ ad iustitiam pertineant. Hoc ostendo, quia si quis aperiendo, vel recitando, vel resignando testamentum viui incidit in pœnam *l. Cornelia ff. de fal. l. 1. §. is qui; cum simil. ff. de fals.* Et idem si a causidico, vel aduocato ostendatur instrumentum litis aduersario. *d. l. 1. §. is qui deposita, & de vtroque in d. l. si quis aliquot §. qui viui, & seq.* quantò magis hoc militare debet in gestis per Senatum, antequam sine auctoritate Senatus edantur. Ante enim editionem Senatus potest addere, & diminuere. Et ideo non conuenit publicare, nisi re perfectè terminata. Et si publicarentur vota singulorum, maximè prolatorum in grauissimis causis, tunc maiori pœnâ dignus esset publicans, propter maximum periculum; in quod eum iniiceret, qui sententiam duram dixisset. Et quia in futurum, qui libere loquebantur, quod est in ijs viris præcipuum, *c. fundamentum de elect. in 6.* retraherentur, non sua culpa, sed eorum, qui reuelassent. Et ideo consiliarij appellantur etiam silentiarij, secundum *glos. in rub. de silentiar. lib. 12.* ad quæ plurimum facit, quod de Papirio Peto apud *Gell. lib. 1. cap. 23.* scriptum reperitur; nam is adhuc penè puer, preces, & imperium matris sedulo interrogantis, quid in Senatu actum esset, callido figmento elusit, ne ipse matri Senatus arcana panderet, ex quo ei postea nomen honoris gratia Prætextato fuit inditum, ob loquendi, dicendique in ætate prætextata prudentiam; quæ si in illo fuit, & in alijs innumeris, quorum exempla apud alios scriptores passim scripta reperiuntur, quam indignum profectò esset, si in Senatore desiderarentur. Quare non mirum si *Cæpola in cons. 4. in 5. vol.* consuluit

fuluit tales incidere in falſum, dicens, ita fuiſſe conſultum in Ciuitate Patauina: & noſtra tempeſtate D. Franciſcus Bellonus Senator in Ciuitate Caſali, qui reuelauerat quandam ſententiam capitalem adhuc non publicatam, fuit capite ob hoc ſolum obtruncatus: quam ſententiam aduerſus ſemet ipſum prius ipſe tulerat, dum interrogatus à Marchione. Qua pœna dignus eſset, qui ſententiam capitalem reuelaſset; Reſpondit eadem capitali pœna; ipſo Marchione ſubdente. Tu igitur hanc pœnam patieris. Hæc Boſs. qui etiam poſtea recenſet & iudices, & Senatores in Sindicatu grauiſſime damnatos. *Boſs.* refert, & ſequitur *D. Menoch. de arb. iud. d. caſu* 537. *num.* 12. & 13.

Quibus addenda ſunt, quæ *Plut. in C. Mario* 8. tradit. *Sabacon à iudicibus accitum, ſuſpitionis cauſa, quod geſta in Senatu detexiſſet; cum reſpondiſſet æſtuantem ſe frigidam poſtulaſſe, ad ſeruum, qui poculum habebat, veniſſe, deinde ſtatim, cum bibiſſet, abiiſſe, fuiſſe à cenſoribus è numero Senatorum deiectum, & hac pœna dignum viſum fuiſſe, vel propter mendacium, vel propter intemperantiam.*

235 Non erant etiam prætermittenda, quæ ſcribit Capitolinus in Gordiano in hunc modum. *Dicit Iunius Codrus iſtud S. C. fuiſſe tacitum, quod quale ſit, aut quare ſic appellatum breui exponam omnino. Exemplum S. C. taciti non aliud eſt hodie, quàm; quod veſtra clementia conuocatis ad interiora maioribus ea diſponit, quæ non ſunt omnibus publicanda; de quibus adiurare etiam ſoletis, ne quis ante rem completam quicquam vel audiat, vel intelligat. Hunc autem apud veteres neceſſitates publicæ repererunt, vt ſi fortè aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia capta conſilia, vel aliqua conſtituere, quæ non prius oporteret dici, quàm effici, vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare S. C. tacitum foret, ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent, Senatores exciperent; Senatores omnium officia cenſualium, ſcribarumq; complerent, ne quid forte proderetur. Sed ſtatim ille, vt ſe habent hominum mentes eorum duntaxat, qui erubeſcunt per ſe ea non agneſci, quæ ſciunt, & qui humiles ſe putant, ſi commiſſa non prodant, omnia comperit Maximus, ita vt exemplum S. C. taciti acciperet, quod nunquam ante fuerat tractatum.* In hoc tamen puto Gordianum lapſum eſſe, ſiquidem Cicero pro Sylla dicat. (niſi intelligat Capitol. de nomine hoc S. C. taciti) *Introductis in Senatum iudicibus, conſtitui Senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa perſcriberent. At quos viros? non ſolum ſumma virtute, & fide, cuius generis in Senatu facultas maxima: ſed etiam quos ſciebam memoria, ſcientia, conſuetudine, & celeritate ſcribendi facillimè, quæ dicerentur perſequi poſſe. C. Coſconium, qui tunc erat Prætor: M. Meſſalam, qui tum Præturam petebat: P. Nigidium. Appium Claudium: credo eſſe neminem, qui his omnibus, aut verè referendis, aut etiam ſcribendis putet ingenium defuiſſe. Tunc enim agebatur de Catilinaria coniuratione, & prædicti Senatores à Cicerone adhibiti fuerant, vt ſcribarum munia exequerentur.* Taciti S. C. exemplum extare videtur apud *Liuium Decad.* 5. *lib.* 2. qui ſic ait. *Sic igitur Eumenis oratio P. C. monit. Ceterum in præſentia nihil, præterquam fuiſſe in curia Regem, ſcire quiſquam potuit: eo ſilentio clauſa curia erat. Bello denique perfecto, quæ dicta ab Rege, quæque reſponſa eſſent emanauere.* Idem ferè *Valer. Max. lib.* 2. *cap.* 14. ludens. *Itaque non dicam vnum, ſed neminem audiuiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum.* Sic & *Iuſtinus lib.* 35. inquiens. *Reuerſus in Regnum Antiochus decedit relicto paruulo admodum filio: cui cum tutores dati à populo eſſent, patruus eius Demetrius, qui obſes Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, Senatum adijt. Dimitti ſe igitur ad regnum petendum æquum eſſe, quod ſicuti iure gentium maiori fratri ceſſeriſſet, ita nunc ſibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi. Cum ſe non dimitti animaduerteret à Senatu tacito iudicio tutius apud pupillum, quam apud eum regnum futurum arbitrante, ſpecie venandi ab vrbe profectus. Hoſtia tacitus cum fugæ comitibus nauem conſcendit.* Alia ſcribit *Alex. ab Alex. gen. dierum cap.* 11. *lib.* 4. quæ etiam ſupra tetigimus, nimirum omnia Senatuſconſulta conſueuiſſe voluntate Conſulum ſupprimi, vel enuntiari; ſed poſtea per L. Valerium, & M. Horatium Coſs. ſtatutum fuiſſe, vt ampliſſimi ordinis decreta, ad ædem Cereris, ab Ædilibus deferrerentur: demum, vt in ærarium deponerentur. Quod etiam Auguſtus cauit, ne Senatus acta publicarentur, nevè Magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitteretur. Ex his tamen quædam fuere tacita Senatuſconſulta, quæ palàm enuntiare non licebat, quæ in ſanctiore Senatu, & concilio arcano, tamquam in receſſu ſemoto ſeruabantur: quibus decernendis neque ſcribæ, neque ſerui publici intererant, ne quis enuntiaret. Apud Cartaginenſes verò triginta Senatorum Principes ſanctiori concilio, & arcanis negotijs præpoſiti erant, quæ, tanquam cœleſte arcanum, dici non poteſt, quàm alto ſilentio obtegerentur. Qui etiam ſanctior Senatus Athenis fuiſſe proditur, ſine cuius concilio aliquid grauius decerni, aut ferri ad populum, Solonis lege vetabatur. Syracuſani autem ſanctiorem Senatum non habebant, ſed ſi quid arduum, & perdifficile imminebat, ſolius Timoleonis ſummi Ducis velut ſancto, arcanoq; conſilio, iudicio decernebant. Ætolis Apolecti ſanctiſſimum, & arcanarum rerum fuiſſe concilium; quorum conſultatione, ſi quod inſtaret periculum, decerni oportebat. Cæſarum vero temporibus, decreta Senatus, quæ ad Principem pertinerent, non arcano Senatui, ſed libris Elephantinis mandabantur, qui ſumma cura in Vlpia bibliotheca, vt eſſent perpetuo monumento, ſeruabantur. Quæ quidem arcana patrum conſilia quanto ſilentio obtegerentur, illud argumento eſt; Quod Q. Fabius Maximus, cùm de tertio Punico bello, quod in arcano concilio decretum erat, Craſſo in itinere enuntiaſſet, à Senatu grauiter increpatus, & conuitijs affectus fuit. Alia vero tacita conſulta, quæ tacita non erant, poſtquam maturè ſtatuta fuerant, de concilij ſententia in concione, quæ pro veſtibulo curiæ obuerſabatur, recitari, & publicè edi poterant. Hactenus *Alex.* Scribit etiam *Plut. de garrulit.* in hæc verba. *Romani Senatores deliberabant inter ſe plures dies de re quadam arcana: de qua dum obſcura eſſet, & varia hominum ſuſpitio, mulier alioqui pudica, & modeſta, mulier tamen marito ſuo incumbebat, etiam atque etiam rogans, vt hoc arcano ſibi diſcere liceret: iureiurando ſilentij fidem obſtringebat, diris ſe deuouebat, adelebat lachrymas, conquerens ſibi nullam apud eum eſſe fidem. Tum Romanus captans occaſionem reprehendendæ eius amentiæ; viciſti inquit ò vxor. Audi igitur terribile portentum, Renuntiatum* eſt

est nobis à sacerdotibus visam esse coturnicem volantem, quæ galeam auream, & hastam gestaret: mulier autem hæc uulgauit. Sicq; vir sapiens hoc commento vsus, an constantia uxoris periculum fecit. Alia quæ pœnam contra secreta reuelantes comminatam respiciunt, tradit id. D. Menoch. d. casu 537. Dixit etiam Mart. Laudens. de consil. Prin. q. 32. iurantes tenere, quid secretum, posse impune reuelare ea secreta, quæ sunt contra rempub.

## CAPVT XXV.

*Senatui Romano, qui honor habitus fuerit, & qui Senatui Mediolanensi habeatur, deque vtriusque Senatus comparatione.*

236 IAm satis explicata fuisse credimus, quæ Senatui Mediolanensi magis propria videbantur, in quibus etiam recensendis, cum permulta retulerimus de Senatu Romano, quæ digna comparatione cum hoc nostro iudicauimus; res ipsa nunc admonere nos videtur, vt permulta alia vtriusque Senatus memoriæ digna conferamus. Complura namque de Senatu Romano ex historiarum monumentis præclara sanè exempla contemplari licebit, omnino cum hoc ipso Mediolanensi paria, alia vero longè maiora, alia minora; quæ etsi difficilia sint, & existimentur, non tamen piguerit similitudines, & differentias in his duobus Senatibus, prout & supra fecimus, breuibus memoriæ mandare, & simul iuxta ordinem à nobis propositum, ac ipsa tex. nostri verba de priuilegijs alijs pluribus, & prærogatiuis ipsius Senatus pertractare. Pauca tamen in præsentia adducemus, vt ceteris verbis eiusdem tex. & præsentis constitutionis sua loca relinquamus.

Primò igitur videndum erit de auctoritate Senatus Romani, quam à Romulo maximam habuisse scriptores omnes veteres, & recentiores testati sunt; siquidem viros ille centum delegerit, quibus cum rempub. administraret & quibus tantam deinceps auctoritatem concessit, vt neque Romulus ipse, neque ceteri, qui Romulum subsequuti sunt Romanorum Regis quicquam, quod paulò maioris esse momenti videretur, sine consilio agerent, teste Orosc. cap. 2. lib. 7. & Fenestella de Roman. Magistr. cap. 1. quod prius à Laconibus obseruatum fuisse Halycarnass. lib 11. & à Lacedem. Plut. in Agesilao 7. firmarunt. Nec si populus ipse, in quo plenissima potestas, & summa imperij Maiestas esse dicebatur, aliquid fieri iussisset, quid tamen minimum executioni mitti poterat, aut eius iussa rata habebantur, nisi prius quam grauissimi Senatus auctoritas intercessisset, ex eod. Halycarnass. L. Fenestella c. 1. Alex. ab Alex. genial. dier. lib 4. cap 11.

Is etiam ordo ceteris ordinibus, publicisq; consilijs omni honore, atque potestate semper antecelluit, vt testantur Liu. lib. 1. decad. 1. Maior. de Sen. Rom. Manut eod. tit. Cagnol. in l. 2. ff. de orig. iur. num. 163. & seq plur. vbi etiam Zas. cum alijs supra in principio glos. 1. per nos adductis; quibus addamus Cicer. pro Sextio, his verbis. *Maiores nostri, cum Regum potestatem non tulissent, ita Magistratus annuos creauerunt, vt consilium Senatus reipub. proponeretur sempiternum.* Et pro C. Rabirio idem ferè repetit. Describendæ sunt leges 12. tab. de hac re loquentes, quæ sic loquebantur.

*Omnes Magistratus indicum aruspicumque habeto, exque ijs Senatus esto.*

*Eius decreta rata sunto, ii ordo vitio vacato.*

*Ceteris specimen esto.*

*Causas populi teneto.*

*Quæcunque in populo, quæcunque in patribus agentur, modica sunto.*

Hæc autem Roma libera. A Cæsaribus vero oppressa, plura recenset memoria digna Alex. loco supra citato, potissimum Octauium Augustum tanti Senatus dignitatem fecisse, vt singulos nominatim sedentes in curia salutaret, & decedentem, nullo se monente, vale diceret, plura alia diximus supra glos. 3. cap. 5. Dixit etiam Tiberius Cæsar, vt in illius vita auctor est Suet. cap. 3. neque tam paruum quicquam, neque tam magnum priuati, publiciq; negotij fuit, de quo non ad patres referret. Et Suet. in Vespesiano cap. 9. scribit eum dixisse, non oportere maledici Senatoribus, remaledici ciuile fasque esse. Xiphil. quoque de eodem plura, inter quæ. Veniebat in Senatu semper, & cum patribus communicabat omnia; frequentes ex Senatu accipiebat conuiuas, & plura id genus. Spartianus, item & Dion. in Adriano, dixerunt, eundem Adrianum, cùm vidisset seruum suum inter duos Senatores è conspectu ambulare, misisse, qui ei colaphum daret, & diceret, noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes seruus. Tantus honor habitus est Senatoribus, vt Tiberius Cæsar quandoque illis assurgeret, & de via decederet, Suet. teste in eod. cap. 33. & in cap. 23. de Claudio loquens, dixit. *Tanti Senatores fecit, vt de maiore negotio acturus in Senatu, medius inter consulum sellas tribunitio subsellio sederet.* Vlterius, idem in Augusto talia loquitur. *Sibique instituit consilia sorriri semestria, cum quibus de negotijs ad frequentem Senatum referendis ante tractaret, & in Claudio, rerum actum diuisum antea in hybernos, æstiuosque menses coniunxit.* Semestria enim principum consilia dicebantur, in quibus cum aliquot Senatoribus ad semestre tempus aduocatis, de ijs, quæ ad Senatum referenda erant, deliberabant: inde opinor ductum nomen, quod hybernis, æstiuisq; mensibus sibi consiliarios mutabant, ex suprascriptis, & Dione lib. 53. Addas Xiphilinum de Augusto sic dicentem. *Aduocabat quindecim Senatores sorte ductos, qui sibi ad sex menses in consilio essent, interdumq; cum his indicabat.* Et Zonaras lib. 2. ita scribit. *Consules etiam ex alijs item Magistratibus singulos, & ex Senatorum copia consiliarios quindecim ad sex menses asciuit, vt eorum opera, cum vniuerso Senatu, ea quæ deliberanda essent, communicaret; nonnunquam etiam ius vna cum ipsis dicebat.* Plura Lamprid. in Alex. Seuero. *Neque vllam constitutionem sacrauit sine xx. iurisperitis, & doctissimis, ac sapientibus viris, ijs denique disertissimis non minus L. vt non minus in consilio essent sententia, quàm Senatusconsultum conficeret, & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quod quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* Item. *Quiescite igitur venerandi patres, & vos ipsi magnifici, vnum me de vobis esse censete.* Item Carrucas Romæ, & Rhedas

*dat Senatoribus omnibus, & argenteas haberent permisisset, interesse Romana dignitatis putans, vt his sanctæ Vrbis Senatores vterentur.* Alia Capitol in M. Ant. Philos. *Semper cum optimatibus non solum bellicas res, sed etiam ciuiles priusquam faceret aliquid, consuluit. Denique sententia illius præcipua fuit. Æquius est, vt ego tot, & talium amicorum consilium sequar, quàm vt tot, & tales amici meam vnius voluntatem sequantur.* Iterum Dion in Adriano. *Erat enim tunc mos, vt cùm Princeps causas agnosceret, & Senatores, & equites Romanos in consilium vocaret; sententiam ex omnium deliberatione proferret.* Complura alia de Senatoris dignitate *D. Menoch. de arb. iud. casu* 518., *& nos supra d. c.* 5. *glos.* 3. vbi docuimus illam fuisse culmen, & fastigium omnium dignitatum; quam agnoscens Cyneas legatus Pyrrhi Epirotarum Regis, dum Romam eiusdem Regis sui iussu venisset, dixit, non se Romæ sicut in ceteris Vrbibus Senatum vidisse; Sed Senatum Romanum multorum Regum sibi consessum videri, vt testis est *Plut. in Pyrrho* 42. scribit etiam *Liu. lib.* 45. Regem Prussiam cùm Romæ veniret in curiam summisisse se, & osculo limen curiæ contigisse, & Deos suos Senatores appellasse. *Amianus Marcellinus lib.* 16. vbi de Constantino Romam ingresso agit, sic scribit. *Cumque vrbi propinquaret Senatus officia, reuerendasque patriæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non vt Cyneas ille Pyrrhi legatus in vnum coactam multitudinem regum, sed asilum mundi totius adesse æstimabat.* Idem lib. 14. scribit, *vbique Senatorum Romanorum reuerendam cum auctoritate canitiem, sed tamen cœtus illius magnificum splendorem læsum fuisse leuitate paruorum incondita, vbi nati essent non reputantium, sed ad lasciuiam labentium.*

Prædicta omnia si cum Senatu Mediolanensi conferre velimus, erunt vtique verissima, eius etenim potestas maxima semper fuit, ac cum ipsis Ducibus orta, vt ex multis supra relatis patet, & inferius dicendis clarissimè apparebit. Non ignoramus tamen nobis non licere arguere ex his, quæ *glos.*, & scribentes tradunt in *l. non ambigitur ff. de legib.*, & quæ scribit *Ias. in l. quominus ff. de flumin.* sed ea tantùm esse quærenda, quæ Senatui per has Constitutiones, Ducalia, Regiaque decreta fuere concessa, vt docet *Boss. in tit. de Prin. num.* 217. Diuersam etiam agnoscimus huius Senatus qui superiorem agnoscens, Monarchia regitur, auctoritatem, ab ea, qua potitur ille, qui Principem non habet, & Poliarchia gubernatur, ex his quæ *Bud. ad d. l. vlt. de Senat.* pluribus in locis, *Tessaur. in d. præfat. num.* 10. *Cagnol. in l.* 2. *num.* 162 *vers. superest, & num. sequen. potissimum* 173., *& seq. de orig. iur. Guer. Pison. ad l.* 1. *ff. de off. eius cui mand. est iurisdict. siue de Roman., & Venet. Magistrat.* inter se comparatione. *Pyrrhus lib.* 2. *de Magistrat. circa prin. Coras. in eadem l. non ambigitur in fine ff. de legib., & in rub. ff. de Senat. num* 21., *& Menoch. de arb. iud.*
237 *casu* 68 *num.* 31., *& seq.* quia præter ea, quæ huic Senatui fuere concessa, cetera censeri debent prohibita, vt ait idem *Boss. loco supra citato num* 87., *& sequentibus, & Cagnol in d. l.* 2. *num.* 191. Dicimus tantùm Senatum Mediolanensem in his, quæ iustitiam, & æquitatem spectant, maiorem auctoritatem obtinere, quàm habuerit Senatus Romanus, vt aduertunt *Guid. Pap. cons.* 72. *col.* 1. *Purpur. in l.* 1. *num* 57. *de off. eius*, cum alijs infra *cap.* 28.

Is etiam ordo ceteris in hac prouincia ordinibus antecellit, ac summo pollet honore: huius enim potissimum consilio Duces Mediolanenses semper vsi sunt ob Senatorum peritiam, prudentiam, & incorruptam vitam, religionemque teste *Mars. Laudense de prin. conclus.* 154., *& Boss. dicto tit. de Prin. num.* 207. Referre licet verba Decreti Ducalis Francisci II. editi anno 1531. die 9. Ianuarij talia. *Aduersus decipulas, fraudes, & subterfugia eorum, qui in foro iudiciario dolosè versantur, maiores nostri, & eorum consilia semper se se obiecerunt, rationeque, & auctoritate malis illorum ingenijs, & inuentis occurrerunt. Quod & nos, & Senatus noster pro virili hactenus fecimus, ardentiusque post hac faciemus. In præsens autem vni abusui maximè nocuo, & quod nimium inoleuit ex iudicio præfati Senatus mederi decreuimus &c.*

Quantum autem huius Senatus iudicio detulerit Cæsarea Maiestas quantumque P. Reges ex hac constitutione, & ordinibus Regijs clarissimè patere potest. Certissimum est etiam, alios Principes supremos ab hoc ipso ordine tamquam ab oraculo petijsse consilia, & petere. Et sanè nulla est tam remota, tamque longinqua regio, in qua iam multis annis Senatus huius prudentiæ dignitatis, atque sanctitatis fama non peruaserit. Nullæ sunt tam barbaræ, tamque indomitæ nationes ad quos iam pridem eius actionum laudes, illius rectorum iudiciorum præconia non peruolauerint. Sic iustitiam cum æquitate temperare consueuit Senatus Mediolanensis, vt etiam contra quos sententiam dicit, multa grauiter, & honorificè de eo prædicent.

Quare nec huius vnquam Senatus fuit diminuta potestas auctoritasque, nec is ordo contemptus, 238
prout ille Romanus: siquidem Cæsar primus Senatui non assurrexit, & nequissimus bipedum Heliogabalus ab vrbe Senatores omnes expulerit, illosque seruos togatos esse dixit, teste Lampridio; qui addit, eundem probris omnibus hominem coinquinatum Senatulum in colle Quirinali constituisse, & in Senatorum ordinem eius matrem (sine qua nihil vnquam in repub. dicitur fecisse) adlegisse. Testes sunt *Cornel. Tacit. Annal.* 3., *& Plin in ep.* Tiberium veluti ioco nominasse Senatores quandoque homines ad seruitutem paratos, quandoque etiam indulgentissimos dominos, vt qui ad eius voluntatem se vbique deflecterent. *Dion* quoque *lib.* 58. his vtitur verbis. *Tamen sub Tiberio Senatorum, ne reliquos dicam, numerus perijt, vt forte dacti prouinciarum Præfecti, prætorij quidem per triennium, consulares per sexennium præfuerint, cum non suppeterent successores*, eadem ex *Sueton. in Tiber. c.* 61. Alia patrasse Nero, *Suet.* meminit, alia vero *Galba* dum de primo sic dicit. Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores, hoc est, vt cum gladiatoribus pugnarent, & de secundo, quosdam claros ex vtroque ordine viros suspicione criminis inauditos condemnauit.

Maximus adeo, & incorruptus semper fuit Mediolanensis Senatus dignitatis, & auctoritatis 239
splendor, vt mirandum non sit, si Cardinalis Turonius Gallus, vt ait *Boss. de Prin. num.* 208. *in fine*, vir præter excellentiam dignitatis summæ existimationis, etiam apud Christianissimum tunc Regem Gallorum palam in Ciuitate Alexandria dixerit, Regem eundem, nullam aliam rem huic dominio inuidere, quàm talem, & tantum Senatum,

cuius

cuius Senatus fama non solum vrbes, & vicos regnorum suorum penetrauerat, verum etiam cor ipsius Regis. Quare omnibus consessibus Romanorum, Areopagitarum, Thebanorumque consilijs antecellere visus est. Etenim Romani sub Regibus, vt iam dictum est, seruitutem perpessi sunt. Exactis Regibus inuidia domestica grauiter laborarunt, ac tandem discordijs consumpti fuere. At hi sub Ducibus, Imperatoribus, ac Regibus liberè iusteq; sententiam dixerunt, concorditer vixerunt, & nunc viuunt. Areopagitæ tantùm noctu iudicabant, ita vt solummodo intelligerent, non autem dicentes viderent, ne respectu quopiam à iustitiæ tramite diuerterentur. Mediolanensis autem Senatus, orto iam sole, clara luce nullius præsentia, & auctoritate commotus sententias ferre constantissime consueuit. Tebani imagines quasdam impressas habebant manibus, & oculis carentes, vt eorum exemplo admoniti, muneribus, & donis se excæcari non permitterent. Noster autem, non in muris, aut tabulis formas depictas intuetur, sed in cuiusque animis innata est ipsa integritas, quam seruare profitetur. Adeo vt mirum esse non debet, si ad hunc veluti ad Pythij Apollinis oraculum omnes etiam exteri confluere solent.

## CAPVT XXVI.

*Tituli, quibus Senatus Romanus, & quibus Mediolanensis fuerit decoratus.*

240 AD alia diuertamus. Romani Senatores fuere multis titulis, & prærogatiuis insigniti: Patres namque ex omnium testimonio fuere dicti, tum, vt ciuitatem patria quadam charitate, studioque complexi, totam suis studijs atque pruden-

241 tia fouerent: emplo patrum familias, vt probatur in *l. si furiosus C. ad vellei*, & dixit *Archidiacon. in c. Senatus 2. distinct.* tum ob liberos, quos habebant *Liuio* teste 1. *ab vrbe cond. Halycarnass. lib 2. in prin. Valer. lib 2. cap 4.* quibus adstipulatur Theodorus Rex apud *Cassiod. var. lib 2. ep. 24.* inquiens, *Constat Senatum populis viuendi regulam prastitisse. Nam quod ornat nomen Romanum, à vobis legitur institutum. Ad hoc patres in illo principio nominati, vt quasi filiorum per vos possit vita componi*, alia plura supra *glos. 3. cap. 9.* aut secundum *Alex. in d. l. si furiosus in addit.* a patrocinio, argumento etiam eorum quæ tradunt *scribentes instit. de excus. tut.* Alia etiam ratione secundum *festum lib. 1* patres dicuntur, quia patricij generis. *Tacit. Annal. 2.* aut quia nobiles ex *Dione lib. 55.* ad instar Atheniensium ex *Plut. in problem.* aut ex *eod. festo lib. 14.* Patres Senatores ideo appellati sunt, quia agrorum patres æque attribuebant tenuioribus ac si liberis proprijs. Clarius *Plut. in Romulo* his verbis. *Illi patres dicti, vel quod hi solum, qui legitimi patres forent, creari possent: vel hinc adeo, quod illi patres suos ostendere possent, quod non multis contingit ex primis illis conuenis. Vel à patrocinio id nomen fluxit. quod existimarent, patronum quendam fuisse, ex his qui Euandrum consecuti sunt, qui imbecillorum curam gessisset, eisq; præsidium fuisset, ab eo huic rei eiusmodi appellationem mansisse. Illud mihi probabilius videtur, si quis opinetur, Romulum decreuisse primores, & potentes oportere paterno officio, & indulgentia humiliorum causam in fidem suam, curamque suscipere: simulque quo ceteros edoceret, vt tutiorem sibi vitam in eorum præsidio viuendam statuerunt, neque quibus virtute cederent, eorum honoribus augerentur; sed beneuolo, & amico animo in eos forent, patresque illos honoris gratia appellarent, & esse opinarentur: idcirco eo nomine appellasse. Nam & his temporibus extera nationes patronos sibi adoptant, eosque duces &c.* hæc *Plut.* eadem fere *Zonar. lib. 2.*, & *Salust. in coniur. Catil.* Honoris, & dignitatis causa patres appellatos fuisse probat etiam *l. Diui C. locati vbi scrib.*, & *in l. vlt. C. de eden.*, & *in auth. de litig* Hinc *Iuuenal. sat. 8.*

*Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

Et *Tacit. lib. 14.* auxit patrum honorem; hoc ipsum firmat *Strabo lib. 4.* non multo post principium de Massilensibus loquens in hæc verba. *Sexcentis ex viris instituentes, qui quoad vita superstit, id honoris genus habent, quos Timuchos, idest honorificos appellant*; hoc ipsum firmat *Valer. lib. 2. c. 1.*, & *Lucian. in Toxari*. Denique patres dicuntur, quasi ipsius Principis patres, *instit. quib mod. ius patr. pot. sol. in prin.*, & *ibi glos.*

Porrò Princeps inter Senatores connumeratur 242 *l. vis Senatorum C. de dignit. lib. 12.* vbi *Io. de Plat.* sic etiam *Alex. Seuerus*, vt de eo testatur *Lamprid.* voluit, dicens, *Quiescite igitur venerandi patres, & vos ipsi Magnifici vnum me de vobis esse censete.*

Sunt insuper Senatores pars mistici corporis 243 Principis, vt in *l. quisquis C. ad l. Iul. Maiest.*, & apud *Osasch. decis. Pedem. 1. num. 1.* atque Principem ipsum repræsentant, vt habetur in *l. 1 ff. à quib. appell. non lic.* vbi *glos.*, & *Ang. Aret.* cum alijs de quibus infra §. *fin.* Probus Imperator apud Vopiscum ait Romanos Senatores mundi Principes esse, tales semper fuisse, & futuro in posterum.

Hos etiam Imperator patres conscriptos voca- 244 uit in *l. vnic. in prin. C. de caduc. tollen. in l. humanum C. de legib.* ac alijs in locis, de quibus per *Tiraquell.* latè *de iure primogen. in præfat. num. 81. Maiorag. de Senatu Romano cap. 1. prope fin.*, & *Plut. in Romulo* his verbis. *Ipsi autem Romani patres conscriptos id collegium appellant, quod nomen & dignitatis plurimum, & inuidia minimum præsefert: sed ab initio tantùm patres dicti, posterioribus autem temporibus adscriptis in eum ordinem pluribus, Patres conscripti vocati sunt: Atque hoc Senatorij, popularisque ordinis differentia honestius nomen fuit.* Sequitur *Fenestell. d. c. 1.*

Aliquando parentes Imperator nominauit in 245 *d. l. ex Diui C. loc.*

Aliquando amicos in *l. secundum responsum C.* 246 *de contrah.*, & *commit stipul.* prout & *M. Antonius Philos.* teste *Capitol.* dum eam protulit auream sententiam. *Æquius est, vt ego tot, & talium amicorum consilium &c. supra cap. præcedenti relatam.*

Aliquando prædecessores, vt in *proem. instit.* 247

Aliquando Antistites vt in *l. 1. C. de decret. decur.* 248 *lib. 10.*

Cicero autem diuersis nominibus Senatum ap- 249 pellat publicum consilium, summum consilium, summum ordinem, amplissimum ordinem, amplissimum Magistratum, & Principem ordinem, vt in *orat. pro Sextio*, *de Senec.*, *pro domo sua*, & *alibi*, idem etiam tangit *Bud. in d. l. vlt.* Præterea idem *Cic. in ead. pro Sextio* dixit. *Senatus Reipub. custos, præses,*

*præses, propugnator*. Et in *orat. de Arusp.* Senatum principem salutis, publicæque mentis appellat. *Cassiod. lib. 6. for. 4. var.* Senatum mirabili opinione gloriosum dicit, *& lib. 2. ep. 25.* Reuerendissimum Senatum vocauit. Reuerendum sæpe *Symach. in ep. lib. 10., & ep 46. lib. 1. ab eod.* dicitur Senatus pars melior humani generis. *Bal. in c. quanto col. 2. vers. & nota de iur. iur.* concilium Principis appellauit Senatum, quod secutus est *Mart. Laudens. in suo tract.*

Sacer ordo dictus per *Theodericum* apud *Cassiod. ep. 25. lib. 4.*; & apud alios scriptores passim, quos retulit *Tessaur. in d. præfat. num. 7.* Sanctus nuncupatur à *Virgil. 2. Æneid.*

*Iura magistratum legunt sanctumq; Senatum.*

Ea puto ratione, vel quia leges non solum sanctæ, sed etiam sacratissimæ dicuntur ex *eod. Virg. 2. Æneid.*

*Fas mihi Graiorum sacrata soluere iura.*

Et *l. 2. C. de legib. cuncta l. sacratissima C. eod.* vel quia Senatus iustitiam administrat, quod Dei proprium est sanctissimum ordinem dixit *Quintilian. declam. 329.* prout *Miorianus Nou 3. de ritu imperij sui.*

Clarum vocat Claudianus Senatum.

*Floreat & claro cingatur Roma Senatu.*

250 Clarissimos dixerunt Senatores Diocletianus, & Maxim. *in l. cum. te de nup. Imper. in l. si Senator C de dignit. lib. 12.* ibi, *si Senator, vel alius clarissimus*, in *l. 2. C. de his, qui ven. at. impetr. Iurisconf. in l. non ambigitur ff. de legib. in l. non est verissimile ff. quod met. caus. in l. fœmina ff. de Senat.* prout etiam habetur *in l. 1. C. de equestr. dignit. lib. 12. in l. sed etsi §. 1. ff. de iud. in l. patronus ff. de leg. 3. & in l. 2. C. senten. pass.* alios locos adducit *Alciat. in l. si quis in conscribendo num. 7. C. de pac. & lib. 3. dispunct. cap. 4.* sequitur *Duaren. lib. 2. disput. anniuers. cap. 1.* Hoc ipsum confirmari pariter potest ex *Plin. lib. 7. cap. 5.* sic scribente, *Vestilia C. Herdicij, ac postea Pomponij, atque Orfiti clarissimorum virorum coniux, quos Senatores fuisse constat*. Item ex Lamprid. in Alexandro Seuero, dum ait, *Præfectis Prætorio suis Senatoria addidit dignitatem, vt clarissimi essent, & dicerentur*, Vopiscus in Aureliano, *qui eos vocat clarissimos, quibus ex Senatusconsulto datum erat ius inspiciendi libros Sybillinos*. Plin. in Panegyr. dicit, *An consularis viri, triumphalisq; filius, cum tertio consul crearetur, ascendit, non debitum hoc illi, non vel sola generis claritate prouentum*, & paullo post, *Vt iuuenibus clarissima gentis debitum generi honorem &c.* Cicero in orat. pro domo sua, *clarissimos viros principes ciuitatis sæpè vocat*. Formam clarissimatus ponit *Cassiod. lib. 7. variar.*

251 Nobilissimos item Cicero nuncupauit Senatores *lib. 2. Ep. famil.*

252 Illustres *Iustin. §. 1. nouella 71.* scribentes omnes *in l. 1. ff. de off. eius*, & alibi gentiles, prout nostra vulgari lingua vocantur ij, qui à claris maioribus, & nobili familia nati sunt, quod in Gallia *Bud.* adnotauit, & in Hispania *Tessaur. in præfat. & Maiorag. in Italia de Senat. Romano cap. 10.*

253 Super illustres Iulius Maternus in prin. sui operis, adeo vt dicere iure merito possimus hosce titulos ex arbitrio Imperatorum mutatos aliquandò.

254 Dicitur insuper cœtus venerabilis Senatus *in l. 3. C. de leg. gloriosissimus in l. humani eod. Florentissimus in d. l. fin. §. sin autem C. de curat. furios.* Conuentus Senatorum à *Cicer. epist. 45.* in illis verbis, *scripsisse te frustra in Senatum, siue potius conuentum Senatorum esse venturum Dominus, & author publici consilij Princeps salutis, publicaq; mentis*. Idem *Cicer. de legib 2. & de orat. 5.* Ordo amplissimus. *Paulus in l. nutu §. 2. ff. de leg. 3.* his verbis. *Columnis adiunctis relictis, ea tantummodo amplissimus ordo præstari voluit, nulla æstimationis facta mentione, quæ sine domus incuria auferri possunt*; idem *in l. amplissimi, & l. seq. de excus. tut.* Pars melior humani generis Senatu, dixit *Symach. ep. 46. lib. 1. Petronius Arbiter in Satyrico*, vocat Senatum recti bonique præceptorem. *Prudentius lib. 1.* in Symachum mundi lumina. Et Epitectus, vt habetur in quæstionibus illis, quæ excusæ sunt cum notitia Imperij Romani interrogatus ab Adriano Imperatore, quid esset Senatus; ornamentum, ait, vrbis splendor ciuium. *Cassiodor. lib. 6. form. 4.* Senatum mirabili opinione gloriosum vocat, morumq; lumina. Probus apud Vopiscum dixit, Romanos Senatores mundi principes esse, tales semper fuisse, & in posterum futuros; vide etiam *Quintil. declam. 329. & Maioran. Nouell. 3. de ritu imperij sui.*

Cur autem patres conscripti, lecti, vel allecti dicti fuerint, scribunt *Fest. lib. 1. & 14. Gell. lib. 3. cap. 18. Fenestell. d. c. 1. & Liu. lib. 23. & 26.* qui etiam in duas classes fuisse distributos Senatores recensent, nimirum, maiorum gentium, & minorum gentium, & sic appellatos, his addas *Cic. ad Atticum, Bud. in d. l. fin. & Maiorag. d. c. 1.* 255

Alij Pedarij nuncupati fuerunt ex eodem *Fenestella d. cap. 1. & Festo*, his verbis, *Pedarij Senatores erant, qui tacitè transeundo ad eum, cuius sententiam probat, quid sentiat, indicat. Vel Pedarij dicti sunt à pedibus, quod Magistratus cum iudicarent in tribunali, in edito, & superiore loco considebant, hi verò in imo loco, vbi Magistratus subsedit, pedes habebant.* Qua de re *Gell.* refert Laberium Poetam in quendam mimum suum dixisse: caput sine lingua pedaria sententia est, vel vt C. Bassus author est apud eundem *Gell. lib. 3. cap. 18.* dicebantur pedarij, quia Magistratum curulem nondum cæperant, pedibus in curiam itabant. Eo quia Senatores, qui curulem Magistratum gesserant, veterum ætate curru solebant honoris causa in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam consederent, quæ ob eam causam curulis appellaretur. His Alex. Seuerus cetera ornamenta rhedis argenteis, & vehiculis aureatis vti concessit. Pedarios etiam fuisse nuncupatos eos Senatores, qui non à Censoribus allecti essent, (vtpotè equites, teste *Plut. in C. Gracco*) ex Varonis sententia voluit idem *Gell.* Hæc *Fest. lib. 14. & lib. 1. Cic. ad Att. ep. 14. & 15. Tacit. lib. 3. Liu. lib. 27. Vopis. in Aureliano* probant. Hinc existimo ego ortam esse vocem illam pedarios, ad constituendos Senatores illas minorum gentium, hoc est maioris ordinis, & dignitatis. Prout apud Iurisperitos legimus Pedaneos iudices dictos, qui viliora, minimique momenti iudicant *in l. 4. & fin. C. de pedan. iud. l. fin. C. vbi & apud quos. l. 3. §. 1. ff. ne quis eum, qui in ius voc. l. 1. §. item scribis ff. de postul. & Nouell. 82.* hos enim humiles iudices appellauit *Theophilus instit. de interd.* licet non Pedaneos, sed Pedarios esset dicendum, nam Pedanius in hac significatione latina non est ex *Gell. loco supra citato*. 256

Ornamenta vero Senatus talia fuisse *Cicero pro Cluen.* 257

*Cluen.* docet locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ.

258 Triplicis igitur ordinis Senatores constituti erant ex iam dictis; & quæ scribit *Cagnol. in d. l. 2. num.* 148. *ff. de orig. iur.* Qui præteriti dicerentur notatum est infra c. 31 & supra *glos. 3. cap. 31. in fine.* Qui vero patricij *not. Fest. & Cassiod.* Quamobrem, cum hi diuersimode nuncupati essent, ostendunt etiam nobis, eosdem non omnes eandem auctoritatem obtinuisse, sed diuersam ex temporum qualitate, & dilectionis forma. Quod ex suprascriptis colligere licet, & alijs in superiori capite.

Sed vnde digressa est oratio nostra reuertatur tandem, dicamusq; omnes Senatores nomen magni meruisse, teste *Lamprid in Alex. Seuero*; is enim a Senatu rogabatur, vt nomen magni assumeret, sed ille recusans, talia dixit. *Quiescite igitur venerandi patres, & vos ipsi Magnifici, vnum me de vobis esse censete, quoniam magni nomen ingeritis.*

Hæc, & alia plura huiusmodi cum Senatu nostro omnino comparanda esse absque labore, vel difficultate existimamus, siquidem & patres, & patres conscripti Senatores dicti sunt, & passim his, & alijs titulis de quibus supra decorantur. Is etiam Senatus amplissimus ordo, summum consilium, supremum, & id genus nuncupatur, vt notissimum est. Et à viris interpretibus Illustrissimus modo, modo Reuerendissimus, & Excellentissimus dicitur Senatus. Illustrissimum, & celebratissimum Senatum vocat *Rol. cons.* 13. *in prin. lib.* 3. in quo sedent tot integerrimi, peritissimi, & oculatissimi legum vertices, & in fine eiusdem cons. consumatissimum Senatum dixit, qui veritatem, & æquitatem semper ante oculos habere solet, & qui nunquam pauperes, pupillos, orfanos, & miserabiles personas pesundare permisit, personarum acceptationem, qui semper reijcit: alia *Boss. de Prin. num.* 206. *& sequen. Mart. Laudens. conclus.* 154. *Plot. & alij.*

Præterea in decretis, ordinibus, & sententijs idem probatur; licet enim hæc sub nomine Regio fieri consueuerint; vt plurimum tamen talia, vel similia dicunt. De illius ordinis summi, vel Senatus amplissimi nostri, & id genus, sententia.

259 Illud autem animaduertendum erit, hos Senatores non Illustres appellatos fuisse ab Imperatore Carolo, sed spectabiles tantum Præsidem vero Magnificum, vti etiam Dux Sfortia fecerat. Et hoc ipsum adnotauit *Lancell. Conrad. in templo iud. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. Ipsi vero inuicem de scripto Magnifici nominantur, quod idem est, quod Illustres, secundum *Luc. de Penna in l. 2. C. de pet. bon. sublat. lib.* 10. *Ant. Solam ad Decreta Turini in proem. glos.* 2. *num.* 8. *& Cagnol. in d. l. 2. ff. de orig. iur. num.* 176. Præses autem Illustris.

Nec me mouet indagatio illa scribentium, an Illustres, an vero super illustres sint Senatores, de qua in *l. 1 ff. de off. eius,* vbi *Dec. num. 6. Ias. num. 5. Curt. iun. num* 8. *Purpur. num.* 49. *Paul. Orian. num.* 13. *Iacob. Niger num.* 7. *Cagnol. in prin. vsque ad num.* 5. *& in d. l. 2. num.* 170. *ff. de orig. iur. Bellon. lib. 4. supput. iuris cap.* 10. *& D. Menoch. de arb. iud. casu* 68. *num.* 20. *& sequen.* quoniam nunc non agimus de Senatoribus illis Romanis, de quibus per scribentes in locis citatis, sed de his, qui nomen, titulum & honores à Cath. Maiest. acceperunt. Quemadmodum enim iure merito clarissimi, Illustresque dici, alijsq; titulis insigniri, vt supra possunt Romani, quia leges, Imperatoresque eisdem titulis eos ornent, vt habetur in *l. Decurio §. his additis de silent. lib. 12. in l. si quis C. ad l. Iuliam maiest. in l. vlt. C. de tut. & cur.* ita etiam Mediolanenses illis solis tantùm appellationibus, & titulis, quibus Cæsari, eiusque successoribus placuit, ornatos esse dicemus.

Neque verum erit, quod tradiderunt *Guid. Pap. in cons.* 71. *col.* 1 *Crau. cons.* 194. *num* 20. *& cons.* 198. *num.* 10. *Purpur. in d. l. 1 ff. de off. eius, D. Menoch. d. casu* 68. *num.* 34. *in fine,* ac alij passim; Senatores huius temporis æquiparari illis antiquis, 260 saltem, vt idem *Menoch.* ait, *quoad dignitatem, licet potestate multum differant; quia & potestas, & dignitas pendet ab his solis, qui illam dare, & concedere possunt: hi autem aperiunt, quam voluerint conferre, ergo &c.* sic enim omnes tenent in *l. 1. ff. de off. eius cui mand. est iurisd. facit l. quicunque C. de excus. & exact., & l. in prouincijs cum l. sequent. C. de numer. lib.* 12.

Non nego tamen Senatores & Illustres, & superillustres, Præsidem vero Illustrissimum à nobis iure merito vocari debere, vt dignitatum ordo, & prærogatiuæ locus seruetur, est enim Senatoria dignitas culmen, & fastigium ceterarum dignitatum, vt multis supra probauimus.

Sic etiam redditur minus verum illud, quod dixit *Tiraq. in l. si vnquam,* in verbis *omnia vel partem num.* 31. *C. de reuoc. donat.*, nempè in iudicis arbitrio consistere, an quis sit Illustris, vel ne, per *glos. in c. vlt.* in verbo *illustrium de re iud. in 6.* ea etenim *glos.* vix hoc sentit, vt ait idem *D. Menoch. d. casu* 68 *in prin.* quinimo hoc nullo modo sentire voluit, cum ita loquatur. Et casus in quibus valet sententia sine scripto, vt cum breues sint causæ, & maximè vilium personarum, & breuis poterit dici duorum aureorum *ff. de dot. l. idest, & l prece in fine.* Inspiciatur tamen qualitas personarum, & relinquatur iudicis arbitrio *ff. de iur. delib.* 61. & supra *de off. deleg. l. in causis,* vel inspiciatur consuetudo loci, vel fori 11. *distinct.* consuetudines. Et sic velit tantùm, vt iudicis arbitrio committatur, an causæ sint breues, vel ne, & an persona sit vilis, adhoc vt absque scripto sententia ferri possit, non autem an quis sit illustris, vel ne, inter enim viles personas, & illustres multum distat, cum hæc extrema sint, & an quis sit illustris, vel ne, non ex iudicis arbitrio pendet, sed à Principis voluntate, potestateq; adeo, vt arbitrari non liceat, sed tantùm vbi ageretur de persona mediocri, & à vili parum remota. 261

Ceterum, sicuti apud Romanos quidam extitere Senatores nomine tantùm, vel vt nostri dicunt ad honores tantùm allecti, & qui Senatoriam dignitatem absque administratione detinerent, ita etiam apud nos huiusmodi extiterunt, vt supra *in glos. 3. cap. 4. & in prin. huius glos.* in verbis *priuilegijs,* & probat *D. Menoch. dicto cas.* 518. *num.* 3. *de arb. iud.*

## CAPVT XXVII.

*De quibus cauſis cognouerit Senatus Romanus, & de quibus Mediolanenſis.*

262 IVdicia leuia ſaltem exercuiſſe Senatum Romanum ab initio vſque teſtatur *Dionyſ. lib. 2* quod & ceteri omnes ſequuntur: grauiora etiam exactis Regibus vſque ad annum DCXXX. ab vrbe condita. Quod an de criminibus, & maleficijs iuſtificari poſſit; non ſatis apertum eſt. Nam quamuis ipſa maleficia, & crimina per Italiam commiſſa, de quibus iudicium publicè fieri debebat, vtputa proditionis, coniurationis, veneficij, cædis, atque inſidiarum ad Romanum Senatum referrentur, eiuſque cognitio de his fuerit, teſte *Polybio lib. 4.* quamuis etiam abolitionem criminum decerneret, hoc eſt publicam *l. 1. C. de gen. abolit. & l. autem priuatim ff. ad Turpill.* Licet etiam quæſitores ex Senatoribus crearentur data opera, qui de crimine aliquo cum conſilio, hoc eſt adhibita iudicum aliquot ex eodem ordine decuria, quærerent, re vero iudicata priuati eſſent; non tamen Senatum idcirco iudicaſſe, ſed Senatores quoſdam duntaxat dicendum eſt. Aut prætores, vt apud *Plut. in Catone Vticenſi*, in hæc verba. *Sine toga ad roſtra veniens, & cauſas capitales clarorum virorum eo habitu cognoſcens*, & apud *Liu lib. 3.* item & *Cicer. Verrina 7.* Quò confugient ſocij, quem implorabunt? ad Senatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non Senatorium. Quamuis poſterioribus temporibus Senatores ſoli lege Cornelia iudicarent. Verumtamen, vt rem hanc planius intelligamus, ſcire illud oportet, primis temporibus retinuiſſe aliquando ſibi populum de capite ciuis iudicium, teſte *Liuio lib. 6. belli Punici 2.* non enim de eo Senatus iniuſſu populi ſtatuere poterat. Mox, illud certum eſt, penes ſolum Senatores iudicia fuiſſe, quemadmodum ex Polybio modo didicimus, *Cicer. de orat. 3. Reth. 2. & in orat. pro Scauro, Aſcon. in Cornel. Floro epit. 71. Apiano de bello ciuili. 1. Sueton. in Cæſare, Gell. lib. 14. cap. 2. Dion. lib. 43. Velleio lib. 2. Varone de vita P. L. apud Marcellum in verbo biceps, & Tacito lib. 12.* nimirum vſque ad annum vrbis DCXXX. quod lex Sempronia lata eſt a C. Sempronio Gracco Tribuno plebis, vt iudicia in equeſtrem ordinem transferrentur, quæ ratio durauit ad annos vſq; DCXLVII. quo lege Seruilia cautum eſt, vt ipſa iudicia, quæ ad ſolos equites translata erant, ordini Senatorio ita communicarentur; vt minor tamen Senatorum numerus eſset, quod quidem ad annum vſque DCLXII. obſeruatum eſt, quo Liuia lege ſancitum fuit per M. Liuium Druſum, vt æqua ex parte iudicia penes Senatum, & Equeſtrem ordinem eſsent: vſque dum Plautia lex ferreretur anno DCLXXIII. vt iudicia equeſtri ordini adempta, ad ſolos Senatores transferrentur: quod vſque ad L. Aureliam vſurpatum eſt, qua anno DCLXXXIII. per C. Aurelium Cottam Prætorem, M. Graſſo, & C. Pompeio primum Coſs. decretum eſt, vt iudicia, quæ erant inter Senatores ſolos, inter Senatores, & Equeſtrem ordinem, & Tribunos ærarios communicarentur, vt ex *Cicer. in Verrinis*, ſæpè & in *Piſon.* vbi *Aſcon. Flor. d. epit. 97. & Velle. lib. 2.* Verum hanc ipſam C. Iulius Cæſar moderauit, iudicia ipſa ad ſolos Equites, & Sentores, ærarijs ſublatis, iterum reuocans. *Plin. autem epiſt. 14. lib. 8.* iterum rem ipſam ad ſolos Senatores fuiſſe introductam, & eos de capitalibus iudicaſſe oſtendere videtur his verbis. *Ex quo manifeſtum eſt, non poſſe in eadem parte remanere eos, qui interficiendos arbitrantur.* Qui omnia alia: animaduertitis, vt non contenta lex dicere, alia, addiderit, omnia; num ergo dubium, Alia omnia ſentire eos, qui occidunt, quàm qui relegant? huic ſimillimus eſt locus *Tacit. 2. Annal.* his verbis ſcriptus. *Statim corripit reum, adit conſules, Senatus cognitionem poſſit: & vocantur patres, addito, conſultandum ſuper re magna, & atroci*, item *& 3. & 4. lib.* cauſas integras Tiberium ad Senatum remiſiſſe, potiſſimum eodem *lib. 4.* dum docet qualis ciuilis adminiſtratio hactenus fuerit, & inter cetera hæc ſubnectit. *Iam primum publica negotia, & priuatorum maxima apud Patres tractabantur, dabaturq; prioribus diſſerere.* Et *lib. 5. Annal.* pariter. *Cum priores*, inquit, *Senatus infimas etiam delationes exercerent. Sueton.* hoc ipſum his verbis confirmat. *Legitq; ſe hoſtem à Senatu iudicatum; & quæri vt puniatur more maiorum; interrogauitq; quale eſſet hoc genus pœna. Et cum comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furca, corpus virgis ad necem cædi; conterritus, duos pugiones, quos ſecum abſtulerat, arripuit.* Sub Domitiano autem cœperunt peti iudices ab eo, teſte *Suet. cap. 3.* & à datis quoties exceſſiſſent ad eum appellatum eſt, prout etiam à datis per conſules] ad eoſdem Conſ. prouocatio erat, *l. 1. §. 1. de app.* Neronis quoque inſtituto, vt ex Suet., omnes appellationes a iudicibus ad Senatum fieri neceſſe erat.

Quid autem in ciuilibus cauſis in vſu fuerit apud eoſdem Romanos ſcribit doctiſſimus *Iacobus Rauardus lib. pro tribunal. Vrbis*, vbi per *caput 25.* iudiciorum illius temporis vim omnem egregiè explicat; & *lib. altero de præiudicijs per totum.*

Ceterum in his omnibus iudicijs ex æquo, & bono iudicia Senatus exercebat adeo, vt videretur certæ legi non adſtrictus, ex *Quintil in 3. & Dion. lib. 52* & alijs à *Bud. relatis in l. 1. col. 1. & ſeq. ff. de iuſt. & iur.* Quamuis ſciam *Ciceronem ad Atticum lib. 3. ep. 23.* dixiſſe. *Scis etiam Clodium ſanxiſſe, vt vix, aut omnino non poſſet, nec per Senatum, nec per populum infirmari ſua lex.* Et in Verrina 6. *Quid multa? niſi vehementius ominatus eſſem, niſi legum ſanctionem, pœnamq; recitaſſem, tabularum poteſtas mihi facta non eſſet*; legitur etiam apud *Plin ep. 14. lib. 8.* leges ipſas debuiſſe ſeruari, alia plura hac in re infra *cap. 36.* vbi de arbitrio Senatus agitur, adnotauimus. 263

Non etiam à ſententijs Senatus licita fuit appellatio. *l. 1. §. 1. ff. à quibus appell. non lic.* de qua re infra ſuo loco in §. 11. & paulo infra *verſ. poteſt etiam Senatus.*

Nec reſcripta aduerſus ſententiam Senatus à Principe impetrare permiſſum fuit. *l. 1. C. de Senat. conſ. l. reſcripta C. de precib. imper. offeren.* & vt latius in *d §. 11.*

Prædicta, & alia plura, quæ iudiciales cauſas, tam ciuiles, quam criminales reſpiciunt; Senatui Mediolanenſi competere nulli dubium eſt, ſtante hac conſtitutione, quæ deſcribit ea omnia, de quibus voluit Senatum cognoſcere poſſe, vt in ceteris ſequen-

sequentibus §. *& capitibus videbimus*.

264 Huic quoque in iudicijs criminalibus exercendis arbitrium competit plenissimum, teste *eod. Boss. de par. suppos. num. 37. Rol. cons. 70. num. 24. lib. 1.* qui in his latissimas habenas Senatum habere dixit, quod etiam firmauit *Tessaur. decis. 232.*, & vt infra hac *glos. cap. 36.*

265 Huius etiam Senatus potissima cura est in his, quæ iustitiam, & æquitatem spectant, prout multis ostensum fuit, & probat non solum ordo ille Inuict. Imper. Caroli V. supra relatus, sed etiam *Consil. infra §. 3., & 14.* Posse Senatum ex æquo, & bono iudicare tradunt *Boss. de remed. ex sola clem. num 44. Alciat. in c. 1. num. 89. de off. ord, & in cons. 391. num. 9.*, & sequuntur alij, quos refert *Menoch. de arb. ind. casu 68 num. 32. Rebuff. in concord. proem. glos. summas vers. decimo quinto. Dec. cons. 200. num. 5. Natta cons. 341. sub num. 7. vers. & quamuis illud. Surd. decis. 91. num. 4.*

266 Item sola facti veritate attenta, ex ordine illo anni 1500. in hæc verba. *Propositione autem facta, & responsione sequuta verbo, vel in scriptis. Senatus media causa committat vni, vel duobus Senatoribus per D. Cancellarium deputandis, vt facilius, & celerius expeditionem partes ipsa consequantur, qui procedant summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, ac facti veritate inspecta, abbreuiando quantum fieri potest dilationes, resecando friuolas exceptiones, & cauillationes partium, iuxta dispositionem iuris, & decretorum ducalium*. Cuius quidem clausulæ *sola facti veritate* attenta virtus maxima est, vt docuimus nos *pract. quæst. cap. 1.*

267 Non iudex est secundarum causarum Senatus noster, sed earum tantùm, quæ per Quæstores vtriusque Magistratus, aut per Capitaneum Iustitiæ, aut per Senatorem tantùm agitatæ fuerunt, & omnes ij ligantur constitutionibus, & Statutis, quibus & Senatus via tamen recursus, vel aliter ex integro cognoscit de causa per alios iudices decisa, sequiturque statuta primi iudicis, qui tamen decisionem respiciunt, in reliquis vero procedit ex bono, & æquo; & hæc retuli ad declarationem *obseruat. 84. D. Polyd. Ripa*, quæ rectè verificari potest in Senatu Mantuano, aut Taurinensi, qui iudex est secundarum causarum per viam appellationis; & de ijs loquitur *Surd. d. cons. 273. num. 21. lib. 2.* per eundem *D. Ripam allegatus*.

268 Poterit insuper Senatus noster ex conscientia iudicare, vt demonstrauimus infra *§. fin.*, & demum omnia iudicia sine appellationis metu exercere, vt infra §. 11. subijciamus *Nouell. Iustin. 62. collat. 5. de ordin. Sen. seu de consult. Senat., seu de Senat.* de hac re sic loquentem. Hæc Constit. iubet prouocationes in consultationibus, non tantum in amplissimis Magistratibus, sed etiam omnibus Senatoribus induci, vt totus Senatus causas appellationum audiat, & conueniat; quamuis silentium tantum, sine conuentu, Senatoribus denuntiatum fuerit. Silentio enim conuentum inesse videri. Audiant itaque prouocationes Sanctis Euangelijs propositis, & quod sibi visum fuerit, Imperatori referatur. Huic non dissimilis emanauit ordo Regius, de quo infra.

269 Amplius iura ciuilia in consistorio Principis allegantur, non per auctoritatem, sed per rationem, secundum *Bal. in tit. de par. iuram. firm. §. iniuria*, quoniam procedens ex æquo, & bono vt supra non tenetur apices iuris seruare. *c. in causis de re iud.* nec nullitates attendere, sed facti meram veritatem, (& prout alias diximus Senatus non iudex est nullitatis, sed æquitatis, & iustitiæ) & vnicuique suum secundum iura tribuere. Non enim ineptitudo libelli processum vitiat coram eo, secus coram inferiori, vt per *Parid. de Puth. de sind. vers. ad dictum c. detestantes num. 13.* cum alijs per nos adductis *dicto c. 1. pract. quæst.*

Potest etiam suam sententiam corrigere, licet melius sit, vt id alteri committat *c. cum olim de re iud. Bal. in l. 2. C. de seru. & aqua*. Iudicat etiam in facto proprio, *l. proxime ff. de his quæ in test. am. delen. Fel. in c. 1. de iud. col. 6. vers. conclusio*. Libellus coram eo porrectus inducit litis contestationem. *l. 2. C. quando libell. Prin. dat.* secus autem si coram alio repræsentante principem *Paris. vbi supra num. 16.* Minor a sententia Senatus non restituitur secundum *Benedic. in c. Rainutius, in verbo si absque 2. num. 50. de testam.* licet aliter teneat *Rebuff. in repet. l. quod iussit, in secundo notab. num. 41. ff. de re iud.* Sed de hoc suo loco multam etiam indicere potest, eamque remittere. *Rebuff. in proem. concord. glos. summas vers. nono, & vers. decimo*. Vbi etiam alia plura adducit. 270

Senatus Principem repræsentat *Bal. in l. humanum C. de legib.*, & pronuntiat ex persona Regis, vti alias diximus, & probat *Paris. d. num. 16. in fine*, idem *D. Polyd. Rip. obseru. 86.* Ideo quemadmodum Princeps peccat, qui cum possit aliquo modo veritatem habere, vadit per ambages, secundum *Bal. in l. Æmilius ff. de min., & in c. 1. de nou. for. fidel.* ita & Senatus, qui debet veritatem attendere, non ordinem iudiciorum; nam licet iudex inferior excusari possit, si seruans ordinem, contra veritatem iudicauit; tamen neque Princeps, neque Senatus excusabitur. *Bal. in l. rescripta num. 6. C. de precib. Imp. offer., & in d. l. fin. C. de legib* Quia vt dicit *Innoc. in c. 1. de lit. contest. Bal. in c. 1. si de inuest. inter dom., & vasall. lis oriatur, & Rom. in l. si quis arbitratu col. 3. ff. de verb. oblig.* cerimoniæ iuris coram principe debent cedere veritati, alias peccat vt supra, & ita dixit *Bar. in l. 1. C. vt quæ desi. aduoc.*, & hoc multis exornat *Decian. respons. 47. num. 22., & multis sequen. lib. 1.* 271

## CAPVT XXVIII.

*Senatus Romani, Mediolanensisque auctoritas in legibus ferendis.*

NOn minimam Senatus Romani potestatis partem illam fuisse constat, quid in legib. ferendis necessaria & cognitio, & auctoritas Senatus esset, ex *Liuio lib. 1.* his verbis. *Decreuerunt, vt cùm populus Regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. Hodieque in legibus, Magistratibusq; regendis vsurpatur idem ius vi adeptum*. Et *Appianus lib. de bellis ciuilibus 1. legem à Sylla latam commemorat*, vt nihil ad populum referretur, nisi quod antea a Senatu confirmatum fuisset. Scribit etiam *Quintil. lib. 5. instit. orat. c. 1.* vbi de præiudicijs agit. Aduersus consulta Senatus, & decreta Principum, & Magistratuum remedium nullum est: nisi vt inuenta qualiacunque causarum differentia aliqua, 272

aut

aut aliqua, vel eiusdem potestatis hominum sit constitutio, quæ sit priori contraria. *Cicero quoque 3. de legibus*, ita scribit. *Videtis igitur hanc esse Magistratus vim, vt præsit, præscribatque recta, & vtilia cum legibus; vt enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, iureque dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratū*, & 1. offic. *Est igitur proprium munus Magistratus, intelligere se gerere personam ciuitatis, debereque eius decus, & dignitatem sustinere, seruare leges, iura describere, & fidei suæ commissa meminisse*. Hinc rectè *Rhodig. lib. 18. antiq. lect. c. 19.* scriptum reliquit. *Quod legum ministri sunt Magistratus, legum interpretes*
273 *Iudices*. Hæc cum ita sint, facilè intellectu est, quàm ridicule Tribonianus in *l. 2. de orig. iur.* scribat, *cùm auctus esset P. R. in eum modum, vt difficile esset in vnum vocari legis sanciendæ causa; Senatum vice populi consultum esse. Non enim propter ciuium copiam populi potestas ad Senatum translata est, sed Cæsarum astutia, & calliditate, qui Senatus augenda potentia sua seruiebant*, vt probat *Tacit. lib. 1. Suet. in Cæsar. & Tiber.*, vbi ait, *neque tam paruum quicquam, neque tam magnum publici, priuatique negotij fuit, de quo non ad P. C. referreretur*. Poterat igitur Senatus legem condere ex prædictis, & probat *l. humanum C. de legib. l. 2. C. de off. præfec., & l. non ambigitur ff. de leg.* quam declarat *Cagn. in l. 2. ff. de reg. iur. num. 151., & plur. seq.* Idque & foris, dum prouincias per proconsules Senatus rexit, *l. 2. §. nouissime* vbi *Ceras. de orig. iur. Suet. in Aug. cap. 35.* ac Vopiscus in Probo, & fortius, atque verius in Vrbe, vbi passim ius statuere poterat. *l. cum hic status in prin. ff. de donat. inter virum & vx.* Et quamuis in *l. vnica C. de Senat. cons. legatur*. Senatus Decreta vim legis habere; tamen *Iustinianus solus in l. vlt. C. de legib., & in §. 1. in auth. de rap. virgin.* sibi soli hanc auctoritatem tribuit, voluitque tantùm Senatum in consilium assumere; non tamen iam à Senatu promulgata iura abrogauit Iustinianus, sed confirmauit potius in *d. l. vlt. C. de legib.* Ademit etiam expresse Senatoribus Romanis potestatem Senatuscons. faciendi, quæ vim legis haberent, *Leo Cæsar. in nouella tit. ne amplius Senatuscons. fiant*.

274 Ideoque, cum Princeps Senatū aut corā oratione, aut absentes per epistolam consulebant, Principum orationes dicebantur. *l. 3. C. de legib.* Huiusmodi pleraque extant D. Marci, vt de transactione, alimentorum, de bonis maternis, de fugitiuorum requisitione, *D. Antonini de donat. inter vir. & vxor. Seueri de reb. eorum. Adriani de petit. hær.* quæ ob eam causam Senatuscons. appellatur. *l. item veniunt §. 6. d. tit. de petit hær. Tacit. lib. 11.* Orationem Principis secuto patrum consulto, primi Hedui seruatorum ius in vrbe adepti sunt. Frequenter ergo in iure nostro legimus Cæsares orationem ad Senatum habuisse, vt ei, quod rogabant more maiorum Senatus auctoritas accederet; ita in *l. cum 2. de transact. in l. si & rem de petit. hæred. in l. Diuus ff. de seru. fugit. in l. cum hic status ff. de donat. inter vir., & vx.*, & passim pluribus alijs in locis.

275 Principis autem Constitutiones hæ nostræ dictæ sunt eademmet ratione, quòd & à Senatoribus compluribus fuerint compilatæ, & ab Inuictissimo Carolo V. confirmatæ, prout etiam ceteræ Constitutiones, & decreta, quæ ab ipso Senatu emanant quamuis sub nomine Regis, vt clarius in §. *sequen*.

Nonnunquam etiam sub nomine Senatus ordines editos legimus, qui vim legis obtinent, cum 276
legem condere possit, ius subditorum suorum respicientem ex his, quæ scribit *Menoch. de arb. iud. casu 68. num. 32.* & in specie clarus *in §. fin. quæst. 68. col. 3. vers. vidi aliquando*, cuius dicta confirmantur ex his, quæ in his terminis tradit *Bart. in cons. 172. lib. 1. & glos., & Bart. in rub. C. de decur lib. 10 Rebuff. in concordan. in proem. glos summas vers. priuilegia curiarum*, potissimum quia ex hac *Constit. infra in §. 3. & 12.* in his, quæ iustitiam, & æquitatem spectant, & secundum casuum contingentiam opportunas prouisiones facere potest Senatus. Præterea, si constitutiones Principis tollere potest, vt in *§. sequen.* ergo & leges condere poterit. *arg. l. nihil tam naturale*, iuncta *l. eius est ff. de reg. iur.* Nec audiendus erit *D. Menoch. d. loco num. 33.* dicens posse Senatum quoad solam causarum decisionem, & deffinitionem, non autem quoad cetera ius statuere; quoniam, vt dicebamus, expresse cautum est ex hac constitutione illum posse ex conditione temporum, & rerum euentu opportunas prouisiones facere, quæ inconcusse seruentur, nec verba illa restringenda sunt, ad iustitiam, & æquitatem tantùm, cum iam supra expresse de ijs disposuerit, & vt latius *in eod. §. 12.* alia scripsimus nos *lib. pr. pract. quæst. cap. 29.*

Existimo etiam, posse Senatum facere legem contra ius commune in prouincia tamen sua, (quicquid dicat *Alber. in l. 1. ff. quod quisque iur. & Bal. in l. cum esset de testam*) & immutare statuta ex causa superueniente, quicquid de alijs generalem potestatem habentibus scribat *Bar. in l. ambitiosa ff. de decret. ab ord. facien., & in l. 1. C de nou. Cod. facien.* quem sequitur *Mart. Laudens. de Prin. q. 453. & Rebuff. in d. loco* Cæsar enim rebus omnibus cum assistere nequeat. *l. præcipuus in prin. de app. & auth. de hær., & Falcid. in prin* ijs præcipue, quæ non nouit propter varios populorum mores *c. 1. de constit. lib. 1.* cum *not. in l. 2. C. si con. ius. vel vtil. pub.* constituit Senatum, qui ad communem vtilitatem contra ius commune leges condere, prout & ciuitas statuta facere possit. *l. 1. ff. de legib., & not. in l. consuetudines C. quæ sit long consuet.* Cum enim natura properet nouas edere formas, *C. de sec. edit. Cod.* quandoque necesse est, vt statutum vno tempore expost mutetur nulla differentia adhibita, vtrum sit statutum vel consuetudo, quæ imitetur legem, vel legem confirmet, aut legi deroget. *l. de quibus ff. de legibus. l. 1. §. 1., & quod ibi not. ff. quod quisque iuris*. Neque ius prohibet ex diuersis respectibus diuersa statui. *l. Papinianus §. sed nec impuberis ff. de inoff. testam., & l. si sterilis §. fin ff. de act. emp. iuncta l. fin. ff. de fer.* Ex vtilitate igitur publica Senatus permissum est iuri derogare communi. *l. 1 §. 1. ff. de off. procur. Cæs. l. si procurator ff. de cond. indeb., & l. cum de indebito ff. de procur.* Et tunc agit Senatus ex mandante supremo. *l. & quia ff de iur. omn. iud.*, cui legibus derogare vt supra permissum est. *l. item eorum in prin. ff. quod cuiusque vniuers. nom. l. prohibere §. planè ff. quod vi aut clam. l. pen. ff. de legib*, & non solum locum Prætorum Senatus obtinet, qui suis edictis ius ciuile corrigere poterant. *l. ius autem ciuile ff de iust., & iur.* Sed etiam Vicarij perpetui loco habetur, dum Principem ipsum repræsentat, & iurisdictionem nomine Regio exercet, vt post *Castrens. in cons. 33. in fine lib. 2.*

*Nat-*

*Nattam in cons.* 179. *num.* 9. *in fine Cuman. in cons.* 158. *col.* 2. *Ias. in cons.* 136. *col.* 8. *lib.* 4. tenet in specie de Senatu Mediolanensi *Rimin. iun. cons.* 655. *num.* 9. sunt etiam Senatores in munere perpetui, non autem ad tempus, quod maxime considerant præcitati scribentes. Vult insuper constitutio infra §. *fin.* quicquid factum sit à Senatu parem vim habere, non secus ac si ab ipso Principe factum fuisset, ergo Principem ipsum repræsentat Senatus, qui in terris suis id potest, quod Imperator, vt plene per *Decian. resp.* 56. *num.* 3. *lib.* 5.

277 Poterit eo magis easdem constitutiones, & statuta interprætari, cum hoc munus præcipuum sit ipsius Senatus, ex his quæ paullo supra, & plenius in §. *sequenti*, vbi tradita est facultas Senatui confirmandi, infirmandi, ac tollendi constitutiones Principis, ac etiam statutorum confirmationes faciendi, prout etiam paullo infrà voluit eundem cognoscere posse de approbatione, confirmatiōe litterarum Principis, donorum, remissionum, indulgentiarum, priuilegiorum, ordinationum, edictorum, & gratiarum tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & eas approbare, vel limitare, aut restringere, prout è re Principis, aut publica esse cognouerit. Immo si Senatus eas non approbabit, vel confirmabit, nullas eas esse voluit, irritas, & ina nes, ac si nunquam à Principe concessæ fuissent. Subdit etiam. Ceterum, quia ex conditione temporum, & rerum euentu necessarium est super pluribus prouidere, possit idem Senatus secundum casuum contingentiam opportunas prouisiones facere, quæ inconcusse seruentur. Dixerat etiam prius, vt habeat Senatus auctoritatem in his quæ ad iustitiam, & æquitatem spectant prouidendi. Quæ cum ita sint, dubium non est, quin Senatus præmissa facere possit. Postea quam illi concessa fuit auctoritas in his quæ maiora sunt, ergo multomagis circa minora, & hæc auctoritatis qualitas omnino attendi debet semper, teste *Bal. in auth. Cassa col.* 1. *C. de sac. san. eccles.*, *& in cons.* 409. quoniam *lib.* 4. *Rom. cons.* 501. *in fine Dec. cons.* 8. *lib.* 1. *vers. secundo principaliter*, *& cons.* 27. *num.* 6. *in fine*, *item cons.* 72. *sub num.* 1. quod etiam alias probauimus plenius. Eius autem est interprætari, cuius est condere. *l. fin. C. de legib. l. in omni nouatione C. de sacr. san. eccles. l. si quis intentione ff. de iud. l. ex facto vbi glos. Bal. Alex. Ias. & omnes ff. de vulg., & pupill. in prin. l. si vere §. de vire ff. sol. matr. com. ibi not. c inter alia de sent. excom. c. cum venissent*, & ibi *glos. de iud. c.* 1. *vbi Dec. & omnes post glos. de postul. prælat. & c. ex ijs* 11. *q.* 3. *Bar. latè in l. omnes populi in* 3. *q.* 6. *prin. Feder. de sen. cons.* 233. *in prin. vers. sed quamuis Bal. cons.* 305. *in prin. lib.* 1. *Dec. & alij in l. Neratius in fine per illum tex. de reg. iur. Roman. cons.* 116. *& And. Sicul. cons.* 27 *col. pen. lib.* 2.

Non tamen ad Senatum quorumcumque dubiorum interprætatio spectat, sola enim negatio non facit rem dubiam, neque cadit, vbi verba clara sunt *l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de leg.* 3. *l. iam hoc iure §. sed hoc ita ff. de vulg., & pupill. l. continuus §* 1. *ff. de verb. oblig.* sed altero tantùm de duobus interueniente, vel quod agatur de generali interprætatione, quæ vim legis habitura sit, vel quod dubium sit magnum, atque arduum, vt per *Abb. in c.* 1. *in* 1. *notab. & in c. fin. col.* 2. *de constit.* iterum *in c.* 1. *in* 1. *notab. de iur. calum. & in c. cum speciali num.* 7 *de app. Butr. in c. cum venissent col.* 1. *& ibi Dec. num.* 3. *&* 4. *de iud.* quibus accessit etiam *Fel. ibidem*, qui dicunt iudices inferiores posse interprætari quoad præiudicium partium colligantium, sic etiam *Bar. in d. l. omnes populi* 3. *q.* 6 *prin.* vbi etiam ceteri *Canon. in c. ad hac post Abb. de postul. prælat. Castrens. in l. heredes palam §. sicut post col.* 2. *ff de testam.*, vtputa si verba ambigua sunt, nempe quando agitur de interprætatione proprie sumpta, videlicet de expositione, vel declaratione verborum *d. l. heredes palam §. sed si notam l. adeo §. cum quis ff. de acquir. rer. domin. Bal. cons.* 305. *in prin. lib.* 1. *Archidiacon. in c.* 1. *de constit. in* 6. *ad fin. Scribentes in l. vnica C. de professor. qui in vrbe constantin. lib.* 12. *Alex. cons.* 216 *in fine vers. ad decimum, & vltimum lib.* 2. *Gabriel. cons.* 181 *lib.* 2. vbi plenè; hæc enim declaratio vera est, & nihil disponit. *l. heredes palam §. sed & etsi ff. de testam. l. adeo § cum quis ff. de acq. rer. dom.* operaturque in tertij præiudiciū. *Dec. cons.* 114. *& cons.* 229. *Bellam. cons.* 19. *Ias. cons.* 128. *lib.* 4. *Gabr. de reg. iur. conclus.* 3. *Crau. cons.* 976. *num.* 24. Secus autem de interprætatione extensiua, seu restrictiua in præiudicium tertij, quia hoc nec etiam Sum. Pontifex facere potest, secundum *Castrens. in d. l. heredes palam*, esset enim hæc noua dispositio, vt ibi per eum idem quoque voluit *P. de Anchar. cons.* 399. *col. fin.* Ad instantiam igitur partis præmissam interprætationem iudices facere poterunt, alias si cognitio cuiuscunque interprætationis Senatui demandanda foret, inanis inferiorum iudicum ferè redderetur iurisdictio, frustraque sapientum collegia, quibus causæ committendæ sunt per statuta, fuissent introducta. Optimè *Decian. resp.* 36. *num.* 9. *lib.* 5. *vbi plenè*. Et inter cetera ait, si tale dubium est, quod possit iudex prima facie à se ipso soluere, non recurrat ad Principem, sed potius causam consulendam consilio sapientis inuitis etiam partibus committat, citatque *Innoc. notab.* hoc dicentem in *c. super quæstionum de off. deleg. Angelum in l.* 2. *C. de senten. ex peric. recit.*, & alios plures, ac *num.* 12. quadruplicem ponit interprætationis rationem.

Quoties autem agimus de interprætatione, quæ extensionem aut restrictionem respicit, ita vt necesse sit aliquid addere, vel minuere; hoc solum spectat habenti auctoritatem legis condendæ, vel approbandæ *l. ius ciuile ff. de iust.*, *& iur. Bar. in d. l. omnes populi d. q.* 6. *prin. Castr. cons.* 338. *n.* 2. *lib.* 1., cum alijs supra. Denegatur hæc autem inferiori vtsupra, & quod Senatus leges extendere possit, & declarare tenuit *Rebuff. in proem. concordant. glos. summas vers. trigesimo secundo*, potissimum si agatur de intentione concedentis, aut de ipsius interesse, ex his quæ paullo supra.

Et iuxta distinctionem à nobis allatam intelligendus est *Fel. in d. c. cum venissent num.* 1. & alij per nos relati infra *in comment. de app. §.* 6. *glos.* 2. *cap.* 6. *num.* 7., *& seq.* cum ceteris volentibus, recurrendum esse ad Principem, si est præsens in loco, pro ipsa interprætatione. Satis est enim, si huius supremi ordinis auctoritas in causis grauibus, & arduis intercedat, aut quando quid pro lege obseruandum est, vtsupra. Hoc ipsum etiam suis ordinibus sanxit Senatus cum passim, in criminalibus etiam a iudicibus, vel pro interprætatione aliqua, vel quid seruandum esset, in hac vel illa causa requireretus. Voluit enim eos teneri leges scriptas, ac hactenus obseruata, seruare. Ordo enim confundi-

funditur, si sua cuique iurisdictio non seruatur; vt alias per nos plene fuit doctum. Euocatio huiusmodi causarum odiosa est, quia præuentionem tollit. *l. si quis postea de iud. c. proposuisti de foro comp.* & in contumeliam primi iudicis cedit. *l. litigatores ff. de arb.* per quem longe melius est causam cognosci, quam nouo iudici committi, sic ex *tex. insigni in l. pen. §. tolerabilius ff. de excus., & vacat. mun.* quia vbi ordinarius iudex competens est, extraordinarius cessat *l. in causa ff. de min.* Et si odiosa est, restringi ideo debet. *c. odia de reg. iur. in 6. c. cum quidam ff. de reg. iur. Rebuff. de euoc. art. 1. q. 10. num. 89.* eo modo quo diximus, vt finis litium sit. *l. properandum C. de iud.* Satis erit, si quando Iudex partem aliquam grauauerit, extremam manum Senatus apponat, & istius iudicis imperitiam corrigat. *arg. l. 1. ff. de app. & l. 1. ff. de off præfec. Præt.*

---

## CAPVT XXIX.

*Senatus auctoritas in Magistratibus creandis, eisque priuandis.*

278 Cicero *in orat.* de prouincijs consularibus vult vtrasque prouincias, & Consulares, & Prætorias in Senatus quidem potestate fuisse, sed longè dissimilem illius potestatis rationem in illis decernendis extitisse; nimirum vt senatus quotannis ante comitia consularia in prouincijs designandis, Consularibus prouincias arbitratu suo decerneret, quas deinde ipsi designati, arbitratu suo inter se sortirentur, quod ante, vel post consulatum facere solebat. Verum, cum, antea senatus decreto intercedi, ne deinceps liceret, cautum esset, vt ex eod. *Cicero pro domo sua, & Salust. in Iugur.* Tunc & Consulares, & Prætoriæ prouinciæ vtræque à Senatu decernebantur, vt eas post menses demum septemdecim obtinerent; Et in Senatus potestate sic erant, vt Tribuni plebis intercedere decretis, quæ de eis Senatus fecerat, non possent: & in incertum tempus, quandiu scilicet, Senatus non alios submitteret, obtinerentur. Præterea vero Prætoribus anni præsentis mandabatur, vt eos proxime K. Ianuarij deposita Prætura statim obtinerent: In populi autem potestate iccirco erat, quia Tribuni plebis decreto à Senatu de ijs facto intercedere poterant: & animo tantùm imperio obtinebantur. Quinetiam, de Senatus potestate hoc animaduerti ius fuisse senatui, quæ prouinciæ consulares erant, eas prætorias facere: hoc est anni præsentis Prætoribus mandare: qua mutatione simul eæ prouinciæ, eæ potestates Senatus, in populi potestatem transibant. Hinc *Tacit. annal.* 1. ita loquitur. Tum primum è campo comitia ad patres delata sunt, non ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studijs Tribunum fiebant. Neque Populus ademptum vis quæstus est, nisi inani rumore: & Senatus largitionibus, ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa, & ambitu designandos. Quid plura? Comitiorum res libertate amissa varie fuit habita, dicente *Sueton. cap.* 41. Comitia cum populo partitus est, & exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur, pro altera parte quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura breui, Cæsar Dictator, illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant. Videndus est *Dion lib.* 41. 53. 54. & 58. quibus in locis varietas apertissimè colligitur, item & *Tacit. d. 1. annal. in fine*, qui sic ait. *De comitijs consularibus, quæ tum primum illo Principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare auxim. Adeo diuersa, non modo apud auctores, sed in ipsis orationibus reperiuntur, &c.*

Hoc etiã animaduerti ex *l. 2. C. de off. præt.* iudicio Senatus tres Prætores Vrbanos per singulos annos ordinari, plures vero Principis iudicio, nimirum candidatos, vt ex *eod. Tacito Annal.* 2. & alibi pluries. Quamuis & hæc quoque varia admodum extitisse agnouerim, ex temporum rerumq; varietate: Sub enim Iulio Cæsare primum, non amplius Senatus exercitus mandauit, nec prouincias decreuit, nec insignia reipub. gessit, cum iam ad vnius arbitrium essent translata, quod & mox in in ceterorum officialium, & Magistratuum creatione, electioneq; obseruatum fuisse, docent *Plin. ep. lib. 10. Vopiscus, Lamprid. Dion. & ceteri.* Clarius tabula ærea, quam in basilica Lateranensi extare tradit *Albert. de mirabil. Vrbis Romæ tit. de legib. & tab. æneis.* Nam omnis hinc creatio Magistratuum ad Principem pertinere cœpit. *l. vnica ff. ad l. Iuliam de ambitu*, qui nullis comitijs habitis, sed pro meritis honores deferrebat. *l. vlt. ff. de statuit, & imagin.*

Quos Magistratus creabat, eos etiam officio mouebat Senatus, vt in *3. Catil. de P. Lentulo*, patet, *& de Natura Deorum* 2. his verbis, *augures rem ad Senatum, Senatus vt abdicarent: consules abdicauerunt*, idem ex *Pomponio in l. 2. §. & cum placuisset ff. de origin. iur. & Tacito 3. & 11. Annal.* plures alios Senatu motos posuimus infra *cap. 33.* Clarè *Cic. in orat. pro Flacco*, extat lex Cassia, quam C. Mario, & C. Flauio Coss. Cassius Longinus tulit, vt quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset. *Plut. in P. Æmilio.* Habent censores potestatem mouendi Senatu, qui impure, ac flagitiosè viuunt. *Liu. lib. 39.* Patrum memoria institutum erat, vt censores motis è Senatu adscriberent notas; alia plura apud eundem *Liu. lib. 42. Cicer. pro Cluen. Plut. in Catone. Et in præcep. connubial. & alios.*

Senatui autem Mediolanensi ius competere in Gymnasio Ticinensi lectores deputare, Conseruatores Sanitatis deligere, Vicarium Prætoris, & Syndicatores, aliosq; multos cooptare patet ex hac *Constit. in §§ sequentibus*, prout etiam eidem concessa est facultas ab ipsamet Constit. Iudices delinquentes corrigendi, puniendi, suspendendi, & ab officio priuandi iuxta casuum contingentiam. Præterea, nulli Iudices, vel officiales ab huius status Gubernatore delecti, exercere possunt munus sibi delatum, nisi eiusdem Senatus accesserit approbatio, ex instituto antiquissimo, de quo loquitur Decretum Ducale anni 1497. sub die 22. Decembris in hæc verba. *Item cùm aliquando contingat, quod instantibus aliquibus Principibus, Communitatibus fœderatis, vel amicis nostris, vel eorum Oratoribus per nos decernis Praturas, Commissariatus, & alia munera publi-*

publi-

*publica administranda iustitia iurisdictionem habentia, aliquibus personis, ex quarum administratione populi nostri non leuem iacturam accipiant; cùm in eis esse non reperiantur ea, quæ tales viros, & talibus Magistratibus præpositos habere deceret: Decernimus, sancimus, & iubemus, quod nullus posthac, quantumcunque à nobis electus, & designatus ad aliquem Commissariatum, Præturam, & eiusmodi, non possit eam assequi, nec ad ea munera admitti, nisi prius à Senatu nostro secretò fuerit eius persona approbata tamquam idonea, & designato muneri idonea, ac pariter idoneè caueat &c.* a quo quidem decreto desumpta est Constitutio nostra infra *de off. & iurisdict. diuers. iudicum in principio*, nunc vsu recepta. Extat quoque ordo Inuictissimi Carolis V. sub die 6. Augusti anni 1545. volens omnes officiales per Gubernatorem electos, a Senatu approbari debere. Quod institutum, an nunc Reipublicæ vtile sit dum non noti, minusve idonei ad aliquod publicum munus eliguntur, etiam si Senatus approbatio sequatur, vel ea in Gubernatoris placitum accedat, an vero melius esset aliud institutum de quo Erectione illa anni 1499. sequi, quisque dijudicet; his enim verbis erat concepta. *Quantum autem ad alia officia iudicatura, quæ sunt dicto Senatui nostro inferiora, & subalterna, prout sunt Capitanei iustitiæ Potestates, Vicarij, Commissarij Ciuitatum, Iudices, Consules, & alij similes temporalia, seu perpetua, quæ temporibus retroactis per Duces Mediolani solebant conferri, seu donari, quotiescunque aliquod prædictorum officiorum vacare contingeret morte, lapsu temporis, vel alias. Volumus dictos Senatores nostros iuramento per prius iuxta formam prædictam in manibus Cancellarij, vel alterius in dicto Senatu Præsidentis per eos præstito procedere ad electionem trium virorum, quos in eorum conscientia cognouerunt sufficientes ad tale officium obtinendum pro bono nostro & subditorum. Quam nominationem sic factam, & in scriptis redactam habebunt dicto Locumtenenti nostro generali præsentare, qui vnum de tribus sic nominatis, sine mora tenebitur acceptare. Et illo sic acceptato dabuntur, & expedientur litteræ nomine nostro, & sigillo nostro per dictum Cancellarium sigillatæ.*

## CAPVT XXX.

*Senatus potestas in legationibus decernendis, ciuiumque controuersijs dirimendis.*

279 CEterum, si qua in Italia controuersia dirimenda, si publicè, vel priuatim quispiam, vel ciuitas obiurganda, si cui auxilium, vel præsidium ferendum erat, de his omnibus curam Senatus habebat ex *Polyb. loco de quo supra*, & *Cicer. in epist.* 8. *in orat. pro Balbo, ac lib.* 15. *ad Atticum*, quod etiam *Varro. libro de lingua latina* 4. scriptum his verbis reliquit. *Legati, quod vt publicè mittantur, leguntur; quorum opera, consilioq; vterentur peregrè Magistratus, quivè nuntij Senatus aut populi essent*. Fere enim prouinciæ, & imperia Senatoribus mandabantur, teste *Cicer. in Pompeiana*. Quid tam præter consuetudinem, quàm homini peradolescenti, cuius à Senatorio gradu ætas longè abesset, imperium atque exercitium dari? Et Florus. Quid ad ius libertatis magis efficax, quàm vt Senatu regente prouincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niterentur. Et notandum est aliam fuisse legationem liberam, aliam verò publicam, ex *Cicer. sententia Academ.* 1. qui sic loquitur. *Dum me ambitio, dum honores, dum causæ, dum reipub. non solum cura, sed etiam procuratio multis officijs implicatum, & constrictum tenebat*, & 3. de legibus. *Sed quæro quid re ipsa sit turpius, quàm sine procuratione Senator? legatus sine mandatis? Senatoribus etenim data erant clientela, & patrocinia plebeiorum*, secuncundum *Liu. & Halycarnass.* cum alijs multis à nobis supra *cap.* 27. nimirum, vt hi quem quisque vellet Senatorem deligerent, teste *Plin. ep.* 4. *lib.* 3. dum ait. *Legati prouinciæ Betica quæsturi de proconsulatu Cæcilij classici aduocatum me à Senatu petierunt*: & paullo infra. *Legati rursus inducti, iterum me iam præsentem aduocatum postulauerunt, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bebium experti, allegantes patrocinij fœdus. Secuta est Senatus clarissima assensio, quæ solet decreta præcurrere.* Erat autem fœderis hæc conditio, teste *Plut. in Romulo*, in vtroque officiorum vicissitudo, vt patricij plebeios fide, studio, consilio iuuarent, accusatos defenderent, absentes omni ope tuerentur. Contra clientes ad collocandas Senatorum filias, si a parentibus filiæ non suppeterent, de suo conferrent, in æris alieni dissolutionem, gratuitam pecuniam erogarent, ab hostibus in bello captos redimerent, in Magistratibus, & honoribus officiosa sedulitate deducerent, ac reducerent. Quod si clientem patronus, aut patronum cliens accuset, contrave testimonium dixisset, aut suffragium tulisset; is proditionis lege tenebatur; eumq; qui occidisset piè fecisse, & Inferno Ioui hostiam mactasse putabatur. Atque huiusmodi clientelæ, quanquam ab initio potissimum Vrbanæ plebis causa fuerint institutæ, expost ita sunt exemplificatæ, vt non Coloniæ solum, sed & ceteræ prouinciæ societate, amicitiaq; P. R. coniunctæ se se ciuium Romanorum in patrocinia contulerint, vt plurimi attestantur antiqui scriptores.

Præterea, si ad alienam Ciuitatem Senator accedebat, hospitio publico, summo cum honore suscipiebatur; teste *Cicer. contra Verrem*, his verbis. *Ecqua Ciuitas est non modo in prouincijs nostris, verum in vltimis nationibus, aut tam libera, aut etiam tam immanis, & barbara? Rex denique Ecquis est, qui Senatorem P. R. tecto, & domo non inuitet? qui honos non homini solum habetur; sed primum P. R. cuius beneficio nos in hunc ordinem venimus, deinde ordinis auctoritati, quæ nisi grauis erit apud socios, atque exteras nationes, vbi erit imperij nomen, & dignitas. Mamertini me publicè non inuitarunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, sed ordini &c.*

Quod tamen nunc deduximus, fuit à nobis citatum, vt qui idem erga Senatorem Mediolanensem faciant, intelligant se facere, quod Senatoriæ dignitati debetur, ac vt ostenderemus huic Senatoriæ dignitati omnem honorem deberi non solum in ipso Senatu, domivè, sed etiam foris.

Cetera vero in eodem Senatu concurrere videntur, siquidem in dirimendis ciuium controuersijs 280 Senatus Mediolanensis maximè potest, vt supra *cap.* 8. *huius glos.* cum nolentes, & recusantes ad pacem cogat. *l. æquissimum iuncta glos. in verbo iurisdictioni ff. de vsufruct. auth. de man. prin.* §. *deinde*, & tradunt scribentes *in l. quidem ff. si cert. pet.* dum-

modo id sine scandalo fiat, vt ait *Bal. in proem. Gregor. col. 3. per tex. ibidem in verbo Rex pacificus, & in l. 1. §. vnde quaeritur ff. de oper. non. nunciat.* Qui etiam in arduis rebus legationes decernit, aliquem ex Senatoribus legens, vel alios iuxta casuum qualitatem; prout etiam hunc, vel alium ex amplissimo ordine in conseruatorem cooptat, cuius sanè conseruatoris munus est tueri personas, & bona fidei suæ commissas, in quibus iurisdictionem priuatiuam, quoad omnes alios iudices exercet.

## CAPVT XXXI.

*Senatori necem moliens, an læsa Maiestatis reus sit.*

281 SEnatori Romano si quis necem moliretur, reus erat læsæ Maiestatis, etiam si effectus non sequeretur, vt in *auth. qui sint rebelles*, ibi, *machinantur contra nos, seu officiales nostros*, & in *l. si quis C. ad l. Iul. maiest.* ibi, *qui consilijs, & consilio nostro intersint, Senatorum etiam &c.* hoc ipsum pluribus alijs probant *Io. Montaig. in tract. de auct. Magn. cons. vbi Boer. in prin., & Cassan. in catal. glor. mundi part. 7. consider. 13.* Immo nec conuicio Senatorem aspergere licebat impunè; teste *Arnobio lib. 4.* Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut conuicio prosequi suis esse decrestis periculosissimum pœnis. Sic etiam *Saluianus lib. 6.* Illustrem, ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet; & si quisquam exhonorauerit, decretis regalibus reus sistitur, & iniuriarum auctor iure damnatur. *Tacitus Histor. 4.* Manlius Patricius ordinis Senatorij, pulsatam se in Colonia Seniensi, cœtu multitudinis, & iussu Magistratuum quærebatur; nec finem iniuriæ hic stetisse: planctum, & lamenta, & superiorum imaginem præsenti sibi circumdata cum contumelijs & probris, quæ in Senatum vniuersum iacerentur. Vocati qui arguebantur, & cognita causa, in conuictos vindicatum.

Quod vtique crimen læsæ Maiestatis cadere posse in eos qui Senatori Mediolanensi necem moliri attentare præsumeret, dicendum foret, nisi *Constitutio infra lib. 4. tit. de crim. læs. Maiest.* in fine loqueretur de persona Principis, & Locumtenentis tantùm, ita vt cogamur dicere eos non includi, sed exclusos remanere. Potissimum quia, non Senatoris solius persona, sed Senatores omnes, hoc est amplissimus ordo in his Constitutionibus consideratur. Et in pœnalibus strictior habenda est interpretatio iuribus vulgaribus. Verum si Constitutionem ipsam diligenter consideremus, vtique etiam fateri necesse est, casum hunc omissum fuisse, atque ideo sub eadem iuris communis dispositione relictum; & ita tenet *Clarus* videndus *in §. læsæ Maiestatis vers. Quæro numquid offendens consiliarium Principis.* Esset etiam considerandum, vtrum Senatori, vti officiali, an autem vti priuato, & ex odio priuato iniuria facta sit, vti aduertunt plures, quos refert *Crau. cons. 988. num. 29. & seq. lib. 6.* de Andrea Isern æ, qui fuit occisus, quod processum fuerit de crim. ne læsæ Maiestatis contra occisorem, & de alijs huiusmodi pluribus *Camillus Borellus ad Bellugam in Speculo principum rub. 44 §. quia multitudo littera A.*

## CAPVT XXXII.

*Senatum nullum habere superiorem præter Principem. De Senatoribus quis iudicet.*

SEnatores, qui olim illustres, & clarissimi, si rei criminum erant facti à nullo alio quam à Principe, vel eo, cui princeps delegauerit, poterant iudicari, non etiam inconsulto principe condemnari, sed tantum absolui poterant. *l. vlt. C. vbi Sen. vel clariss.*, & habetur in *l. nemo C. de dignit. lib 12.*, & in *l. præcipimus eod. tit.* Ij quoque non nisi in scriptis conueniri poterant, & conuenti satisdare, iudicio sisti, aut iudicatum solui non compellebantur, sed iuratoriam tantùm cautionem, etiam criminaliter accusati, præstabant. *l. pen. C. de dign. lib. 12.* hoc est Roma iam sub vnius imperio redacta, ea verò libera. 282

Ipsi Senatui; nec populus, nec consul, aut alius quispiam iubere poterat, sed Censores, aut Dictator quinto quoque anno schedulam, in qua Senatorum nomina describerentur, vbi vel legeret non antea descriptum, eum Senatorem creatum, vel aliquem ex antea scriptis præteriret, eum motum Senatu, dispunctum, & è Senatorum albo obliteratum esse apparebat. Hoc enim in ipsorum Censorum, & Dictatoris potestate fuit, vt ex Festo, Liuioque pluribus in locis notauimus supra *glos. 3 sub num. 59* vbi ex *Liu lib. 38., & Suet. cap. 35. in Cæs. Dion. lib. 53. Cicerone pro A Cluentio. Valer. Max. lib. 2. c. 4, & Gell. lib. 13. cap. 21.* docuimus id iure factum fuisse, sed & aliquando priuato odio. 283

Aliquando tamen hęc eadem, & in reos animaduertendi potestas fuit penes equestrem ordinem, & Senatorium simul, aliquando penes vnum tantùm ex eisdem ordinibus. cum supra *cap 27.* docuerimus criminalium iurisdictionem sæpe apud eosdem immutatam, & postremo penes perpetuos Dictatores depositum fuisse, vt ex *Dion., & Suet. in Augusto.* Dictatori enim ius erat in Senatores: donec lex emanarit, qua cauebatur; ne de Senatoribus alij, quam Senatores iudicare possent, de qua per *Dion. lib. 52. Spartianum in Adriano*, scribentem eum iurauisse si nunquam Senatorem nisi ex Senatus sententia puniturum *Capitol. in M. Anton. Philos.* qui addidit, vt causæ Senatorum secreto pertractarentur, prohibuitque equites Romanos talibus interesse, quod tamen alij prius senserant. Mœcenas enim in Dionis annalibus inter cetera, quæ oratione sua Augusto suadet, sic loquitur. *Non esse ferendum, vt sententiam dicant inferiores dignitate de ijs, qui maiore perfuncti essent Magistratu. Nimirum vt Cicero in recensendis illis, qui à Pompei partibus steterant 13. in Ant. Philipp.* ordine certo retulit. in quo decem fuimus consulares, quos ibi enumerat; mox subdit. Qui vero Prætorij? Deinceps qui ædilicij? Qui tribunicij? Qui quæstorij? ita vt nec de ædilicijs quæstorij, nec de prætorijs ædilicij cognoscerent. Alex. vero Seuerus ex Spartiano fieri Senatusconf. coegit, ne liceret Imperatori inconsulto Senatu occidere Senatorem, cui adijci præcepit, vt quisque Imperator Senatori mortem afferret, 284

ferret, cuiusq; opera ad eam rem vteretur, liberiq; ipsorum hostes reipub forent, ex *Dion. in Seuero*. Et cum aliquando ad præfectos prætorio de Senatoribus iudicium pertinuisset, Præfectos Prætorio Senatores esse voluit, & ne quis non Senator de Romano Senatore iudicaret, teste *Capitolino*, & *Lampridio*, ex quo loco desumitur, Præfectum Prætorium cognouisse de Senatoribus ipsis, & clarius hoc ipsum firmatur ex *Symacho ep. 74 lib. 2*. vbi docet proprium negotium præfecturæ Vrbanæ iura Senatorum tueri. *Clarius ex l. vlt. C. Theodos. de iurisdict. omn. iud.*, quæ nominatim cauet, Præfectum Vrbis posse cognoscere de causa criminali senatoris, modo adhibuerit in consilium quinque Senatores. Iterum in *l. 13. de accus. eod. C. Theodos.*, & *Cassiod. lib. 4. var. ep. 22.* vbi Theodoricus Rex iubet Argolicam Præfectum Vrbi quinque Senatoribus adhibitis de crimine Basilij artis sinistræ, idest Magicæ, cognoscere, vt etiam in *lib. 10. C. Theodos. de malef.* Et inde est, quod *Cassiod. lib. 6.* scribit Præfectum Vrbi Senatorum esse præsulem, & apud eum Senatores trepidasse proprias causas dicere. *Pallio in Valeriano*, sic ait. *Ille de Senatu iudicet, qui est omnibus melior; ille de Senatu iudicet, qui nullum habet crimen; ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obijci.* Aurea sanè sententia, omnino obseruanda, ex *l. tamen fin. C. vbi Senator vel clarifs. Principis de hac re est cognitio.*

Sub Nerone, & Galba variè seruatum fuisse reperies. Diuersa quoque pœna multi Senatores damnati, ac pluribus ex causis Senatu moti fuerunt. Siquidem *l. Iulia* cautum erat, vt Senatoribus de ambitu damnatis aqua, & igni per annos decem interdiceretur. *Cic. pro Murena, pro Sextio, & in Vatin. Dion. lib. 37.* Olim autem L. Sulpitium consulari familia, summoque ingenio virum ob libidinosæ suspitionis notam loco motum L. Portius Latro litteris tradidit. *Cicero pro Flacco* Lysanias adeptus est ordinem Senatorium, sed cum rempub. nimium complecteretur peculatus damnatus, & bona, & nomen senatorium amisit. Sic & *Zonaras* ait. Post constitutum est, vt qui semel in Senatum lectus esset, per omnem ætatem in eo ordine permaneret, nisi aut turpi iudicio damnaretur, aut ob vitæ dedecora pelleretur. *Dion. lib. 36.* scribit, latam fuisse legem, vt qui Magistratum à populo contendisset ambitione, omni bonorum petitione, & Senatorio gradu priuaretur, & insuper certa pecunia multaretur. Intererat autem, an quis esset notatus, an verò ordine motus, vt scitè obseruauit *Zamoscius de Senatu Romano lib. 1. propè fin.* Ob leuiores siquidem causas mouebant tantum censores, grauioribus autem pollutos sceleribus notabant. Verbi gratia. *Lentulus, vt est in Cluentiana*. Popilium, quod erat libertini filius, in Senatum non legit, & eum ignominia omni liberauit. Paulus autem in *l. cum prator 12. §. pen. ff. de iud.* P. Senatu motum à iudicandi munere prohibitum tradit, & hoc si propter turpitudinem motus sit, vt *not. Marcellus in l. 2. de Senat. Cicero in ea Cluent.* ait, extitisse legem huiusmodi Hominibus turpi iudicio damnatis in perpetuum, neque vllus ad honorem, neque ad curiam aditus esto. Quam ita Marcellus, & cum eo Venulecus explicant, lege scilicet Iulia reputandarum Senatores amoueri à Senatu, ob pecuniam acceptam, ob dicendum testimonium, vel ad denuntiandum, vel ob iudicandum, vel non iudicandum, vel ne aliquem vinciat, aut vt quendam in publicos carceres conijciat. Exempla alia plura refert *Zamoscius d. lib. 1. in fine*. Quibus addi quoque possunt, alia quædam scripta supra *glos. 3. num. 182.* *Cicero 3. de legib.* scribit, Senatorium ordinem omni carere debere vitio, & *l. 74. C. de decur.* qui vitijs ante actæ vitæ laborant opprobrijs, amplissimo ordine indigni iudicantur, quia famosis portæ dignitatum non patent, inde illud ingeniosum commentum Claudij Imperatoris fluxit, qui famosos probris quonammodo Senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex senectute prisca rationem adhibuit, monendo secum quisque consuleret, peteretque eius exeundi ordinis facilem rei veniam, vt motos Senatu, & excusatos simul positurum, vt iudicium censorum, & pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent. Author est *Tacit. lib. Annal. 2.*

Aliud etiam obseruatum est, vt Senatores omnes, nimirum ij etiam, qui non ex priuilegio, sed ex præcedenti administratione, dum accusarentur, sedere possent, vt in *d. l. 3. C. vbi Senat.* vel clarifs., & supra hac *eadem glos. cap. 21.* ex *Plutarco de Marcello*.

Si quis autem Senator patrem occiderit, pœna extraordinaria iudicis arbitrio puniebatur, sicuti docet *l. adeo C. vbi Sen.* vel clarifs. quamuis hunc grauiori etiam pœna, quam ordinaria multari debere verius dicat *D. Menoch. de arb. iud. casu 356. num. 48. declarat. 9.* Hactenus de Senatoribus Romanis.

Quid nunc de alijs Senatoribus obseruandum sit, noster erit sermo. Apud Francos Senatores tantùm de Senatore Romano iudicare, testatur Petrus Ærodius *Decret. lib. tit. 15. de Senat. cap. 8.* iuxta *text. in d. l. 3. C. vbi Sen. vel clarifs.* Sic & fusius *Ian. Langlaus semestr. lib. 7. cap. 18.* plura per *D. Menoch. de arb. iud. casu 518.*

Senatui vero Mediolanensi imperat solummodo P. Rex. Senatoribus autem in ijs aliquando, quæ officium Senatoris respiciunt, Præses Senatus mandat, vt iam diximus. Olim, vbi quis Senator iudicio subijciendus erat, Senatus fuit cognitio, ex Constitutione veteri ipsius Senatus, quæ ita loquitur. *Nec poterunt quouis pacto ab eorum officijs per dictum nostrum Locumtenentem, vel Senatum, vel alium remoueri sine causa legitima, cuius cognitio ad ipsum Senatum nostrum pertinebit.*

Hodiernis autem temporibus Censor Regius ab ipsa Reg. Maiestate delectus, vt de ipsis Senatoribus, ceterisque alijs Magistratibus, & officialibus iudicat animaduertere in Senatores consueuit. Prius tamen sub ipsis Ducibus Præses, vel Senator in suo officio delinquens mandabatur torqueri, vt per *Boss. de indicijs sub num. 116. vers. exemplum*, vbi *sub num. 117.* post alios citat *Paridem de sindic. tit. de excess. consiliar.* ponentem casus, quibus Senator in suo officio delinquat. 285

Ex ordine Cæsareo anni 1545. 6. Augusti dato
286 Vormatiæ in verbis: *Il Gouernatore tenerà grande, & continua cura, che così il Senato, come il Magistrato, & gl'altri tribunali, & ministri di giustitia, & officiali delle entrate, & robba, & qualunque altro cadauno in suo officio, grado, e qualità, vsino del suo officio con l'auttorità libera, che conuiene, & guardino gli suoi ordini, & forme d'amministratione, che si sono guardate, & vsate nello stato, & che conuengono, & precipuamente quello, che per lo presente ordine si commanda, & determina; il quale è nostra volontà, che sia inuiolabilmente osseruato, & esequito. Et che'l Gouernatore per alcuna maniera, nè per alcuna causa, ò ragione faccia cosa in contrario.* Desumi potest huius Prouinciæ Gubernatorem de ipsis Senatu, Præsi-
287 de, & Senatoribus iusdicere posse, quoties ipsi munus suum ad vnguem adimplere neglexerint, quod & iure communi contra alios iudices in casum negligentiæ cautum esse scripserunt *Fel. in c. pastoralis de app. & in c. pastoralis de off. ordin.* cum alijs per nos adduc. *pract. quæst. lib. 1. cap. 46. num. 14.* & multis alijs argumentis probari posse videntur. Et primò, cui mandata sunt præcedentia, mandata etiam censentur sequentia. *l. 3. §. scio ff. de minor. l. indebitum ff. de cond. indeb.* mandata erga hac cura Gubernatori, vt Magistratus omnes officio suo libere vtantur, censetur etiam eidem data auctoritas, contumaces, negligentesq; puniendi, cogendivè, alias actus finem ad quem dirigitur, non consequeretur, contra *l. si is, qui in aliena vers. nemo enim de acq. rer. dom. l. verum ff. de furt.* Secundò, sub qualibet commissione, vel delegatione includuntur, & veniunt omnia, sine quibus mandatum, vel iurisdictio explicari non potest; vt multis exornat *Vant. in tit. qual sent. & process. sub num. 68.* At hic mandatum est curam exactam, summamq; adhiberi, vt Senatus, ceteriq; iudices munus suum plenissimè obeant; ergo etiam, in mandato ipso venire debet animaduersio, & coertio, si quando, vel Senator, vel alius, quod tenetur, præstare nollet. Ad quid enim tantopere inuigilare, si recusantes, negligentesve coercere non liceret, atq; delinquentes non punire?

Hæc & alia, non eiusmodi sunt, vt suadere videantur, posse firmari, licere Gubernatori in Senatum, Senatoresve iusdicere, quinimò ordo ipse Cæsareus firmiorem, amplioremque, ac præclariorem Senatus reddit auctoritatem: vti enim à maioribus nostris accepimus, & ex ipsius lectura colligi potest ordo ille fluxit, ne Illustris. Marchio Vasti Senatus officium inturbaret, nec Senatus, Imperium Gubernatoris assumeret: sed quisque partes suas obseruaret, munusq; suum diligenter præstaretque. Quod enim suum cuique munus esset, præscripsit, & eo, quemcunque contentum esse, mandauit.

Qua de re, si agamus de ijs, quæ iustitiæ administrationem concernunt; patet prouinciam, hanc mandatam esse Senatui, vt pluries probauimus, & dictus ordo in prin. & alibi sæpè apertissimè firmat. Si vero versemur in ijs, quæ obseruantiam ordinum, vel Senatus, Senatoris ve officium respiciunt; quatenus ageretur de ipsorum ordinum inobseruantia, vel de omissione, vel excessu in officio; Existimo Gubernatorem mandare posse Senatui, vt ordines ipsos seruet, quod omissum est suppleat; quodque excessum tollat, non autem coertione in hunc, vel alium Senatorem vti posse; Sat erit Regem de excessu monere, vt ipse, vel censorem huius, vel illius causa, aut omnium simul deligere possit: quod hactenus sic fuit obseruatum.

Nec negligentiæ casus talis considerari potest; qui aperiat locum conclusioni Doctorum supra allatæ, nimirum vt data alicuius iudicis negligentia, alter causam ad se auocare possit, & de ea iusdicere. Nam cum idem Gubernator mandare possit, hoc, vel illud fieri pro iustitia, purgatur negligentia, quoties iussioni prædictæ, prout consueuit, obtemperet Senatus. Et esto, quod non pareret; non tamen sequitur; vt causam eandem auocare Gubernator possit a Senatu, & eam vice Senatus decidere, aut eandem alijs consiliarijs demandare, cum ad id, hæc ipsius iurisdictio, quæ limitata est vtsupra non se extendat. Nec argumentum illud, mandata præcedentia, scilicet cura ordinum, mandata quoque censeri coertione contra contumaces, & renitentes, validum est; siquidem *d. l. 3. §. scio ff. de min.* procedit, quando consequens necessarium est ad suum antecedens: at non est necessarium, vt is, cui mandata sit ordinum cura, coercere etiam possit, quia hæc coertio, & censura alijs demandatur, vtsupra ergo &c. Cura igitur ipsa solummodo demandata, limites ea suos non egredietur. *l. in agris ff. de acq. rer. dom.* Non etiam dici potest sub eadem cura, comprehendi actus multandi, aut puniendi aliquem excedentem, vt sine eo actus ille explicari non possit, ex his quæ scribit *Vant. d. num. 68.* quia sola cura fuit iniuncta, cetera verò denegata, vt per *Bal. in l. qui procuratorem ff. de procur.* quemadmodum reseruando sibi quædam Princeps, cetera a se abdicare videtur. *l. quæsitum 12. §. idem respondit,* ibi, *nam hoc. ff. de instrum. leg. iuncta l. cum pater. 12. ff. de iud.* Et eo minus dicendum est voluisse Inuictissimum Cæsarem concedere Gubernatori potestatem aduersus Senatum, cum id non expresserit, prout fecit infra hoc *tit. de Senat.* §. 10. in hæc verba. *Cura quoque Senatus erit circa omnes iusdicentes, seu officiales iustitia, vt sicut tenentur, iustitiam exerceant. Ius in eos habeat puniendi ab officio priuandi, & suspendendi, ac corrigendi secundum casus contingentiam. Exceptis Quæstoribus ordinarijs, Præfectis annonæ, Collateralibus, Vicarijs generalibus, & Fiscalibus generalibus.* Vides ergo Senatus coertionem nulli demandatam. Ergo eam sibi Cæsar reseruauit.

Vtrum autem Senatus etiam contra Quæstores, 288
& alios exceptos informationes assumere possit, vel etiam Gubernator contra Senatum, aut Senatorem *viden. eris Gemin. in c. quamuis 6 q. 1* vbi etiam *Turrecrem.* de qua re etiam satis per nos infra *d.* §. 10.

Et licet ad arbitrium Principis possit officialis sindicari per *glos. in auth. vt iud. sine quoquo suffr. §. si quis Mar. Laud. post alios de off. domin. q. 440. & 445.*
Alia tamen est Moderatorum Prouinciæ alia quo- 289
que ipsius Principis potestas. Atque ideo cum multa sint in arbitrium ipsius Principis, & Senatus per has Constitutiones collata; existimamus animaduertendum fore, aliam esse personam Principis, aliam vero Gubernatoris, prout hac distinctione vtuntur ipsæ Constitutiones pluribus in locis,

eis. vt in *tit. de off. Quæst. ordinar. c. cum in materia redituum*, vbi hæc habentur. *Idem sanctum est, vbi arduum negotium occurrat, Principem, aut Locumtenentem, vel Senatum consulant, nec aliquo eorum inconsulto diffiniant sub pœna arbitrio Principis imponenda*. Item in *tit. de Præfec. Annonæ c. Caterum. Si quæ licentia per Principem, vel eius Locumtenentem concedantur*, & in *c. electio eod. tit.* ibi, *Electio autem Capitaneorum, & eorum contrascriptorum ad Principem, seu ad eius Locumtenentem spectat*. Item in *tit. de Legitim. in prin. Nullus Comes Palatinus virtute alicuius priuilegij quomodocunque, & quacunque potestate à nobis concessi, possit vti ea potestate in dominio Mediolani, sine licentia Locumtenentis, aut Senatus nostri in eo residentis*. Item in *tit. de crim. læsæ Maiest. c. fin. Si quis personam Principis, vel Locumtenentis generalis*, in *tit. de Bannitis c. nulla persona §. vbi vero, & statim moneant Principem, vel Locumtenentem, aut Senatum*, & in *c. imputari eiusdem tit. nisi probet tolerantiam à Principe, vel Locumtenente*, ac alibi pluribus in locis. Sexcentis vero alijs habetur tantum Principe, vel Senatu inconsulto. Ex quibus patet quandoque parem tributam fuisse potestatem Gubernatori, & Senatui. At par in parem non habet imperiam. *l. nam & Magistratus ff. de arb.* ergo &c.

290 Nec tanta est Gubernatoris potestas, vt aliquid contra ius possit, vt ait *Natta cons. 84. n. 4. & seqq. Rol. cons. 13. num. 47. lib. 3. Tob. Non. cons. 104. num. 19., & 20.* quos sequutus est *Rodolph. de pot. Ducum Italia num. 219.*

291 Quinimo reseruata Principi non transeunt in eius Locumtenentem, vt ait *Fel. in c. quæ in Ecclesiarum sub num. 32. de constit. Natta in cons. 631. super controuersia num. 29. lib. 3. Menoch. cons. 244. num. 14. vers. quæ quidem Principi lib. 3. Peregr. de iure fisci lib. 5. tit. 2. Rodol. vbi supra num. 220., & 221.* nisi speciale mandatum haberet, quod non præsumitur nisi probetur, vt multis probat *Menoch. præsum. 33. num. 1. lib. 2.*

Quamuis etiam, vt iam diximus, & clarius in *cap. pen. huius glos.* patebit multo plura fuerint arbitrio ipsius Senatus, non autem Gubernatoris demandata. Senatus officium perpetuum est, vt in *glos. sequen.* Gubernatoris vero munus temporale, quod notandum esse voluerunt *Castrens. cons. 33. num. 5. lib. 2. Natta cons. 179. num. 9., & Hypp. Rimin. cons. 655. num. 9.* Et quemadmodum rebus bellicis præcipuè præest Gubernator: ita omnium, quæ ad iustitiam, & æquitatem spectant, potissima est Senatus cognitio. In ijs enim ordinariam

293 iurisdictionis auctoritatem Regiæ M. vice obtinet Senatus, secundum *Castr. Nattam, & Rimin. in locis proximè citatis*, & quæ tradit *Pap. in forma libelli in act. confess.* in verbo plenam & omnimodam *Gail. obseru. 41. num. 5., & 6. lib. 1., & Gilans. in arb. iud. p. 1. c. 1. de iurisdict. num. 24., & sequen., & supra num. 39.* Atque ideo ipsius Maiestatis nomine, & sigillo mandata sententias, & decreta edit, merum etiam, & plenissimum in facinorosos homines imperium habet, eo enim inconsulto nullus pœna corporali damnari potest, vt in *cap. vlt. huius glos.*

Neque omnia nullo rerum descrimine habito, ad Principem referri per Senatum debent, ne vel probrosam patriæ, & negotijs ostendat seruitutem, vel potius labefactari illa videantur. Quemadmodum enim, qui nisi adhibito medico consuetudine quadam adducti nec cenare, nec aliud quicquam per se agere sciunt, ij ne valetudine quidem prospera sponte frui audent, sic qui cuicunque reipub. decernendæ, cuicunque cœtui habendo omni simul administrationi censuram atque iudicium Principis afferendum putant, ij & propriam, & patriæ libertatem, amplius quam ipsi Principes velint, subijciunt. Resq; ipsas communicatas vel subuertunt, vel irritas faciunt.

Illius igitur Imperialis ordinis sensus est, vt & Gubernator, & Senatus, & excellentia ingenij augeant, quidem potestatem eamque præclariorem reddant, vt ait *Calistratus in l. obseruare in fine ff. de off. præs.* Minorem autem efficiat si alijs traditam facultatem (malum & callidum, qui hoc agit, vocat Seneca de quatuor virtutibus) ad se trahit.

Multa sunt in administrandis rebus tum publicis, tum priuatis in cuiusque animæ naturalia quædam impedimenta, quibus animus noster in deliberando, consilioque capiendo in diuersas sententias distrahitur, & quasi bello intestino vexetur. Quod satis superque est. Grauiora vero sunt impedimenta alia, quibus quis detinetur, ne iure suo vti possit, eaque contra naturam vocat *Cicero offic. 3.* in formula, qua officium cognoscitur, dum ait. *Detrahere igitur alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors. Quemadmodum enim vnum corpus hominis est, cuius multa membra, eaque præcipua caput, & manus, quæ excellunt; dum illud mentis & sensuum domicilium, hæ sapientiæ instrumentum sunt. Ita etiam Respub. varia munia continet, Reges, Principes, Præsides, Magistratus, Iudices, & horum quisque habet suum munus diuinitus assignatum, quod summa fide, diligentiaque debet obire, non autem inturbare alios, & in illorum munera irrumpere. Quod perinde fuerit, ac si pes manus, manus oculus, oculus cerebrum esse velit. Qui talia tentat, Rempub. grauissimè lædit.* Propterea rectè *Plut. lib. de ciuili administratione*, dixit, *Non decere quenquam Principum, vel Magistratum gerentem, res, & munus paullo curiosius, & accuratius disquirere, & scrutari; & hoc nomine administrationem alijs traditam ad se conari transferre.* 294 295

Tirannicum Imperium vocat *Tacit. 1. Annal.* cum is, qui imperat, rationem vni sibi reddi vult, eorum potissimum, quorum cognitio ad Senatum, vel Regni ordines spectat; quod etiam probauit *Liu. lib. 1. Decad. 1.* 296

Grauiora hæc diximus impedimenta, quia tolli difficillimè quandoque possunt: Nam esto non defuerint Præsides, & Senatores, qui Senatus auctoritatem aduersus etiam huius Prouinciæ Gubernatores totis viribus tutati sunt; prout exemplis quibusdam demonstrare hoc loco possemus; nisi hæc ipsa in *glos. 2. cap. 2.* supra attulissemus, & eiusmodi multa sunt in *Catone Vticensi apud Plut.* (prout quando emanauit ordo ille Cæsareus, de quo supra hoc capite) non tamen dicemus ex eisdem causis, euentus semper eosdem natos esse; nec semper adesse qui velint, aut possint resistere. Affirmatiuus vero id semper aliquid incommodi Reipub. peperisse.

Tenetur sanè quilibet modis omnibus suam iurisdictionem defendere, vt tradunt *Bar. in l. vnic. §. si videtur ff. si quis iurisdic. non obtemper. Dec. in l. 1. in fine ff. de iuris. omn. iud. & in cons. 410. num 29. Brun. cons. 160. lib. 2. Cicero in orat. pro Sextio*, inter cete- 297

cetera, quæ tuenda sunt, & vel capitis periculo defendenda ponit potestates magistratuum. Tenentur potissimum Gubernator, & Senatus ea omnia, quæ fidei suæ ex Regijs decretis, & Constitutionibus iuerunt commissa, custodire; teste Georgio Gemisto in Plethone; dicente, *Neque vero cuiquam statui diuinitus attributa deserenda est, sed tuenda, & pro virili, quicquid ea postulat, præstandum.* *Plut. item in lib. de ciuili administrat.* dixit. *Cum de commodis reipub. agitur; omni studio, opera, cura, fide, & diligentia rei communi prospiciendum erit; & aduersus quemuis Magistratum solertissimè contendendum.* Ita tamen, ne limites suos excedat, quia, vt inquit *Seneca lib. 6.* Quæ proposuisti mi Liberalis exempla, certis legibus continentur, quas necesse est sequi, lex legi non miscetur: & ordo confunditur si sua cuique iurisdictio non seruatur, inquit *tex. in c. pernicies. 11. q. 1.* pro quo facit alius *in c. ad hæc de rescrip.* & quod tradit *Abb. in c. mandatum eod. tit.* Idcirco laudi tribuendum erit Senatui quoties tamen optimo iure suo vtatur, vt ait *tex. in l. 1. ff. de off. eius. & in l. si prætor ff. eod.* ac
298 quoties iurisdictionem suam, & auctoritatem retineat, nec permittat se in ea ab vllo impediri, turbarive.

Tandiu enim Senatus Romani auctoritas, maiestasq; viguit, ac oculos omnium in sui admirationem traxit; quandiu nec à populo, nec à Tyrannis eam oppressam fuisse intelleximus. Senatores seruos togatos, & indulgentissimos dominos vocauit Tiberius, cum iam ipsi se opprimi paterentur, & ad ipsius nutum, atque voluntatem se deflecterent.

Huius igitur Prouinciæ moderator, & item Sena-
299 tus cum sint legum legitimi custodes, eas, sarctas, tectas, integrasq; conseruari curent, nihil earum permittentes, vel mala consuetudine deleri, vel obliuioni obrui, vel negligentia intercidere, vel malitiæ corrumpi, vel denique vllo modo peruerti. Non enim pro suo agunt, sed pro eo cuius mandato ius dicunt, inquit *tex. in d. l. si prætor, & in c. Romana in prin. de app.* Et hæc mutuo consensu perficiant. Imitentur ea, quæ *Plin. in Panegyr.* scribit in hæc verba. *Adibat aliquis, vt Principem, respondebat se consulem esse; Nullius ab eo Magistratus vis, nullius authoritas imminuta est: aucta etiam: siquidem pleraque ad prætores remittebat, atque ita vt collegas vocaret, non quia populare, gratumq; audientibus, sed quia ita sentiebat. Hæc persuasio superbissimis dominis erat, vt sibi viderentur principes esse desinere, si quid facerent, tanquam Senatores. An parum sæpè experti sumus, hanc esse rerum conditionem, vt Senatus fauor apud principem aut prosit, aut noceat? Nonne paullo ante nihil magis exitiale erat, quàm illa principis cogitatio? hunc Senatus probat, hic Senatui carus est; oderat, quos nos amaremus; sed & nos quos ille. Nunc inter Principem, Senatumq; dignissimi cuiusque charitate certatur, demonstramus inuicem, quod maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus.*

300 Rursus. Optimi Principes volunt constare reuerentiam Magistratibus, legibus auctoritatem, & suam cuique, vt supra diximus seruari iurisdictionem debere. Colligitur etiam ex *Xenophonte lib. 8.* Principem, delectum à se, aut pro summo magistratu probatum retinere, honorareq; atque eidem laboranti, aut ab alio neglecto, aut impedito auxilium, & obsequium præstare oportere. Omnia enim pessum eunt, cum semel imminui, aut negligi legum, aut Magistratu vis cœperit; sensimque iugum insugi cœptum excutitur. Iterum *Plin. in eod. Panegyr.* Principis boni est, ne permittat sibi vetare; quod Senatus iubet, cum ex *Polyb. lib. 5.* reddatur Magistratus inutilis, qui spernì patiatur, aut cuius a Principe vis, & authoritas minuatur. Nam vita Principis censura est, eaque perpetua, ad quam plerique diriguntur, conuertunturque.
Et quemadmodum qui suum Principatum, & offi- 301
cium obire dedignatur, contemptibilem se alijs offert, & idolum potius, quam Princeps a cunctis censetur; ita etiam si quos Magistratus elegit, reuereri non curat, se quoque minus verendum facit: nam cum populus Principis membra in Magistratibus paruipendere didicit, ipsum quoque Principem paullatim contemnere adsuescit. *Cassiod. ep. 12. lib. 2.* sic quoque scribit. *In qualitate est, non in quantitate peccatum: siquidem mensuram non quærit iniuria. Imperium si in paruo contemnitur, in omni parte violatur.* Quis enim non intelligit, Senato- 302
riam dignitatem, auctoritatemq; cum communi omnium vtilitate coniunctam teste *D. Gregor. in exposit. Ezechiel. homel. 18. col. fin.* frangi hæc posse imminui, ac labefactari ab eo, qui ceteros excellit, mordaci etiam aliqua obtrectatione, aut obiurgatione planum est; nam ocium sane pax, salus ciuium in discrimen vocatur, si ipsa dignitas oppugnatur & auctoritas; cum hæc non minus Magistratuum amplitudine, quam imperij grauitate, ac veneratione contineantur.

Hæc vti verissima Duces agnouisse Mediola-
nenses testati sunt *Mart. Laudensis*, & alij plures 303
per nos supra citati. Atque ideo eosdem, omnem ferè potestatem propriam in manus Senatus contulisse, quod & Inuictis. Imper. Carolus V. & Potentissimi Catholiciq; Reges semper sequuti sunt Si etenim semper Monarchiam sua spontè cum quadam Aristocratia tempe arunt, præclarissimis edictis statuentes pro iure haberi, non quod sibi placuerit, sed quod optimè, & legitimè placuerit: non quod ipse solus mandauerint, imperauerintq; siue de sui patrimonij alienatione, siue de constitutione ad populum promulganda agatur, siue de re alia quapiam subditorum suorum maximè graui tractetur: sed tantùm si patres auctores facti sint. *Arist.* sententiam ij sequuti sunt *Polit. c. 2.* quæ sic se habet. *Quò minor potestas eorum est, qui imperant, eò diuturnius stabiliusque illis imperium. Sed maxima est potestas illa absoluta, sine aliquorum proborum, peritorumq; consilio munita, ergo etiam infirmior, & reipub. perniciosior. Idcirco ab ea sapientissimi illi Principes abstinere se voluerunt, consiliorumq; publicorum vsum continuo retinuerunt.*

Bonus dicebatur medicus Aurelianus, sed mala medendi ratione curans, vt de eo testatur Vopiscus, quia limites potestatis suæ excedebat. Sic etiam *Cicero in Ep.* De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio; sed planè eius curationes non probo. Arguit etiam Pompon. lætus Iulianum his verbis. *In iudicijs iustus, & moderatus, si secretiores consultores non habuisset.* Ab ijs enim bonus, vt dicit Pollio, cautus, optimus venditur Imperator. Vsus igitur publici consilij vtilissimus erit, nec consiliarij, Senatoresve, aut Senatus, leui, aut non probati plenè causa erunt arguendi,

coer-

coercendivè, potissimum si secretiores consultores institerint, impulsoresve, aut instructores fuerint; sic enim suadet *Plin. in Panegyr.* dum ait. *Perge Cæsar in ista ratione propositi, tales nos crede, qualis fama cuiusque est: huic aures, huic oculos intende, ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis, quàm audientibus insidiantes susurros; melius omnibus, quàm singulis creditur.* Singuli enim decipere, & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. Et hæc ratio potuit esse, qua Imperator Aurelius malebat cum consilio errare, quàm solus bene sentire.

304 Vtatur ergo Senatus auctoritate sua vtatur, & sua Prouinciæ moderator; nec alter alterum inturbet: sed amore, & charitate quisque certet. Hoc etenim illud est, quod Regia Maiestas ab ipsis exigit, quodque ordinibus suis iubet. Cum enim Senatus omnia de consilio Principis, & Princeps omnia de sententia Senatus facere consueuerint, nihil nisi cum virtute coniunctum, nihil nisi laudabile efficient. Gerion admirandus fuit, qui multa crura, plerasque manus oculosq; habere dicebatur, sed vnico cuncta consilio animoq; administra-

305 bat. Contra vero, quid amplius possit esse incongruum, quàm Regijs iussionibus expeditis supplicantium vota suspendere? & post sacræ præceptionis affatum, si dici fas est, adhuc Regium suspendisse iudicium? inquit *Cassiod. var.* 4. *ep.* 29. Quid item absurdius, quam potestate abuti, ordines peruertere, aut ex sui ipsius, aut quorumdam tantùm non probatorum hominum sententia, iudicia exercere? Qui sic agit, maiestatem Principis minuit, speciemque magis, quam vsum consilij

306 retinet. Minuere enim maiestatem, ait *Cicero* 2. *de Inuent.* est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate eorum, quibus populus potestatem dedit, derogare; item & 2. *Rett.* maiestatem minuere, est aliquid de re publica, cum potestatem non habeas, administrare. Tribuere autem cuique suam dignitatem iustitia est, vt testatur *B. Anselmus in lib. cur. Deus homo.* Verissima est etiam Tiberij apud *Tacit.* 3. *Annal.* sententia, vt quanto plus gliscit imperantis potestas, tanto iura minuuntur. Itaque non permittendum, vt is vtatur Imperio, vbi legibus agi potest. *Zonar. Annal. tom.* 3. *in fine*, increpat Imperat. Alexium Comnenum, quod patres conscriptos iusto non sit prosequutus honore, neque eorum rationem eam habuerit, quam ratio recta postulabat, sed potius illos deprimere studuerit: docetq; ob hanc rem illum exitum sibi reipubq; parasse.

## CAPVT XXXIII.

*Onerum immunitate Senatores potiri debere.*

307 IMmunem esse Senatorem ab omnibus oneribus probat *l. Senatorum, l nemo, l. quoniam, & l. præcipimus C. de dignit. lib.* 12. cum similibus, iuncta *l.* 3. *&* 4. *C. de silent. eod. lib.* & tradiderunt *Lucas de Penna in l. decem in fine C. de salgamo eod. lib. Guid. Pap. decis.* 376. *Alex. cons.* 32. *vers. & similiter num.* 8. *& lib.* 5 *Rol. à Valle cons.* 66. *lib.* 1. *vbi num.* 43. ait istud procedere etiam si depositi fuissent ab officio de Principis voluntate, per *l. vnicam C. de comit qui prouin. regunt lib.* 12. *& l. eam legem C. de excus. mun. lib.* 10 *& l.* 4. *de silent.*

Atque ita in Senatoribus nostri temporis determinatum fuisse attestatur *Guid. Pap. q.* 386. & hoc sequi debere volunt scribentes omnes citati hac eadem *glos. in prin. num.* 3. licet seruandam esse consuetudinem locorum velit *Mastrillus decis.* 156. vbi plenè.

Quid de Senatoribus ad honores tantùm, vtrum ipsi teneantur onera subire? videndus erit *Boer. decis.* 17. *num.* 10. quid de supranumerarijs *Mastrill. vbi supra.*

Senatores autem Mediolanenses cur nunc dicta immunitate non vtantur, nostri non est instituti differere: illud tantum dixisse volumus, eosdem modica percipere salaria, & adeo tenuia, vt temporis qualitate inspecta hoc saltem commodo immunitatis carere non debere.

## CAPVT XXXIV.

*Forum Senatoris quod.*

SEnatores in causis ciuilibus conueniri posse in loco domicilij, vel situs bonorum, aut vbi commorabantur, voluerunt *Imperat. in l.* 2. *C. vbi Sen. vel clariss.* Forum vero Rei sequi tenebatur Senator Romanus, etiam in causa status per *l.* 3. *in fine*, ibi, licet Senator dignitate actor diceretur *d. tit. vbi Sen. vel clar.* vbi *Salic.* & tradit *Mart. Laudens. de consiliar. Prin. q.* 28. *per tex. iuncta glos. in l.* 4. *ad municip. lib.* 10. Senatorem quoad quid posse renuntiare origini propriæ, eumq; habere domicilium in vrbe Principis, per *l. pen C. de incol. lib.* 10. in verbis, *quamuis Senatores in sacratissima vrbe domicilium dignitatis habere videantur.* Cicero etiam ad Sulpitium ostendere videtur, vt qui in prouincia Senatori litem inferret, is Romam reijci deberet; verba ipsius *Ciceronis lib* 13. *Ep. fam.* 26. talia sunt. Illud præterea si non alienum tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, vt rem sine controuersia confici nolint, si eos quando cum Senatore res est, Romam reieceris. 308

Senatori autem Mediolanensi prærogatiua concessa est, vt vel coram Capitaneo Iustitiæ, vel coram Senatu in prima etiam instantia & agere, & conueniri possit, idque per *Constit. infra tit. de offic. Cap. Iust. c. causarum autem ciuilium*, ac per decreta bina ipsius Senatus, alterum quorum est diei 18. Decembris anni 1534. his conceptum verbis. *Et vt certum sit, quinam curiales hoc priuilegio gaudere debeant. Decretum est infrascriptos tantùm in eorum numero admitti debere: Senatores scilicet omnes, etiam qui in Senatu non sedeant; & eit prædefunctis eorum filios, & vxores viduas, cæterosq; officiales Illustriss. & Excellentiss. Ducis, qui tamen actu officium exerceant, nec non, & familiares in domo Excellentia sua residentes, vel qui ab ea prouisionem, vel stipendium habent.* Alterum vero diei 18. Septembris anni 1566. in hæc verba scriptum. *Demandauit quandoque Senatus Excellentissimus Mag. DD. Senatoribus causas aliquas ex ijs, quas inferiores iudices cognoscere possunt, & maxime quidem cum instantia requirentibus partibus; idque etiam rationalibus ex causis,*

*causis. Sed cum vsu postea compertum sit, propter varias ac multiplices Senatorum occupationes in illis causis, quæ ab inferioribus iudicibus cognosci nequeunt, alias diutius quàm par sit, protrahi, longèq; suauis ex ea re subditis incommodum, & iustitia detrimentum sequi, quàm sit vtilitas, quæ ex Senatus, vel Senatorum cognitione resultare possit.*

*Senatus, subditis quoad eius fieri potest, consulere cupiens, censuit, causas omnes coram Senatu, & Senatoribus introductas, ad iudices ordinarios, qui de eis alias respectiuè cognoscere possunt, esse remittendas: ijs tantum exceptis, quarum processus perfecti omnino iam sunt, & Senatores clari adeo, vt nihil aliud agendum supersit, nisi vt ad sententiam deueniatur: & ijs in quibus de Regij fisci interesse tractatur, & ijs, quæ Senatui vniuerso, vel Senatoribus à S. M. vel eius Locumtenente, vel aliter, præterquam ab ipso Senatu delegata sunt: nec non ijs in quibus Senatores, Senatorumvè filij aut conueniunt, aut conueniuntur; ea quoq; omnes, quæ ex Nou. Constitutionibus specialiter, & expresse ad Senatus cognitionem spectant, sine dubio remittendæ sunt.* Negari enim non potest, quin præmissa ad ipsorum Senatorum fauorem fuerint edita. Atque ideo eis liceat adire quem velint; vt diximus *præll. quæst. cap. 44. num. 3* neque de validitate dictorum decretorum dubitandum est, cum illa vim habeant ab hac *Constit. tum in glos. præsenti, tum in §. 8. in prin.* ibi, *& alijs causis, de quibus, vel via appellationis, vel alio modo consilia Ducalia retroactis temporibus cognoscere consueuerunt.* Primum enim decretum editum fuit ante ipsas constitutiones, & vltimum post; & vtraque vsu recepta fuerunt. Ordinariam insuper Senatus obtinet iurisdictionem, vt per *Alciat. cons. 73. lib. 6.* maximè quia vices Principis gerit. *l. suggerente C. de off. eius, qui vic. alter. gerit scrib. in l. Imperium ff. de iur. omn. iud Tessaur. in præfat. decis. suarum num. 34.* At ordinariæ iurisdictioni nunquam censetur derogatum per aliam concessionem, ex his quæ scripsimus *præll. quæst. d. cap. 43. num. 6* Idcircò nihil officiunt verba *Constit. infra d. tit. de off. Cap. iust.* Possunt cognoscere, quia accipi debent, vbi ipsi Senatores velint, vt diximus, & probat *c. cum accessissent de constit. Ruin. cons. 93. num. 4. lib. 4. & cons. 107. num. 13. lib. 5. & Ang. in l. si quis in conscribendo C. de pac.* Deseruiunt etiam, quæ scribit *Cabed. decis. 86. p. 2.*

Et sanè decreta illa in vsu sunt etiam respectu filiorum Senatoris, prout declarauit Senatus fauore Com. Io. Baptistæ Borromæi 26. Februarij anni 1590., & Lucretiæ Caimæ, ac Claræ Marinæ, & alias sæpè. Quinimo eam Caimæ causam iam diu vertentem coram dicto Capitaneo euocauit Senatus reluctante duro, & potenti ipsius aduersario Quæstore Clemente Arsago. Quia sic iuris fuerat, vt probat *l. liberos ff. de Senatoribus, l. Diuo Marco C. de quæst.*, & vtrobique *glos. alia glos. in l. moris §. parentes ff. de pæn. Gandin. de iudic., & tort. num. 16. Franc. Brun. in tract. eiusd. tit. 4. p. num. 20* etiam si sint concepti post mortem aui, modo non post maculam patris, vt in *d. l. Diuo*, & per *Alber. & Fulgos. in d. l liberos*, etiam si filij Senatorum nothi sint, nati tamen post acceptam dignitatem. *l. Senator C. de dign. lib. 10. viden. etis Tiraq. de legib. connub. glos. 2. num. 58.*

309 Respectu vero vxorum Senatorum firmantur eadem decreta per *l. eos C. de fabricens. lib. 10.*, vt tradit *Soc. in c. 1. ad fin. de foro comp., & in cons. 12. lib 1. num. 8.*, & firmatur *scribentes in l. cum quædam puella*, vbi in specie *Cæuolla num. 10. ff. de iur. omn. iud. Tiraq. d. loco glo. 2. num. 54. Cassan. in catal. glor. mun. p. 2. consider. 47.* etiam post mortem durante viduitate. *Capu. decis. 129. Ossasch. decis. 31. num. 14., & Menoch. de arb. iud. casu 329. num. 4. & seq.*

Et pro viduis declarauit Senatus anno 1582. 17. Decembris in causa Dominionis Catiæ contra fratres Costas. P. N sic etiam declaratum fuisse testatur *Valasc consult. 59.* ibi *enim Senator pro re vxoris conuenerat quendam coram Senatu, ea mortua res pertinebat ad filium, & cum dubitaretur, an adhuc retinenda esset, dictum fuit, remanere debere.*

In Senatu tamen admissa fuit petitio compromissi die 21. Nouembris 1591. inter Com. Paulum Bologninum filium Senatoris, & Com. Sacramorum, ac alios pariter Bologninos, qui prætendebant ipsum Capitaneum Iustitiæ debere esse inter eosdem iudicem competentem, cum lis esset cum filio Senatoris, ipse autem filius nolebat dictum Capitaneum in iudicem, sed petebat causam arbitris esse committendam. Sic etiam die 4. Martij 1597. declarauit inter I. C Franciscum Menoch. vna cum D. Iacobo Præside eius patre, & Com. Vicecomites Scaramutios, ea ratione, quod *Nou. Constit. infra tit. de arb.* generaliter loquuntur. Et *tit. de arb.* posterior sit omnibus *tit. qui loquuntur de off. & iur. omn. iud.* Cessat vero petitio compromissi si agatur coram Senatu. Ex his quæ scripsimus *præll. quæst. d. cap. 43. num. 29, & 31. in fine.*

Controuertum fuit, vtrum filij Senatorum vel nepotes legitimati frui possint beneficio dictorum decretorum. Dicebatur enim primum illud decretum non tribuere ius filijs viuente patre, per illa verba, *& eis prædefunctis*. Neque appellatione filij ex propria significatione, legitimatos venire posse, iuxta *l filium definimus ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. cum not. in c. per tuas de prob., & in c. Michael de fil. presbit. cum simil.* Respondebatur vero, contrarium probari ex traditis per *Ant. de Rosellis in tract. de legitim. tit. legitimationis effectus num. 8. & seq.* vbi docet, legitimationem conferre omnia legitimorum iura, & licet ordo præcitatus dicat, eis prædefunctis, alter tamen ille anni 1566. indistinctè loquitur in hæc verba. *Nec non in ijs, in quibus, Senatores, Senatorumuè filij aut conueniunt, aut conueniuntur.* Quinimo viuente patre vel auo, cum eis acquiratur vsusfructus, dicendum est agi de interesse eorumdem, atque ideo locum habere beneficium prædictorum ordinum, etiam quod agatur de successione matris legitimati. *l. cum oportet C. de bon. quæ lib.* Nametsi filij maternam hæreditatem adire nolent, posset nihilominus pater eam adire. *l. cum non solum §. sancimus C. de bon. quæ lib.* quod procedit etiam in hæreditate filio ab intestato delata, vt ex S. C. Orficiano, secundum *Bal. post glos. in d. l. cum non solum num. 19.* Et ita anno 1586. in causa nepotum ex filio Com. Sancti Secundi declarauit Senatus, causam esse priuilegiatam propter vsumfructum auo paterno debitum. Et quo ad legitimatos vidi ego attestationem Secretariorum Senatus in causa Arcimboldorum, qua probabatur, eos legitimatos admissos semper fuisse. Et sanè legitimati æquiparantur legitimis, & naturalibus per *tex. in auth quib. mod. nat. effic. sui §. qua propter his*

bis à vobis Anton à Rosello vbi supra. Nicol. de Vual. de success. ab intest. p 1. num. 115. Cassan. in consuet. Burgund. rub. 3. num. 24. fol. 440 . & adeo æquiparantur, vt nihil a legitimis differant. §. illud tamen in d. auth. quib mod. nat eff. sui. Duran. de arte testi caut. 6. tit. de lib. instit. Card. Prapos. Mediolan. in c. per venerabilem num. 110. de fil. prasbit. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 10. num. 10.

Clerici quoque, & ceteri religiosi eodem priuilegio potiri deberent, licet non comprænensi in eo ordine anni 1534. siquidem apud plerasque nationes hoc seruari probat Isern. in c statuimus num. 9. de off. Magistri Iustitiarij, & Iudicum magna Curia, & ibidem Afflic. qui dicunt, quod Ecclesia, sicut pupilli, & viduæ possunt adire supremam curiam Sic & Couar. pract. quast. cap. 7. num. 3. vbi refert aliquot casus, in quibus clerici possunt conuenire laicos apud suprema tribunalia.

Et quoad Senatores ipsos non est omittendum, olim Præfectura Vrbanæ proprium negotium fuisse, iura Senatorum tutari, vt testatur Symach. ep. 62. lib. 10 & habetur in l. Senatores C. vbi Sen. vel clariss., & in l. 13. C. Theodos. de app., quod & supra diximus num.

310 Non tamen prædictis priuilegijs vti poterit Senator debitor alicuius subditi huic dominio, vel etiam si bona alicuius tenere, vel possidere inceperit ante adeptam dignitatem stante Constit. infra tit. de foro comp. in prin. vtitur enim verbo, quicunque, apto compræhendere etiam Senatores, ex his quæ scribit Tiraq. de retract. 1. §. 1. glos. 7. num. 26. & seqq. hi enim ex causa ordinis, dignitatis, aut priuilegij fori prærogatiuas de quibus supra consequuti sunt, & propterea Magistratuum & iusdicentium, quibus suberat forum, & iurisdictionem declinare quacunque causa, nec ab eis se eximere non poterit, sed coram eis ita respondere tenebitur, & eisdem suberit in omnibus, & per omnia quoad debita contracta, & bona vt supra quemadmodum ante acquisitionem tenebatur, & suberat. Verba hæc sunt Constit. sic etiam de iure per l. si quis posteaquam ff. de ind. Honor enim ipsius auctus est, non a utem obligatio mutata inquit tex. in l. 33. demonstratio §. 1. ff. de cond., & demonstr Et dignitas non eximit hunc quoad præterita, sed tantum quoad futura. l. cum quadam ff. de iur. omn. iud. Est etiam ipsa constitutio correctoria iuris communis, per quod ordo superueniens tollit munus publicum impositum l. prator circa prin. ff de excus. mun. Item si Paganus fiat miles, non agetur de crimine sub primo iudice, sed sub secundo l. qui in vno §. rem de re milit. l. hos accusare § 1. ff. de accus. Alia adducit Cabed. decis. Lusit 24, & 25. p. 1., & ait per illum Senatum iudicatum fuisse. Constitutio ergo attendi debet in isto casu, quia licet ex verbis, ordinis, & dignitatis, vel priuilegij dubitari posset, vtrum sub nominibus prædictis veniat Senatoria dignitas, quæ vti alias diximus, culmen est ceterarum dignitatum, nam appellatione dignitatis non venit Episcopatus, glos. in c. 1. de praben. in 6. Clem. vnic. de renunt. cum his quæ scribit Innoc. in c. dilectus de concess. praben. vbi inter cetera ait, dispensatum vt obtinere possit dignitates, non posse habere Episcopatum. Alia per Rebuff. in concordan. rub. de collat. in verbo omnium, negari tamen non potest, quin contineatur sub nomine priuilegij, & ordinis. Quinimo Vincen. de Fran. decis. 544. p. 4. voluit, vt priuilegium superueniens non inducat mutationem fori, siue motu proprio, siue ad partis postulationem.

Senatoria quoque dignitas non iuuat, quoties Senator agat ex iure cesso, vt in tit. de foro compet. infra, & in tit. de iure, & priuil. fisci. Et faciunt quæ scribit Gram. decis. 10. num. 3., & Couar. pract. quast. c. 32. num. 4.

---

## CAPVT XXXV.

*Arbitrium Senatus Romani quod.*

Dictum est supra num. 265. Senatum Romanum non ex legis præscripto, sed ex bono, & æquo iudicasse ex Bud. ad l. vlt. ff. de Senat. pag. mihi 167. qui docet, iudices à Senatu peti, darique solitos, qui certo, ac præscripto iudicio inquirerent in reos, iudicarentque, nec certam pœnam excederent: si verò maiora crimina videbantur eis quam constituta, rem iterum ad Senatum ipsum referebant, in reos demum inquirentem, & nulli legi astrictum sententiam proferentem. Adducitque Quintil. lib. 3. de controu. simplic., & coniunct. Hæc dicentem. Vna controuersia est per se furti, per se adulterij, plures autem eiusdem generis, vt in pecunijs repetundis, aut diuersi, vt si quis sacrilegij, & homicidij simul accusetur. Quod nunc in publicis iudicijs non accidit, quoniam. Prætor certa lege sortitur: non autem quod Senatus ex præscripto legis iudicare non teneretur. Arbitros ex bono, & æquo iudicare potuisse indicant illa Senecæ verba lib. 3. de Benef. melior videtur conditio causæ bonæ, si ad iudicem quàm ad arbitrum mittatur; quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: huius libera, & nullis constricta vinculis religio est, detrahere aliquid potest, & adijcere. 311

Ad quid leges, Senatusconsulta, edicta, Decreta. Si Senatus hæc seruare non tenebatur? scio hæc dicere Ciceronem lib. de off. 1. Proprium munus est Magistratus intelligere se gerere personam ciuitatis, debereque eius decus, & dignitatem sustinere, seruare leges &c. leges enim, & Senatusconsulta perpetua semper fuerunt, edicta vero pratorum ab initio licet temporaria anno tamen Vrbis 605. Sp. Posthumio Magno, & L. Calphurnio Coss. perpetua quoque esse cœperunt: ita Cicero in Bruto. Quod mox anno 673. L. Cornelius Sulla noua lege contra Marij sententiam firmauit, vt ex Dion. lib. 36. in hæc verba. Postea legi adiecit, debere omnino eius legis patres auctores fieri, populumque eorum auctoritatem sequutum ratam eam vsque habere. Ita & hanc legem Cornelius perfecit, & alteram huiusmodi. Pratores solebant iura, secundum qua essent iudicaturi, scripta edere. Neque enim Pratores id vis, quod ad contractus dirigendos positum erat, obseruabant, neque id vnquam fecerant, neque scripto iure steterant: sed sapenumero ea variauerant, crebroque per gratiam, & odium certorum hominum, veluti fieri assolet, multa gerebantur. Igitur rogationem tulit, vt & statim à principio pratores pradicerent, quo iura essent vsuri, & deinde nequaquam ab eo deflecterent.

Edicta perpetua fuisse intelligo prout scribit Ferdin. Mendoza disput. iur. ciuil. de pac. cap. 2, lib. 1.

Quid illud soluere legibus, quod sæpissime apud scriptores veteres vsurpatum est, si legibus quis non ligabatur?

De Decemuiralibus legibus quibus parere necesse erat, scripserunt *Liu. lib. 3. Halycarnass. lib. 10.*, *& Pompon. in l. 2. ff de orig. iur.*

Habemus etiam ex *Liu. lib. 1.* ab initio vsque legibus actum fuisse, dum inquit. *Duum viros, qui Horatio per duellionem indicent, secundum legem facio, lex horrendi carminis erat &c.* ponderando verba illa, per duellionem iudicent, vt tenerentur eum reum ex legibus ipsis facere. *Cur leges 12. tab.* omittimus?

*Cicero Verrina 3.* multos lege repetundarum accusatos semel auditis testibus eadem lege condemnatos, meminit. Addamus & Senecam in ludo, quem de morte Claudij Cæsaris composuit, ita loquentem. *Ducit eum ante tribunal Æaci, is lege Cornelia, qua de sicarijs lata est, quærebat: postulat nomen eius recipiat, edit subscriptionem: occisos Senatores 30. equites Romanos 315 atque plures 221.* Et Cornelium Tacitum scribentem per Senatum multos de crimine veneficij, sacrilegij, læsæ Maiestatis; petundarum, aut adulterij accusatos, ex legibus damnatos fuisse. Alia plura scripsimus supra *num. 151.*, *& 152.*

Budei tamen sententiam verissimam esse existimo, nimirum vt Senatus pleraque, quæ lege deffinita non essent, decidere posset ex æquo, & bono. Legimus enim multos ijsdem criminibus accusatos, non eadem, sed diuersa pœna damnatos fuisse: quod non nisi ex arbitrio fieri potuisse dignoscitur. Locus est insignis apud *Tacit. lib. 14. Histor.* huiusmodi. *Mucianus ne sperni Senatus iudicium, & cunctis sub Nerone admissis data impunitate videretur: Octauium Sagittam, & Antistium Sosianum Senatorij ordinis egressos exilium, in easdem insulas redegit. Octauius, Pontiam Postumiam stupro cognitam, & nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat. Sosianus prauitate morum multis exitiosus. Ambo graui Senatusconsulto damnati, pulsique quamuis concesso alijs reditu, in eadem pœna retenti sunt.*

Plura alia in §. *sequenti*, vbi inter cetera, vtrum potius legibus, quàm arbitrio vti oporteat, & in §. 13. quando ex æquo, & bono possit prouideri.

## CAPVT XXXVI.

*Senatu inconsulto quæ fieri nequeant.*

212 Magna quamuis fuerit Senatus Romani potestas, maiorem Consulum illam tamen fuisse agnoscimus, tum quia electi essent ad consulendum Populo, & Senatui, *ex Ab. in Bruto.* Qui rectè consulat, consul fit, *Cicerone de legib. 3.*, *& Pompon. in l. 2. §. 8. de orig. iur.* Consules ab eo dicti sunt, quod plurimum Reipub. consulerent, post *Vlpian. in l. 1. ff. de off. cons.* Præterea, Consules antequam ex Vrbe legiones educant, Vrbanarum rerum omnium ius, atque imperium habuisse testis est *Polyb. lib. 6.* His etenim ceteri omnes Magistratus, Prætor, Tribunus plebis parent, ac subiecti sunt. Hi legationes in curiam introducunt; quæ celeriter statuenda sunt, decernunt; quæ & deliberanda sunt ad Senatum referunt. Quæ vero à Senatu decreta sunt, eà vt perficiantur eorum est officium.

Consules etiam, teste *Cicerone Philipp. 2. Plut. in Cicerone*, *& Liu. lib. 4.* Senatores, qui non adessent captis pignoribus cogebant. Et *Ouid.* de consule loquens *lib. 4. de Ponto.* Sic ait.

*Inde domum repetes toto comitante Senatu.*

Item Elogia VIII.

*Dumque latus cinget sancti tibi turba Senatus,*
*Consulis ante pedes ire iuberet eques.*

Et paullò infra.

*Nunc facere in medio facundum verba Senatus,*
*Publica quærentem quid petat vtilitas.*

Rem tamen Consul ad Senatum referebat, vt supra prout & Tribunus plebis ex *Liu. Decad. 4. lib. 10. Lactantio lib. 1. de falsa religione. Plut. in Marcello. Gellio lib. 7. cap. 7.*, & alijs pluribus passim supra à nobis allatis, & etiam in *præfat. comment. nostri ad Consil. tit. de app. sub num. 27.*, *& num. sequent.*

His accedat illud *Valer. Max. lib. 2. cap. 2.* nimirum, vetustis temporibus ius non fuisse quidem Tribunis pleb. curiam intrare, sed ante valuas, positis subselijs decreta patrum examinare, & si quæ improbassent, rata non erant. Itaque veteribus Senatusconsultis T litteram subscribi solitam. Qua nota significabatur, illa quoque Tribunos plebis censuisse. Scribit etiam *Plut. in Catone Vticensi 33.* Ius Tribunitiæ potestatis magis ad impediendum, quam ad agendum fuisse, quippe ceteris omnibus collegis volentibus, vnum qui nollet, & se opponeret plus potuisse.

Consulebant patres ceteri Magistratus, & ij qui habebant senatum. Cicero sic exorsus est. *Paruis de rebus, sed fortasse necessarijs consulimur P.C. de Appia via, & de moneta Consul, de Lupercis trib. pleb. refert, & in Sextiana L. Munium pleb. trib. Consule Gabinio nolente, tempore suo grauissimo ad Senatum retulisse.* Idem probat *Seneca lib. de tranquil. vita A.*

Penes hos Senatores, inquit *Fenestella de Magistr. Rom. cap. 1.* *adeo semper totius Reipub. summa innixa est, vt, ne reges quidem, Consules, aut dictatores, aut alius quispiam Magistratus inconsulto Senatu quippiam moliretur &c.* Verum lata fuit lex Menia de minuenda auctoritate Senatus, hoc est non opinione grauitatis, & prudentiæ, ac magnitudinis cuiusdam, quam in magnis, ac claris viris esse credimus: sed consensum maioris, vel prudentioris alicuius, sine quo res à nobis actæ iure nihil valent. Vocabant enim antiqui Authores mulierum, sine quorum consensu quæcunque egissent mulieres rata non erant. Vt scribunt *Liu. lib. 37.*, *& Cicero pro Flacco*, *& A. Cecinna.* Et quid sit Authorem fieri tradit *Paulus in l. etiam si de auth.*, *& cons. Tut.* inquiens. *Etiam si non interrogatus tutor author fuerit: valet authoritas eius, cum se probare dicit id quod agitur.* Antiquitus igitur id iuris patres habebant, vt tunc demum rata essent quæ populus iusserat, si patres authores fierent; id est cum rem probarent.

Quid sub Cæsaribus actum sit, in hæc verba scribit *Dion. lib. 43.* *Hæc omnia Cæsar quæcunque alia de re statuit, non proprio consilio, sed semper communicata re cum primoribus Senatus, aut toto aliquando ordine decreuit.* Quod & nonnullos alios fecisse probauimus supra *cap. 26.*

Contra vero ex *Capitol. Tacito*, & alijs Senatus ipse Cæsaribus referebat: quod postremo ex *No-*

*uella de consul. consilii* 62. confirmatum est; vult enim non tantum in consultationibus, vt imperij proceres, & summi Magistratus, sed etiam totus Senatus conueniretur, proponerenturque in medio Sancta Euangelia, & quae ordinis decreto placuissent ad Maiestatem Imperatoriam referrentur. *Liu. lib. 39.* narrat *S. C. cautum, ne qua Baccanalia Romae, neue in Italia essent, si quis tale sacrum solemne, & necessarium duceret, nec sine religione, & piaculo se id omittere posse, apud Praetorem vrbanum profiteretur. Praetor Senatum consuleret; si ei permissum esset, cum in Senatu centum non minus essent.*

Ad Senatum vero Mediolanensem grauiora omnia referenda sunt, in criminalibus potissimum ex *C. vlti. infr. tit. de pæn.* de qua multa scripsit *Plot. consi. 52.* Et quae sic loquitur. *Nullus officialis reos detentos Senatu inconsulto absoluat, vel condemnet in casibus, in quibus pœna mortis naturalis, vel mutilationis membri, aut confiscationis bonorum sequi posset.* Et ex hac *Constit. infra* §. 13. amplissima potestas adeo data est in ipsis causis criminalibus eidem Senatui; vt iudicibus omnibus eam metam praescribere possit, quam velit. Et demum omnia in criminalibus facere, quae pro iustitia, & equitate ipsi videbuntur opportuna. De qua re fusius per nos in *eod. §. 13. infra.* Quicquid etiam faciet Senatus ratum, firmumque est, ac si ab ipso Principe factum sit, vt infra pariter §. *vlt.*

Plura alia sunt, quae expresse Senatu inconsulto fieri prohibentur, a nobis nunc describenda, vt ex iis etiam Senatus Mediolani auctoritas praeclarior appareat.

Et primo Magistratus Ordinar. redituum in arduo negotio quicquam definire non potest absque ipsius Senatus consilio; ita cautum est. *tit. seq. c. cum materia redituum.*

Notarij maleficiorum delinquentes, vbi aliqua alia pœna, quam suspensionis plectendi veniant, ita plecti Senatu inconsulto *Constit. prohibet infra de off. Quaest. Extraord. c. Notarij maleficiorum.*

Omnes officiales tenentur monere Senatum, vbi atrox aliquod delictum fuerit commissum in *c. fin. d. tit. de off. Quaest. extraord.*

Generalis descriptio bladorum fieri nequit per Annonae praefectos, nisi participato prius negotio cum Principe, vel Senatu *tit. de Praefect. Annonae c. non possit.*

Idem iuris est in *ead. Constit. §. habeatque Magistratus*, in suspensione mercatorum publicorum, vbi casus exegerit, & in *c. tempore penuriae in casu ibi expresso.* Non enim in praedictis casibus potest Magistratus sine Senatus consilio prouisiones facere.

Sindicatores non possunt officiales absoluere, nisi facta relatione in Senatu *tit. de offic. Vicar. generał. §. non possunt.*

Vicarius Iustitiae Mediolani est a Senatu approbandus, vt in *tit. de off. Cap. Iust. c. eliget.* Prout & ceteri iudices, & officiales a Gubernatore electi, vt diximus supra *cap. 30.* & adest *Constit. in tit. de off. & iurisdic. diuers. iud.*

Iudex monetae, vbi de aliqua corporali pœna, vel confiscatione bonorum agatur, nisi prius re in Senatu relata, ad absolutionem, vel condemnationem deuenire non potest. *tit. de monetis in fine.*

Fiscales Mediolanenses tenentur in Senatu relationes causarum criminalium facere. *tit. de aduoc. & fiscal. c. ad dictos quoque.*

Officialis impeditus vltra mensem Senatum monere debet, nec ab eius officio discedere potest sine licentia Principis, vel Senatus. *tit. de off. & iurisd. diuers. iud. c. officiales.*

Litigantes vltra terminum sibi concessum, non possunt iudici alia iura exhibere sine dispensatione Principis, vel Senatus, vt in *tit. de iud. c. His peractis.*

Princeps, vel Senatus concedit alias dilationes vltra eas, quae in *d. tit. de iud.* concessae sunt, seruata tamen forma ibi tradita in *c. quoties a Principe.*

Reuisio sententiae arbitramentalis a Senatu conceditur *tit. de arb. c. reuisio autem.*

Prout & restitutiones in integrum quascunque, vt dicemus in *sequenti §. glos. 6.*

Omnibus iusdicentibus interdictum est procedere per praecepta pœnalia contra imputatos de homicidio Senatu ipso inconsulto. *tit. de accusatoribus c. omnibus.*

Concessis per Senatum litteris admittentibus aliquem ad nouas defensiones, iudices ad quaestionem, & torturam deuenire nequeunt, nisi id Senatus probet. *tit. de accus. c. fin.*

Litteras autem ipsas concedit Senatus, ex *ead. Constit.*

Senatu inconsulto non potest procedi contra parentes pro filio, socerum, & socerum pro genero, & nuru, & e contra, vxorem pro marito, & e contra, nec contra fratrem pro fratre in eadem domo commorantem, eo quia bannitum receptauerit, vt in *tit. de bannit. c. fin.*

Acceptus in ciuem alterius ciuitatis non subditae Dominio Mediolani, vel aliud priuilegium acceptans, etiam motu proprio oblatum, tenetur illud Senatui notificare, & absque ipsius diplomate illo vti non poterit. *c. omnibus ciuibus in tit. de pœn.*

Contrahi cum cliente suo per Aduocatum, vel Causidicum non potest per mensem vnum antequam patrocinia sumantur, & finita lite post semestre, nisi Senatus placitum accesserit. *eod. tit. c. si Aduocati.*

Nullus corporaliter puniri potest, nisi praesentibus constitutionibus, vel statutis locorum caueatur, nisi approbatio Senatus interuenerit. *c. vlt. d. tit. de pœn.*

Communitates, Collegiumve immunitatem aliquam quouismodo concedere alicui non possunt Principe, vel Senatu inscio. *c. communitates tit. de oneribus.*

Vendere coactus ex forma Constitutionis *de edif. priu.* ad eandem venditionem faciendam cogi non potest per iudices absque Senatus licentia.

Nemo ex mercatoribus, artificibus, magistris, & operarijs cuiuscunque exercitij recedere potest ab hac ciuitate, vt alibi ad habitandum se conferat, Principe, vel Senatu inconsulto. *tit. de offic. Abb. & Cons. mercat. c. omnibus mercatoribus.* Qua in re videnda sunt, quae scripsimus *lib. pract. quaest. 1. cap.*

Feudatarij proclamata promulgari facere non possunt absque Senatus approbatione, ex ordine anni 1555. 12. Martij.

Prohibitum est fiscalibus vltra biduum a praesen-

ti ciuitate abesse, non habita prius licentia à Præside Senatus sub pœna in ordinibus anni 1561. 26. Nouembris contenta.

Ex eodem ordine §. Notarius criminalium cauetur, notarios criminalium ab ipso Senatu approbandos esse, item & Coadiutores.

Capti pro delicto, pro quo pœna corporalis veniat infligenda, Senatu inconsulto relaxari nequeunt, sub pœna in ordine anni 1554. 12. Nouembris comminata.

Relationes causarum criminalium faciendas esse à Iudicibus scripsimus supra hac *glos. cap. 9. in fine*, vt ex decreto Senatus, & latissimè infra *in* §. 13. *glos. cap.*

Alia plura continet Regius ordo anni 1604. 28. Maij: qui talis est, *El Senado ha da conocer de las causas de apelaciones, que se interponen de las sententias de los dichos Magistrados, y del Capitan de Iustitia. Y porque se entiende, que se ha introduzido, que muchas de las dichas causas se commettan à Senadores particulares, que las decidan solas, y sin referirlas en Senado, lo qual de mas de ser contra la forma de las dichas Constituciones, es de grande inconueniente que vno solo determine vna causa sententiada da vn Tribunal entero, de que tambien resulta mucho premyzio a las partes. Para remedio de lo qual ordeno, y mando, que de qui adelante no se altere lo dispuesto en este caso por las dichas Constitutiones, y que las causas de las apellaciones que se interpusieren de los dichos Magistrados Ordinario, y Estraordinario, y Capitan de Iustitia, ò su Vicario, el Senador a quien se huuieren cometido las haya da referir en Senado, para que por el dicho Tribunal &c.*

*Al Senado (segun la forma de las dichas Constituciones) se refieren de los juezes inferiores todas las causas criminales, en que se pueda seguir pena de muerte natural, mutilacion de miembro, confiscation de bienes, ò en que se trata de pena arbitraria, y con color de minor gasto de las partes, y mas facil despacho de las dichas causas se entiende se ha introduzido, que el mismo Senado concede facultad a los dichos juezes inferiores de despacharlas todas las vezes, que los reos esten en caso de absoluzion, y que desto se ha visto resultar grandes inconuenientes, soltando los delinquentes muchas vezes sin castigo. Demas que no es bien ni cosa decente, que la auctorisad que ha sido al Tribunal entero del Senado, passe a los juezes inferiores. Por lo qual es mi voluntad, y mando, que el Senado de qui adelante no pueda cometter, ni cometta a ningun juez la difinicion de ninguna causa criminal, en ningun caso, como quiera que sea, si no que se haya da referir al mismo Senado conforme a las ordenes, paraque por el se determinen, y haga Iusticia.*

*Y porque las relationes de las causas criminales, que se hazen al Senado, se sabe que muchas vezes se han despachado por el Senador solo de lectura criminal, passandolo algunas vezes el Presidente, lo qual es de mucho inconueniente, porque la autoridad que dan las constitutiones a todo el cuerpo del Senado, no se deue atribuir a vn solo con el Presidente, y asi ordeno, y mando, que todas las causas criminal, asi de Milan, como del Estado se lean, y determinen en el Senado por todo el, si no fuera quando del processo resultasse solamente, que se huuiesse da dar tormento secreto al reo para saber la verdad del delicto, y de aplicalle alguna pena pecuniaria ò corporal ligera, y que en ella fuessen conformes en todo, y por todo los votos de la cursa que refiere, y del fiscal de Milan, y del Senador de lectura, y del Presidente: porque en tales casos se podran hazer las espediciones sin referir en Senado, Mas si en alguna cosa discordaren los votos, no puedan tampoco en los dichos casos despacharse las causas sino en el Senado.*

Postremo in hac æquiparatione Senatus Romani cum Mediolanensi sententiam *Origenis contra Celsum lib. 3.* adaptare possumus his conceptam verbis. *Sic etiam Senatum Ecclesiasticum, si compenas ad Senatus singularum ciuitatum, inuenies quosdam Senatores Ecclesiasticos dignos vbiuis gentium administrare diuinitus constitutam rempublicam. Senatores vero istos, qui passim reperiuntur, nihil in moribus habere eximium, præ plebeiis hominibus. Eodem modo Magistratus Ecclesiastici cum Vrbanis Magistratibus conferendi, intelligas Magistratus Ecclesiæ, etiam qui inter collegas frigidius versantur in officio, tamen in rerum, & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus, atque Magistratibus præcellere.* 313

## *Glosa Septima.*

Sintque in dicto munere perpetui.

*SVMMARIVM.*

1 *Optimum cur sit Senatoris munus esse perpetuum.*
2 *Qui semel in Senatu Romano lectus erat, in omnem ætatem, in eo ordine permanebat, nisi ex causa motus esset.*
3 *Qui precio Magistratus factus est, vtrum remoueri possit.*
4 *Perpetuum est officium etiam si priuilegium dicit, Ad nostrum beneplacitum.*
5 *Officia perpetua in reuocatione generali non veniunt.*
6 *Officialis perpetuus & agere, & conueniri potest durante officio.*
7 *Senatus locum Vicarij generalis pro Imperatore obtinuit, & nunc pro Reg. Maiestate obtinet.*
8 *Magistratus perpetuos legibus derogare posse, & cur temporales non possit.*
9 *Varias esse hominum fortunas. Et de sui ipsius vocatione.*
10 *Miseram non esse agricolarum conditionem contra Cicer.*
11 *Sors cuique sua.*
12 *Ad altiora qui respicere possit. & num. 15. 16. 17. & 20.*
13 *Locus vnicuiq; alicui diuinitus atributus dignoscitur ex natura impetu, iudicio, cohortatione superiorum, occasione, & adiumento. num. sequent.*
18 *Sua cuique tenenda sunt, nec contra aliorum munia contendendum.*
19 *Vtrum liceat Præsidi, vel Senatoribus abdicare se munere suo anceps quæstio.*
21 *Facile est occupationes contemnere, si occupationum præmia contempseris.*
22 *Ambitio & cupiditas instabilis.*
23 *Qui rationes administrat tam abstinenter, quam alienas, tam diligenter, quam suas, tam religiosè, quam publicas in officio continebit se.*

24 *Rationes & causa plurimorum referuntur propter quas officio se abdicauerunt.*
25 *Alias esse rationes latentes.*
26 *Non licere peccare mortaliter propter alterius bonum, vel salutem.*
27 *Licere mutare propositum in melius.*
28 *Quod consulto quis aggressus est consilium, sequendum est, & operatione comprobandum.*
29 *Non tanquam ad nundinas, & lucella eundum est ijs, quibi gubernacula reipub. committi volunt.*
30 *Non exempla sequi debemus, sed rationes.*
31 *Quaerendi sunt, & suscipiendi Magistratus, ne illorum additus pateat prauis hominibus.*
32 *Honor & gloria cum potestate adiuncta suauem faciunt laborem, & facile exsudabilem.*
33 *Propter senectutem non esse à Magistratu abdicandum.*
34 *Ex negligentia, timor & diffidentia.*
35 *Nihil tam acerbum, in quo non aequus animus solatium inueniat, si ratio difficultatibus adhibeatur.*
36 *Arguitur, qui primum limen honoris ingressus est, aduentum successoris exoptans.*
37 *Publica vtilitatis habenda ratio est, bono particulari seposito.*
38 *Poenitentia vt plurimum capit eos, qui ob officio se abdicarunt.*
39 *Inertia liuorem alit.*
40 *Simulata quedam est abdicatio in speciem recusantis, sed flagrantissime ambientis.*

## CAPVT I.

*Magistratus, an perpetui esse debeant.*

1 OPtimum est, haec munera esse perpetua, vti tradiderunt *Cagnol. in praefat. ff. ep. de regimine boni prin. num.* 82. ex Socratis, & aliorum sententia, quam etiam probarunt post multos alios *Roxill de iust. & iur. lib. 3. sub cap. 6.* Ripa de Peste quem cum alijs refert *Benedict. Rainne. in verbo duas habens filias num. 36. & plur. sequen. & Tessaur. in praefat. decis. suarum num.* 37. Sic & *Aristot. lib. de repub.* 4. Horum enim, qui non ad tempus electi sunt, iudicia longo experimento maturiora fiunt: tum quia vnusquisque iudicat de his, quae nouit, testimonio *Arist. Eth.* 1. tum quia sententiarum variationi non ita locus aperitur, vt aperiretur, si in momentum mutarentur. Decet praeterea, concessum a Principe beneficium esse mansurum, vt ait *reg. iur. in 6.* & vt quis in sua vocatione perseueret, & quiescat: *Quia quos Deus praedestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit*, vt in *Euang.* & in *Psal. 26. Ego vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae*, facit quoque *c. omnibus* 24. *q.* 1. Mutationem officialium non agnouit Antoninus Pius, vt in eius vita scriptum reliquit Capitolinus, inquiens, *Successorem viuenti bono iudici nulli dedit, nisi Orfito Praefecto Vrbi, sed petenti*; sequutus & ipse sententiam Isocratis in Nicocle, quae sic ait. *Qui Magistratus per vices annorum subeunt, prius fiunt iterum priuati, quàm reipub. negotia cognoscant, eorumq; sibi experientiam comparent: qui vero semper ijsdem officijs funguntur, licet ingenij fuerint inferioris, experientia tamen, vsque rerum longè ceteris praeferendi sunt.* Et paullo post; *quisque multa negligit, dum alter respicit alterum; illi vero nihil per negligentiam delinquunt, cum per ipsos omnia fieri oportere sciant.* Alias rationes afferre quoque licebit collectas per scribentes, nempè ex *glos. in c. huic 16. q.* 1. vt non parcat populis breue regimen, sed partibus damno sit, per *l. praetor §. fin. ff. de vacat. mun.* vt negligentes officiales faciat, ac lucri magis auidos. Contra vero ex dicto Tiberij. *Vidi quendam muscas vulneribus insidentes fugare, quem agrotus inculpauit dicens, ventura sunt sitibunda, ha iam satura.* Tritum & est illud.

*Turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.*

Morum Tiberij fuit, inquit *Tacit. Annal.* 1. *propè finem*; continuare imperia, ac plerosque ad finem vitae in ijsdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere. Causae variae traduntur, alij tedio nouae curae, semel placita pro aeternis seruauisse: quidam inuidia, ne plures fruerentur; sunt qui existiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium, neque enim eminentes virtutes sequebatur, & rursum vitia oderat. Ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum. Qua haesitatione postremo eo prouectus est, vt mandauerit quibusdam prouincias, quos egredi ex Vrbe non erat passurus. Addas quae *Xenophon in Padia Cyri lib.* 8. dicere solebat, eos, qui benè, & fideliter sibi commissas causas regunt; aut nunquam, aut raro mutandos.

Apud Romanos igitur, qui semel in Senatu lectus erat, per omnem aetatem in eo ordine permanebat, nisi aut Senatus eum remouendum censuisset, aut qui turpi de crimine aliquo, aut de ambitu conuictus, aut a populo damnatus, aut censoria animaduersione notatus esset. Sic *Zonaras lib.* 2. & probat *Cicero in orat. pro Flacco*. Lysanias adeptus est ordinem Senatorum, sed cum rempub. nimium complecteretur, peculatu damnatus, & bona, & nomen Senatorium amisit. Post constitutum est, vt qui semel in Senatum lectus esset, per omnem aetatem in eo ordine permaneret, nisi aut turpi iudicio damnatus, aut ob vitae dedecora pelleretur. Extat etiam lex Cassia, quae C. Mario, & C. Flauio Coss. Cassius Longinus tulit, vt quem populus damnasset, cuiue imperium abrogasset in Senatu ne esset. de his *Plut. in P. Aemilio. Liuius lib. 5. & 39. Valer. lib.* 2. *Paterculus. Plin. in ep. Seneca, & Cicero pluribus in locis.*

Non desunt qui velint satius esse, ac magis reipub. expedire si Magistratus, & officia conferantur ad tempus, inter quos *Egid. Rom. de regim. Prin. lib. 3. par. 1. cap.* 13. rationes has afferunt, temporalia haec officia minus damnosa, perpetua vero periculosa magis. Non enim de constantia prudentia, integritateq; alicuius constare poterit, antequam in ipso officio is se exercuerit: at si malus, ac ignarus est electus, quia perpetuò, perpetuum quoque damnum erit, si ad tempus, momentaneum tantùm. Solet etiam aliquos ad malum inuitare ratio illa, quod munus subeant perpetuum, & a quo non possint amoueri. Hinc etiam cautum legimus officia annalia esse debere, *in l. Publius Maeuius ff. de cond. & demonstr. in l. pradio ff. de ferijs, vel biennalia in l. neminem C. de su. & arc. lib.* 10.

*lib.* 10. cum alijs adductis per *Abb. in c. fin. col.* 2. *de iud.*

Prædictis tamen vnica ratione respondendum tutò credimus, nimirum, gradatim conferenda esse officia, vsu probatos, & digniores esse eligendos, vt pluribus per nos iam fuit ostensum. Quem autem elegerit princeps, retineat perpetuo, nisi is sua culpa indignus fiat.

3 Quid si Princeps ab Officialibus pecuniam recipiat, an eos reuocare possit? non posse tenet *Bened. in d. c. Raynutius in verbo duas habens filias de test am. num.* 36. *& sequen.* potissimum *num.* 45. 52. *&* 53. *Cabed. dicta decis.* 20. *num.* 2. *p.* 2. *post Pinell. in pr. parte rub. C. de rescin. vend. c.* 2. *num.* 31., *& seqq.*

4 Idem est etiam si priuilegium dicat ad nostrum beneplacitum, quoniam munus dicetur perpetuum secundum *Bar.*, *& Bal. in l. de pupillo §. si quis ipsi Prætori ff. de oper. noui nunt.* iterum *Bal. in l. iurisperitos ff. de excus. tut.*, *& ibi Bologn. per glos. in c. fin. de rescrip. in* 6., *& in clem.* 2., *& in c. si gratiose eod. tit. in* 6. *Fran. Marc. quæst.* 363. *num.* 6., *&* 7. *Bened. loco supra citato num.* 37.; *& sequen. qui num.* 39. illud ampliat habere locum etiam si moriatur Princeps, & hanc sententiam amplexi sunt *Dec. in cons.* 108. *Capit. decis.* 116. *num.* 6. *Caran. titu* 3. *num.* 24., *& Tessaur. in d. præfat. num* 37. *in fine. Bosr. decis.* 149. *Molina de primog. Hisp. lib.* 1. *num.* 5. *fol.* 181. *Cabed. vbi supra num.* 6. *Gerard. Maynard. decis. Tholos.* 23. *lib.* 2.

De clausula quandiu placuerit, vel donec aliud fuerit ordinatum, idem *Fran. Marc. decis.* 512. *num.* 6. *& d. q.* 363.

5 Officia prædicta in reuocatione generali non continentur, secundum *Io. Andr. in constit. ea quæ col.* 2., *& Capit. d. decis.* 116. *num.* 6. *Roman. cons.* 52. *num.* 23. *Lanar. cons.* 21. *num.* 10. *Annam alleg.* 53. *num.* 26.

6 Perpetui Magistratus ea est prærogatiua, vt agere possint, & conueniri durante eorum officio. Ita *Spec. de act. §.* 1. *vers. si ad tempus*, & plenè per *Bal.*, *& Alber. in l. Senatusconsulto ff. de off. præs. Ang. in l.* 2. *ff. de in ius voc. Bar.*, *& Salic. in l. iubemus C. ad l. Iuliam repet.*, *& Massull. in addit. ad Capit. d. decis.* 116.

7 Alia ex hoc munere perpetuo desumitur vtilitas, non omnibus, vt credo, nota; nimirum vt Senatus locum Vicarij generalis pro Imperatore in hoc dominio obtinuerit, & pro Regia Maiest. nunc obtineat. Atque ideo cum Rex hic nullam iurisdictionem exerceat, quàm per Senatores, eundem in omnibus repræsentet Senatus ipse. Et vt loquitur Constitutio nostra in fine, quicquid per Senatum geritur, eandem vim obtineat, ac si per eundem Principem actum esset. Quod loco Vicarij Generalis habeatur Senatus, probarunt *Hypp. Rimin. in cons.* 655. alias allegato *num.* 9. post *Cuman. in cons.* 158 *col.* 2. *Ias. in cons.* 136. *col.* 8. *lib.* 4. *Castrens. in cons.* 33. *in fine lib.* 2., *& Nattam cons.* 179. *num.* 9. *in fine.* Qui etiam dicunt, valdè differre, an Imperator per generalem concessionem aliquid Magistratui, vel vasallo transferat, qui non sint perpetui, & superiorem recognoscant, an vero si perpetui, quia primo casu sibi reseruata non censetur tunc transtulisse, vt est facultas condendi le-
8 ges iuri communi derogatorias, & id genus, vt per *Bar. in simili in l. toties ff. de pollicit.*, *& in l. ambitiosa de decret. ab ord. facien* quia non potest inferior ius à superiore constitutum infringere. *l. formam C. de off. præfec. prætor. c. cum inferior de maior.*, *& obed. Bal. in l. omnes populi col.* 3. *vers. sed hic dubitatur de iust.*, *& iur.* dicens, inferiorem à Principe si statutum edat iuri communi derogatorium non valere; duplici ratione, ipsius statuentis, quia inferior est, & statuti, quia nec iustum, nec bonum: quia iuri communi contrarium. *l. quod non ratione ff. de legib. & d. l. ambitiosa*: nisi forte fiat ex euidenti, & necessaria causa, *l. si hominem ff. mand.* optimè deseruit, quod affertur ab *Alex. in l.* 5. *col. pen ff. de verb. obl.* Vtrum statutum Ducum, & Marchionum dicatur ius commune, vel ciuile, vel prætorium: dum concludit, si cognoscant superiorem æquiparari præsidi, siue Magistratui, per *glos. notab. in c.* 1. *in verbo obseruatur si de inuestitura M. vasall.*, *& domlis or.* Si vero non recognoscant, haberi loco Principis. Et subdit eos, qui loco prætorum ius obtinent, posse, quemadmodum ij poterant, suis edictis ius corrigere, permissu tamen populi. Ergò & Senatus permissu Reg. Maiest. potest statutis, & Constitutionibus derogare, & alia facere, de quibus in §§. *sequentibus*. Regem enim ipsum in hoc Dominio repræsentat, & sub eius nomine omnia decernit. Atque ideo perpetui, non autem temporales sunt in munere Senatores.

## CAPVT II.

### *De sui ipsius vocatione, & hac quomodo cognoscatur.*

VArias esse hominum fortunas, nulli dubium est, verum vnumquemque in sua vocatione 9 remanere debere docet *Apost. ad Corinth.* 1. *cap.* 12. Sic & Georgius Gemistus Pletho, inquiens. *Neque vero cuiquam statio diuinitus attributa deserenda est, sed tuenda, & pro virili quicquid ea postulet præstandum. Hoc enim & maximè expetere, & salutare esse toti rerum naturæ, cui auctor est Deus, apparet. Quod cuique igitur obtigit, id quisque teneat, nam & si quis sibi plus appetet, violabit ius vocationis suæ.*

Et licet Cicero in Verrinis miseram dicat esse 10 conditionem agricolarum, quæ ab incertissimis rebus, ventis, & tempestatibus, pendeat. Nam vt fruges benè proueniant, eas pretium non habere, sin angustæ, egestatem afferre. Nostra ætas, & natio hæc tempestatum incommoda in prouentu vini, & frumenti per annos complures experta est, cum miseria, & pernicie plurimorum. Deo abusum donorum suorum, & ingratos hominum animos plectente. Quamuis inquam miseram agricolarum conditionem dicat Cicero. *Ecclesiastes tamen cap.* 7. aliter sentit. *Non oderis*, dicens, *laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo*; & paullo post. *Pecora tibi sunt, attende illis: & si sunt vtilia perseuerent apud te.* Agrum enim dum colit, eiusque prouentus iusto pretio vendit, in suo vitæ genere est beatus. Nam & Deo paret, & sibi conscius est, & rempub. iuuat, nec est telluri s inutile, aut noxium pondus, & prosperam corporis valetudinem tuetur, & habet vnde cum suis suo labore viuat, & bene audit, & nihil timet à legitimis Magistratibus. Sic & *Propheta Psal.* 127. *Labores ma-*

*nuum*

*unum tu arum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit &c.*

Agricolæ huius exemplo duci debent ceteri, qui alio rerum quocunque ſtatu potiuntur: ſors enim
11 cuique ſua. Hinc *Eccleſ. cap.* 3. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ
12 præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Ad altiora autem non reſpicit is, qui legitimis rationibus eò tendit, quò plus alijs prodeſſe, virtutemque ſuam illuſtriorem reddere poſſit: ſed in hoc cauenda deſperatio, ſuſpitio, auaritia, & ambitio, cum alijs per nos ſupra *gloſ.* 3. *cap.* 26. adductis. Hæc vitia præterquam quod per ſe dedecent, plerumque etiam comitem habent iactantiam, & ſuperbiam, & dum fumum fugimus, incidimus in ignem, è ſartagine in prunas.

Elaborandum eſt igitur, ne animi motus, vt ille ait, à natura recedat, qui cum duplices ſint, cogitatione, & appetitu. Altera quorum vera exquirit, alter vero ad agendum impellit; curandum eſt, vt cogitatione ad res quam optimas vtamur, appetitumque rationi obedientem præbeamus; ij que medijs vtamini, de quibus ſupra *gloſ.* 3. *cap.* 29.

13 Quomodo autem cognoſci poſſit locus vnicuique diuinitus attributus, vel ſua vocatio, difficile ſanè eſt iudicium coniecturis magis, quam certo aliquo argumento conſiſtens, non tamen prorſus
14 inexplicabile. Siquidem inſpiciat quiſque quò illum natura ferat, neque tantùm quid cupiat, & optet, (nam ſi hoc ſatis, ad ſummum gradum omnes aſcenderent) ſed etiam quantum poſſit, vel ingenij vi, vel ſubſidio fortunæ. Neque enim, vt *Cic. ait de off.* 2. ſolum corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multò etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Ad fortunam itaque referatur voluntas, auctoritaſque parentum, amicorum, aliorumvè maiorum ſuorum, atque etiam ratio temporum. Neque negligenda eſt valetudo, vireſque corporis. Hæc omnia ſi cum tua conſenſerint voluntate, vix dubitandum videtur, quin is locus, quem ipſe tibi delegiſti, ſit vocatio tua, & cum diuino iudicio congruat. Conſtituendum eſt enim, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ. Quæ deliberatio *eod. Cicer.* teſte eſt omnium difficillima, ſi tamen ex noſtro ſenſu procedat; ſed ſi cum aliorum conſilio facillima.

Si autem plura repugnarint, res habet dubitationem, ijſque parendum eſſe videtur, quorum maior eſt auctoritas; plerumque autem parentum præceptis imbuti ad eorum conſuetudinem, moremque deducimur. Sed ante hæc omnia Diuinum auxilium eſt implorandum, petendumque vt Deus & noſtrum, & aliorum voluntates ita gubernet arcano afflatu, vt eò ferantur, quo ipſe te deſtinarit, & vt docet *D. Thomas*. Ordina ſtatum meum, & quod à me requiris vt faciam, tribue vt ſciam.

15 Ceterum diuinæ voluntatis non parua argumenta ſunt, ea quæ iam diximus, naturæ impetus, iudicia, & cohortationes ſuperiorum, occaſiones, & adiumenta.

Quod ſi vel te in deligendo, vel alios in præſeribendo tibi vitæ genere erraſſe cognoueris, id erratum, vel cuiuſque prudentia, maturioe ætate, vel caſus ipſe corriget; interim auctoritati alienæ pareat conſtantiamq; teneat. Artabanus enim Xerxem in Græciam expeditionem parantem, ſic alloquitur. *Iterum dum tibi videbitur, re apud te ipſum conſiderata, edicito, quod optimum eſſe arbitraberis. Bene enim conſultare, comperio maximum eſſe lucrum. Nam etiam ſi quid contra eueniat, nihilo tamen minus benè conſultum eſt, ſuperauitque fortuna conſilium.*

Omnino tamen vt monuimus caueatur, ne altior dignitatis gradus, & quæſtus vberior temere appetatur, item ne præpropere. Is enim conatus plerumque vel irritus eſt, aut, vt ad tempus res ſucceſſiſſe videatur, tandem infœlix. Exempla multa afferri poſſent, ſufficiat illud *Tacit. Annal.* 3. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potentia Senator, obſcura initia impudentibus auſis propolluebat. Brutidium artibus honeſtis copioſum, & ſi rectum iter pergeret ad clariſſima quæque iturum, feſtinatio extimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes ante ne parat. Quod multos etiam bonos peſſum dedit, qui ſpretis, quæ tarda cum ſecuritate, præmatura, vel cum exitio properant. Et vide infra *num.* 20.

Fortuna tamen melior, vltrò & legitimè oblata 16
nequaquam aſpernenda eſt, dicente *Horatio Epiſt. ad Iulium Florum. lib.* 2.

*I bene, quo virtus tua ſe vocat; i pede fauſto.*
*Grandia laturus meritorum præmia: Quid ſtas?*

Ergo & hæc diuinitus exiſtimanda, & cum gratiarum actione accipienda. Sic Dauid ex Opilione factus eſt aulicus, & demum Rex. Neque vero omnium fortuna eſt eadem, perpetuoq; ſui ſimilis, ſed multi ab alio loco, in alium, atque alium, vel inuiti, vel ſine ſua voluntate, licet non repugnantes diuinitus transferuntur. Tunc enim iuxta illud *Virgil. Æneid.* 5.

*Nate Dea quò te fata trahunt, retrahuntq; ſequamur,*
*Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferenda eſt.*

Et vulgari prouerbio dicitur. *Qui benè fortunam ferre ſcit ille ſapit: & qui ad triobolum natus ſit, eum nunquam ad duos denarios peruenturum.*

Cum altiora quærimus docet Cherondas Catta- 17
næus in proemio, à Dijs auſpicari debere, mox ait. *Adiuuet autem vnuſquiſque ſe ipſum, & incitet ad iuſta ſecundum dignitatem capeſcenda, agendaque. Nam in paruis, & magnis æquatum conatum, & contentionem adhibere nimis humile, & illiberale videtur eſſe. Quare curandum, ne nimis negligenter ad res magnas, & grauiſſimas ferramus, ſed pro dignitate tua, & viribus ſingula perpendere, aggrediq; debes, vt honorificus, & grauis permaneas.*

Si vero munus aliquod ſibi conueniens, debitumq; aggreſſus legitimè fueris, verum nec altiora, nec illud conſequi potueris, & hoc ter quaterque tentaueris, ſatis ſuperque manifeſtum eſt Deo placere, vt præſentem ſtatum tuum teneas, nec contra amplius nitaris, ſed agnoſcas eam tuam vocationem eſſe.

Tandem ſua cuique tuenda ſunt, nec contenden- 18
dum eſt contra aliorum munia, ſed propria ſequamur, etiam ſi ſint alia grauiora, atque meliora; tamen nos ſtudia noſtra, naturæq; regula metiamur.

mur. Existimet enim tunc, vt iam diximus, & probat Constitutio nostra, se iam munere Senatorio perpetuo frui debere.

Huc pertinet Aristonis Chij dictum: vitam esse fabulam, virum sapientem, histrionem, qui siue Thersitis, siue Achillis personam susceperit agendam, vtramuis eleganter repræsentet, qui secus sententiam Posidippi, vel vt alij Cratis Cinici de vitæ miserijs sequi debuisset his conceptam carminibus.

*Quod vitæ genus est sectandum? Nam fora tristi*
*Lite strepunt: angit cura molesta domi.*
*Rura labore grauant: terret mare dissita tellus*
*Diuitibusq; pauor, pauperibusq; malum.*
*Est grauis vxorum toleranda molestia. Rursus*
*Non etiam cælebs vita dolore caret.*
*Et labor in pueris: orbi mutilatio vitæ.*
*Nilq; iuuenta sapit, nilq; senecta valet.*
*Hinc potes alterutrum tibi deligere hisce duobus:*
*Ne vel nascaris, vel moriare statim.*

Sed contra Metrodorus de vitæ Commodis.

*Quodlibet eligito vitæ genus. En fora quantus*
*Tollat honos? quam sit vita quieta domi?*
*Ornat agros natura, lucrum mare, sicq; peregre*
*Fors abieris diues, gloria parta tibi est.*
*Sin pauper, nosti solus, Domus optima, ducta*
*Coniuge. Cælitibus libera vita comes.*
*Sunt pueri dulces. Eris orbus? Sed sine cura,*
*Flaua iuuenta valet: cana senecta sapit.*
*Non igitur nasci nolis, natusvè perire.*
*Namque bonum vitæ quodlibet extat iter.*

Nulla ergo solida fœlicitas, nihil ab omni parte beatum, nec vlla fortuna tam bona, de qua non possit quæri. Sed si vocationi tuæ acquiescas, contentus viues.

---

## CAPVT III.

*Abdicare se munere suo vtrum liceat Præsidi, vel Senatoribus.*

ANceps quæstio est, & in vtramque partem à
19 prudentibus viris agitata: sunt enim non pauci, qui tenuerunt, vacandum non esse officijs publicis, sed sibi ipsi consulendum; inter quos *Cicero de off. relatus à Prac. Pap. in forma libell. in act. confess. § plenam, & omnimodam iurisdictionem*, sic ait. *Cauenda est gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnino debet esse contentio; nec imperia expetenda sunt, sed potius non accipienda. Nonnunquam etiam*, vt idem inquit, *efficiendum, vt appetitus rationi obediat, cui sunt subiecta natura.* Præcipuus tamen in hoc est *Seneca*, qui sæpissimè in epistolis hortatur *Lucilum*, *& in lib. de breuitate vitæ*, suadet Paulino, vt iamtandem relicto munere publico, ac alijs rebus omissis, quas vanas, & exitiosas, etiam quæ tutissimæ videntur, exitus probat; reliquum ætatis suæ tempus sapientiæ studijs impendat, sibique ipsi viuat. *Ep. 22.* hæc sunt verba. *Iam intelligis educendum esse te ex istis occupationibus speciosis, & malis: sed quomodo id consequi possit, quæris. Quædam non nisi à præsente monstrantur*, & paullo post. *Cum rebus ipsis deliberandum est. Non tantum præsentis, sed vigilantis est, occasionem obseruare properantem. Itaque hanc circumspice: hanc si videris prende: & toto impetu, totis viribus id age, vt te istis officijs exuas.* Mox subdit, *Leni eundum via, vt quod malè implicuisti soluas potius, quàm abrumpas, dummodo si alia ratio non erit, vel abrumpas. Nemo tam timidus est, vt malit semper pendere, quàm cadere. Interim quod*
*primum est, impedire te noli, contentus esto negotijs, in* 20
*quæ descendisti, vel quod videri mauis, incidisti. Non est, quod ad vlteriora nitaris, aut perdes excusationem, & apparebit te non incidisse. Ista enim, quæ dici solent, falsa sunt. Non potui aliter. Quid si nollem? necesse erat. Nulli necesse est fœlicitatem cursu sequi: est aliquid, etiam si non repugnare, subsistere, nec instare fortunæ ferenti.* Rursus, Epicuri epistolam ad hanc rem pertinentem legi. *Idomeneo scribitur: quem rogat, vt quantum potest fugiat, & properet, antequam aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen subijcit, nihil esse tentandum, nisi cum aptè poterit tempestiuè tentari. Sed cum illud tempus diu captum venerit, exiliendum ait. Dormitare de fuga cogitantem vetat, & sperat etiam ex difficillimis salutarem exitum: si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore. Puto nunc & Stoicam sententiam quæris, non est quod quisquam illos apud te temeritas infamet. Cautiores quam fortiores sunt. Expectas forsitan, vt tibi hæc dicantur? Turpe est cedere oneri, luctare cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis, & strenuus, qui laborem fugit: verum vbi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. Dicentur tibi ista, si operæ pretium habebit perseuerantia, si nihil indignum bono viro faciendum, patiendumvè erit: alioquin sordido se, & contumelioso labore non conteret, nec in negotijs erit negotij causa. Ne illud quidem, quod existimas eum facturum, faciet, vt ambitiosis rebus implicitus, earum semper æstus feras. Sed cum viderit breuia, in quibus voluitur, incerta, ancipitia, referet pedem; nec vertit*
*terga, sed sensim recedet in tutum. Facile est autem* 21
*mi Lucili, occupationes euadere, si occupationum præmia contempseris. Illa sunt, quæ nos morantur, & detinent. Quid ergo? Tam magna spes relinquam? Ab ista messe discedam? Nudum erit latus? Incomitata lectica? Atrium vacuum? Ab his ergo inuiti homines recedunt, & mercedem miseriarum amant, ipsas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur: Et si verum affectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant. Iterum, nemo cum sarcinis*
*enatat.* Clarius idem *Seneca ep. 83.* loquitur. *Ha-* 22
*bet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis: quia incipit semper à fine. At ille vir sincerus ac purus, qui reliquit & curam, & forum, & omnem administrationem reipub. vt ad ampliora secederet. diligit eos per quos hoc ei facere tutè licet &c.* Item & *eod. lib. de breu. vitæ cap. 18.* sic voluit. *Excerpe itaque te vulgo Pauline carissime. & in tranquilliorem portum iam pro ætatis spatio iactatus, tandem recede.* Et paullo post. *Maior pars ætatis, certè melior reipub. data sit, aliquid temporis tui sume etiam tibi.* Rursus, *Tu quidem Orbis terrarum*
*rationes administras, tam abstinenter quam alienas,* 23
*tam diligenter quam tuas, tam religiosè, quam publicas, in officio amorem consequeris, in quo odium vitare difficile est. Sed tamen mihi crede satius est vitæ suæ rationem, quam frumenti publici nosce.* Mox subdit. *Tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt, quam nobiles equi: quorum generosam pernicitatem quis vnquam graui sarcina pressit?* Hactenus Seneca.

ca. Cicero quoque *lib de off 3* sic ait: *Nec tamen nostræ nobis vtilitates ommittenda sunt, alijsque tradendæ, cum his ipsi egeamus: sed sua cuique vtilitati, quod sine aliorum iniuria fiat, seruiendum est. Similis sanè est ei qui medicum professus suum ipsius corpus curare nolit, alios autem homines sanet, argentum promptè aut honores accipiens: tanquam mercede alia minor sit merces propria valetudo, aut si quis se idoneum ferat pedagogum, itque alienos quidem pueros velit docere, suos autem ab lege ad alium quendam longè inferiorem: aut si quis suos negligat parentes, alienosque velit souere si eos celebriores diuitioresue esse sentiat. Non enim iustius est, neque iucundius necessarijs prætertitis prodesse nihil ad se pertinentibus.*

Præterea, si exemplis tantum agendū esset cum his, qui ad gradum Præsidis, & Senatoris ascenderunt, & ab eo se abdicare volunt, facilis fortasse videretur quæstio proposita: Siquidem & nostra tempestate nonnulli se retraxerunt, & antiquitus (prout supra *glos. 3. cap. 28.* & alibi docuimus) permulti honores sibi spontè oblatos repudiauerunt alij vero ab officijs se abdicauerunt. Verum & exempla ipsa, & rationes, quibus viri, in ipsis exemplis nominati id facere moti fuerunt:
84 nunc recensere libet *Eusebius in Cronico*, dum inquit, *Messalla Coruinus primus Præfectus Vrbis factus sexto die Magistratu se abdicauit, inciuilem potestatem esse contestans, suadere mihi videtur, vt ratio muneris habenda sit, an dignum personæque conueniens & accommodatum*. Plut. in Publicola sic inquit. *Senatu se abdicauit, patrocinia renunciauit, & à negotijs publicis penitus se remouit, id verò ea ratione factum subdit, ne cura, & rumor sollicitos multos haberet, qui metuebant eum ira percitum ciuitatem mutantem, & res omnes euersurum fore, quia eo neglecto Collatinum Tarquinium Cons. fecerant. Vt igitur quietos redderet eos, qui de se malè sentire videbantur, recessit Publicola*. Iterum Plut. in Aristide 11. *Aristides eos hunc in modum increpuit*, inquiens, *Cùm probe, integreque rempub. administro, existimationem meam multis maculis aspergitis, cum autem aliquid vrbanius expilatoribus concedo, me quasi summa virum, & ciuem admiratione dignum reputatis. Quæ cum ita sint Athenienses ijs honoribus. Quos mihi nunc decernere contenditis, vt ego sentio, plus mihi turpitudinis, & dedecoris affertur, quam prius allatum est, cum mihi repetundarum multam irrogastis. Quamobrem magnopere me vestri miseret, apud quos improbis obsequi gloriosius est, quam fortunas publicas conseruare.* Manlius autem, vt de eo scribit *Valer. lib. 6. c. 4.*, & sub colore aduersæ valetudinis oculorum, & quod nec ipse mores ciuium ferre, nec illi ipsius imperium perpeti possent, negauit oblatum consulatus munus suscipere. Ceterum supra *glos. 3. cap. 7.* attulimus ex Tacito, & alijs plures ob paupertatem sponte Senatorio ordini renuntiasse, & ea dignitate se exuisse, quod etiam *Dion. lib. 48.* multis confirmat, & *lib. 54.* item & *libro 36.* & in hæc verba. *L. autem Lucullus Vrbana quidem prætura defunctus est: sed cum postea in Sardiniam prætor vt iret sorte obtinuisset, detractauit, negotiumque auersatus est hac de causa, quod plerique in prouincias omnia perperam agerent, & ipse satis, superque suam æquitatem demonstrauerit.* Iterum idem *Dion. lib 38. de Bibulo consule*, inquit, *cum à Cæsare collega officio suo fungi impeditum, domi se recepisse, à qua egressum non esse ad extremum vsque anni diem. Et post hæc eundem Bibulum, & Tribunos, qui eum sequebantur omni reipub. administratione abstinuisse, non patriam, non officium, sed insidiatores relinquentes*. Item & *lib. 49. Cum L. quidam Atyllius prætura propter diuturnum morbum se abdicaret, filium suus ei suffecit.* Item *lib 58. tamen haud ita multo post Macronem, & Sacerotem adulati sunt, pecuniam eis, & honores, huic quæstorios, illi prætorios tribuentes, permissoque vt in spectaculis sibi assiderent, ludisque votiuis prætexta vteretur. Verum hi territi recenti exemplo, eos honores repudiarunt (nimirum Seiani) cuius causa Senatus iam edicto prohibuerat, ne quis nimijs honoribus in posterum afficeretur.* Videnda sunt quæ Actor panegyrici Maximiano, & Constantino dicti præfatus est, à nobis supra §. 1. *glos. 3. cap. 1.* relata: abdicationis enim causas ad ætatem, & malam horum Imperatorum valetudinem refert. *Symach. lib. 4. ep. 29 & 45.* orationem quandam accusat, cuius erat argumentum, *Repudiata censura*, inquiens. *Nolo mireris grauissimum ordinem Magisterium respuisse. In oratione nostra non leues causas euitasse huius potestatis inuenies.* Item ep. 23. lib 10. *sic post nunciatam mortem Prætextati ait, sileo cetera, quæ me non sinunt præfecturam ferre patienter. Vel hæc vna consortis amissio iusta est ad impetrandam vacationem. Ament alij perpetuas dignitates: mihi summus est fructus felicitatis, vt coram vestrum numen aduenerer &c.* simplex petitio est, ne viam capessendi honoris affectat, satis enim claruit, nihil aliud est quod cupiam, cum supplex refuderim Magistratum. *Tacit. Histor. 2.* procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus, prima iuuenta quietis cupidine; Senatorium ordinem exuerat. *Plin. ep. 25. lib 7.* Terentius Iunior equestribus militijs, atque etiam procuratione Narbonensis Prouinciæ integerrimè fructus recepit se in agros suos, speratisque honoribus tranquillissimum otium prætulit. *Liuius lib. 9.* ob infamem, atque inuidiosam Senatus lectionem verecundia victus collega C. Plautius Magistratu se abdicauerat. Appius iam inde insitam pertinaciam familiæ gerendo solus censuram obtinuit: *Liu. lib. 41* Q. Petilius, comitia in diem 3 Non. Sextiles, Latinas à d diem 3 Idus Sextiles, edixit. Itaque cum augures consulti, vitio creatos aliquos dixissent statim Magistratu se abdicabant, vt si tonuisset, quoquis die creatus erat consul, vel prodigium aliquod visum esset. Iterum idem *Liu. 23. lib. item 5 & lib. 5. post vrb. cond.* Terentius Varro post acceptam cladem Cannensem, ob suam ipsius in curiam dictaturam oblatam recipere ob pudorem renuit. Xiphilinus de Adriano hæc habet. Is deinde præfecturam Prætorianorum inuitus obijt, qui postea se ipse abdicauit. *Suet. in Claudio c. 16.* Splendidum virum, Græciæq; prouinciæ principem, verum latini sermonis ignarū, non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit, nec quenquam nisi sua voce, vtcunque quis posset; ac sine patrono rationem vitæ passus est reddere. Qui post ante actæ vitæ licet rationem redderet, & inter Areopagitas receptus erat. Si ea quæ præ se ferat aspectus, & aliorum opinio inuentus esset se non præstare: nullis meritis sed tantum Genio, vt aiunt, Luciano teste in Hermotimo, impellente ab Areopagitarum numero sponte discendere cogebatur. Præ dictis adijciam aliud *Plut. lib. de profectu morum*, quod tale est, *Dicendum est id, quod Sextio illi Romano iam*

*olim vsu venit, qui vrbanos honores, fascesque quibus se se ob philosophia studium abdicauerat, negotium parum fæliciter, primò procedente, doloris impatientia rursus affectauit breuemi exilij opiaca; qua in priorem statum rediret.*

25 Licebit igitur causas renuntiationis, & abdicationis ex suprascriptis; & alijs scriptoribus patentes quidem colligere: At latenter, & minus notas, quæ animo salutem tangunt, nunc attingemus, rem sane difficillimam, & subobscuriorem, in qua illud certum esse videtur, vt quilibet cauere debeat ea, quæ animæ suæ detrimentum afferre quouismodo possunt, ne se immergat amplius, vnde sibi periculum immineat; neue periculo aliquo, aut detrimento temporali, aut spirituali se subijciat, etiam propter proximum, vt per Theologos

26 omnes præcipuè *S. Thomam 2. 2. q 25. art. 4. & 5.* vbi ait non licere peccare venialiter ob alterius bonum, vel saltem. Quare, licet videat quis quammaxime bono communi prodesse in hac, vel illa administratione posse: si tamen prudenter timeret saluti suæ spirituali periculum inde afferri, quod vtrique putat non posse effugere; optimò iure ab hac administratione cessabit Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. *Matth 18.* & ne hoc detrimentum ad solum mortale referas, scias quod vtique veniale nocet, quod ad mortale disponit, & summum Deum ostendit, teste *D. August. sub psal. 5.* vbi probat, nemini licere propter quemlibet finem mendacium quamuis leue dicere, licet veritas interdum obumbrari possit. Non ideo tenetur homo detrimentum in aliqua perfectione spirituali pati, exempli gratia in augumento charitatis propter bonum commune, etiam spirituale totius mundi. Nam etsi homo proficit in charitate, non tamen tenebitur facere illud, in quo minus proficiat, alias peccaret, licet proficeret, quæ contradicunt; Nec dicatur hoc esse intelligendum per se, non autem per accidens, vt scilicet quandoque melius fit statum per se ct orem, hoc est religionem quam ingressus est, deserere, & negotijs secularibus se immiscere, aut officio publico publicaue administratione vti, si poterit maxime proximo, & reipub prodesse. Nam id intelligendum est, vbi non timeat periculum salutis. Bonum enim est vitandum si ex illo potest descendere malum, inquit *Abb. in c. cum ab omni in 2. not. de vit. & hon cler.*

27 Quinimmo, si quis aggressus est rem, quam vtiliorem credebat, & eam deteriorem inuenerit, consulto agit, si eam deserat: licet enim mutare propositum in melius, & errorem suum corrigere. *c. cum cessante in verbo sano vsus consilio de app. c. magna 22. q. 7. c. loci § porro 35. q. 9. l. nonnunquam vbi glos. ff. de coll at. bon. c. beatus 22. q. 1. & c. certè 12. q. 1.*, & tradit *Fel. in c qualiter, & quando 1. de accus. col. 3. vers. nota tertio.* Nam magis pudendum est, si in sententia falsa permaneas, quam si te ipsum corrigas, inquit *Cicero 1. Tuscul.* facit *tex. in auth de nup. §. 1.* Estque correctio opus charitatis, secundum *S. Thomam 2. 2. q. 33 art 1.* quæ à se ipso incipit. *c. 1. de supplen. neglig. prælat, & l. præses C. de seru. & aqua.*

Scimus etiam Cæsarem Carolum V. summum, quod in Orbe terrarum culmen tenuerat sponte spreuisse, quod ab Athanasio Imperatore factum iam fuerat: verum hic rebus Græciæ penè desperatis, Carolus contra rebus florentibus, imperio constabilito, hostibus deuictis celebratis & de Africa; & tota Europa triumphis: in propemodum vi coactus Carolus volens sponteque sua, hic subito, ille re diu ante deliberata & decreta, Normam priuatæ vitæ auspicatus est.

Contra vero ij, quibus candida in tranquillitate pulchellæ nauis cursu sulcandi maris cupido vana incessit, & gestationis, ac paullum exercendi sui gratia eam ingrediuntur, leuem ac facilem arbitrati nauigationem: tempestate vero subita in pelagus tracti, terram versus identidem spectant, qui etsi facti à se pænitet, nihilominus autem inuiti, & anxij nausea vertigineque affecti manent in naui. Quod ijs contingere quoque arbitror, qui non secus ac terendi ocij gratia, publicis implicant se negotijs, quorum mox grauitate detecti fastidio, & satietate afficiuntur, ac à negotijs ipsis se vendicare percupiunt, ad ocium auersi, id autem non assequuntur. Sed hos imitatione dignos nemo dixerit.

Verum, cum nobis persuasum sit in ipso Senatore adesse omnia requisita, de quibus supra *glos. 3. cap. fin.* & cum non intuitum fuisse ad tale munus 28 delectum, credimus semel aggressus integrum non esse mutare consilium, etiam si pœniteat instituti, & ipsi non licere muneri suo renuntiare. Omnes enim, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur reipub. vtile, ipsis gloriosum, aut facile factu, aut certè non arduum sit. Simul ipse, qui suadet considerandus est, adijciat ne consilio periculum suum, & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus afferatur, inquit *Tacit. Histor. 1.* consultatione autem facta, & deliberatione subsequuta, quæ honestati, iustitiæ, atque opinioni bonæ nitatur. Operatione comprobari quotidie debet. Nam si ab initio vsque vires suas is ponderauit, muneris, gradusq; qualitatem considerauit, & se idoneum iudicauit, & hoc verum fuit tunc, id etiam nunc, & perpetuo deinceps verum existimare debet, vt Phocion aiebat. Ne similes illis, qui ventri gulæq; dediti sunt, videamur; vt quemadmodum ij celeri auiditate, ac odore suauium ciborum allecti, & ad repletionem vsque saturitatemq; adducti, statim abhorrent, atque stomachantur; ita nos quoque post nauatam aliquando, & iamdiu operam, labefactata, propter imbecillitatem honesti opinione, operationeq; pœnitentia, tristitiaq; videamur affecti. Nam pœnitentia res ipsa etiam benè gesta deturpatur. Electio autem, quæ ex certa scientia, certaq; ratione proficiscitur, nullam ab errore suscipit mutationem, si verò ex abrupto, atque inconsiderate, imbecilli redditur animus, ac fluctuans, vt loco sistere nesciat; ac ad instar eorum, qui aduersa laborantes oculorum valetudine, palam non obsistunt aduerso soli, sed vmbrosa loca, opacosq; rerum colores appetunt, ac ab omni paulo excellenti colore abhorrent; tam egregium munus spernunt, abijciuntque. Ecce alius quidam Chius, inquit *Plut. de tranquill. anima*, atque item alius Galates, aut Bithynus, non contentus ipse, quod aut gloriam, aut Magistratum inter ciues adeptus sit, sed etiam (si Dijs placet) lachrymabunde expostulat nisi senatoria gestet. Hoc etiam vt dederis, nisi præturam gerat, atque vt hoc indulseris, nisi

nisi & consulatum. Denique consulatum addideris, pœnitenda omnia videbuntur, nisi renuntiatus huic quoque, quam primum fit. Hi mihi videntur, ait idem *Plut. in libello de ciuili administratione*, cum pœnitentia facti, tum vero mœrore animi maxime rei detrahere, quando aut assequendæ gloriæ spe adducti, postea in ignominiam incidunt, aut terrori se alijs futuros opum ingenti vi rati, demum periculosis ipsi negotijs impliciti perturbantur. Etenim qui vt sibi maxime conuenit, & rationis, & consilij ductu pulcherrimum reipub. gubernandæ negotium capessunt, nulla hos ab harum rerum proposito absterrere potest, nec pœnitet, nec piget cœptorum, vt retro cogitatione cogantur respicere.

29 Nec enim tanquam ad nundinas, & Lucella eundum est ijs, qui sibi gubernacula reipub. committi volunt. Quemadmodum Stratoclem illum, & Dromoclidem accepimus solitos se se mutuo ad messem auream inuitare: sic enim ioco tribunal, & curiam appellitare consueuerunt. Neque perturbatione commotum animi, atque affectu impulsum in administrationem reipub. euadere quenquam oportet, subitario vtique impetu, veluti numine raptum. Quemadmodum C. Gracco vsu venisse accepimus, qui sub recentem fratris calamitatem, à muneribus reipub. se se abdicauit, mox contumelia, maledictisq; percitus, aliquorum inflammatus ira, in munus publicum se rursus recepit, non multo post negotium fastidio, & honorum satietate affectus, eiusmodi onus, & Sarcinam ponere cupiebat, quietis, & otij inops. Ceterum id consequi ob magnitudinem contractæ iam pœnitentiæ haud potuit, vt inde ad extremum perierit. Qui vero æmulatione, ambitioneq; ducti, fingere se, atque histrionum in morem, ad spectaculum componere pergunt; hos rerum suarum tædium capiat demum necesse est. Quandoquidem, aut ijs, quibus imperitare cupiunt, seruire coguntur: aut hos, quibus obsequi maxime, & placere volunt, offendunt. Mihi quidem videtur eos mox cœpti pœnitere, & animo perturbari, qui se in aliquem puteum temerè, & ab re dimittunt: ijs vero rectè euenire, vt & rebus semper modicè, atque modestè vtantur, & nihil contingat, quod vlla eas molestia, & difficultate implicitos habeat, qui freti consilio per ocium non præcipites, sed ex instituto eò discedunt: quippe qui actionum omnium, atque vitæ totius finem honestum sibi constituunt, & proponunt, nihil præterea aliud. Hæc *Plut.* Magis est etiam secundum naturam pro omnibus gentibus (si fieri possit) conseruandis, aut iuuandis maximos labores, molestiasq; suscipere, imitantes Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocauit: quam viuere in solitudine non modo sine vllis molestijs, sed etiam in maximis voluptatibus: abundantem omnibus copijs, vt excellas etiam pulchritudine & viribus. Sic *Cicero lib. de offic. 3.* Præterea, humanis & eruditis hominibus, neque iucundum est magistratum gerere, neque difficile, teste *Dion. Chrysost. orat. 49. in prin.* Delectantur enim, ait id. nulla re magis, quam vt benefaciant. Magistratui autem ciuitatis aut gentis, aut etiam plurium hominum non solum facultas maxima est ad benefaciendum, sed fere etiam necessitas. Ergo non debet is deserere Magistratum, prout nec miles militiam.

Nec exempla in contrarium allata mouere nos 30
debent, pecorum ritu sequentes antecedentium gregem, & pergentes non qua eundum est, sed qua itur, aut plurimis inhærentes; Nam hinc exitus est omnis iudicij, inquit *Seneca de vita beata cap. 1. in fine*, in quo lis secundum plures datur. Sed quid nobis vere expediat considerare oportet; ita vt nec labor, nec imbecillitas, aut alia causa remouere quenquam debeant à suscepto gradu, dicente *Platone in epist. ad Archytam qua est. 9.* Mihi vero narrauerunt te molestè ferre, quod à publicis ciuitatis occupationibus te liberare non valeas. Quod igitur dulcissimum vitæ genus sit res suas gerere, præsertim si quis eas ita secum instituerit vt tu: omnibus ferè indubitatum est. Verum hoc etiam tibi omnino reputandum erit, nullum nostrum sibi soli natum esse: sed ortus nostri partem sibi, partem parentes, partem amicos. Multa insuper pro temporum diuersitate nobis accidere vitam nostram occupantia. Vocante te igitur patria ipsa ad rempub. gubernandam, absurdum forsan esset non parere, præsertim cum simul accidat, vt aditus prauis hominibus relinquatur, 31
qui nullam optimi rationem habentes proficiscuntur ad publica. Simillima huic est sententia *Philippi ex Stobeo sermone de Rege, & Magistratu.* Prudens a gerendo Magistratu ne se abducito: impium est enim se ipsum extrahere ab indigentium vtilitate, & commodis: & improbis cedere minime generosum. Stultum est enim malè gubernari, quàm bene gubernare. Æmulos tuos, inquit *Gabinius apud Dion. lib. 36.* contemne, quibus vt ægre facias imperium obtine, vt contra eorum sententiam imperans, illi molestia afficiantur. Et *lib. 39. idem Dion. de Pompeio*, loquens sic ait, *Deinde Marcellino interroganti ipsum in publico, num re vera consulatum expeteret, sperantiq; eum haud facile confessurum se Magistratibus adipiscendis studere. Bonorum*, inquit, *virorum Magistratu mihi nihil opus est. Sed propter turbulentos eos maxime peto.* Addo ego ignaui esse animi laborem effugere, Propositos rerum oportere stantes mori. Imperatores item, & Summos Pontifices noctes insomnes duxisse, ac semper insudasse, vt alijs quietem pararent, prout multis probatum est supra *glos. 3. cap. 1.* O praua, & inscia veræ maiestatis ambitio, concupiscere honorem quem dedigneris, dedignari quem concupieris, inquit *Plin. in Panegyr.* Potissimum cum in ea non inciderimus tempora, vt cum Tacito in Agricola dicere possimus, ipsum Tribunatus annum quiete & otio transegit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit, sed vt *Plut. ait de tranquill. animæ*, honor & gloriæ cum potestate iuncta suauem faciunt laborem, & facile exsudabilem. *Plin. Ep. 11.* causæ viuendi optima conscientia, optima fama, maxima auctoritas. Præterire quod mihi occurrit exemplum (inquit *Seneca de breuitate vitæ c. vlt.*) non possum Turanius fuit exactæ diligentiæ senex, qui post annum nonagesimum, cum vacationem procurationis à C. Cæsare vltrò accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem a circumstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finiuit ante tristitiam, quam labor ille suus redditus est. Quod sanè non sine ratione factum fuisse dicemus, si *Plut.* crediderimus, qui in eo libro cuius est inscriptio. *Num seni gerendæ*

33 *respub.* sic sparsim tradit. *Qui propter senectutem à
*Magistratu se abdicant, ijs omnibus humanitatis,*
*atque honestatis amor ceu extinctus abijcitur deponi-*
*turq; ijs rerum optimarum studium præ illorum, quæ*
*ad vitam subleuandam pertinent, cupiditate defatiga-*
*tum, ante tempus restinguitur. His actuosa, & diuinæ*
*illæ animæ partes præ corporeis istis, quæ promotioni-*
*bus, & affectibus agitantur, contemptiores, humilio-*
*resq; iudicantur. Hos vero si quis laudet, vt ab hone-*
*sto, quàm longissimè abest, ita quoque auribus turpia*
*illum loqui censuerim. Non enim propter incommoda*
*tantùm, senectus in turpitudinem venit, sed ciuili im-*
*perio sibi abrogato ad ignaua vitæ officia labi illum ne-*
*cesse est, & in gynecæum scilicet, aut in agrum se se*
*abdens, quid rerum messores &c.* Et paucis interie-
ctis. *Atqui iam cum vxore extra vllam culpam probè*
*multos annos vixit, & eam nunc propter senium repu-*
*diare studet, quod sibi scilicet tantum viuat, aut illa*
*repudiata pellicem in ædes adducit: non vides quâ ra-*
*tione se se à turpitudinis, & ineptitudinis vitio vindi-*
*care possit. Quantum autem voluptatis cumulum sup-*
*peditent honestarum actionum virtutes, publicarum*
*rerum administratio, propensus ad quoslibet iuuandos*
*amor, facile intelligent, qui ea, quæ à se in Magistra-*
*tu, & repub. facta sunt, tanquam in splendido, &*
*publico aliquo spectaculo contemplantur. Præter id,*
*quod ciuilem dignitatem consequi, & gloriam per*
*Magistratum adipisci haud promptum, & facile*
*est: verum, vbi ea fueris adeptus, vt incrementum*
*suscipiant, & quibuscunque initijs orta amplificentur*
*in promptu & facile est. In repub. gerenda quò lon-*
*gius, & diutius processeris, quo plures amicos, consodales*
*plures paraueris. Eos vero omnes, vt à scenico Magi-*
*stro chorus soles, simul producere non licet: relinquere*
*vero, & deserere ab omni æquitate alienum est. Ac vt*
*annosas arbores non facile licet euellere, quod radices*
*multas, & profundas iecerint: ita quoque Magistra-*
*tum, quem diu gesseris, deponere difficile est, cum tot*
*negotijs implicatus animus sit, quibus se se explicare*
*oppido quàm graue est: & perturbationes, & distractio-*
*nes longè maiores abeuntibus ab illo, quàm si in eo vi-*
*uere perseuerent, pariantur. Ea propter non decet*
*Rempub. gessisse, sed gerere eam par est: quemadmodum*
*conueniens est, non veritatem fassum esse, sed fateri,*
*neque iusta egisse, sed secundum iustitiam agere, neque*
*patriam, parentes, ciues amauisse, sed amare. Iam*
*si tibi pater mortalitatis expers Tithonus, atque is prop-*
*ter senectutis incommoda curatione in dies maiore opus*
*haberet: non arbitror te ab officio, quod iam aliquandiu*
*præstitisti velle recedere, aut curationem illius, quæ &*
*consolatione, & auxilio suscipitur, recusare posse. At*
*patria, quam vt nos à patre, ita Cretenses à matre*
*vocant, & senior multò, & plus iuris ac parentes in*
*te habet: quin etiam annis & senio grauis & misera,*
*nec sibi satis sufficiens est: verùm multa sedulitate, &*
*diligentia, frequenti auxilio, continuaque curatione*
*opus habet. Hæc est quæ virum in Magistratu ad se*
*rapit, & continet. Ad præclara saltem facinora, ad*
*quæ tantopere necessitas inuitat, hi tantùm, qui senio*
*ferè extincti sunt valent, leuia autem, quæ administra-*
*tione plena sunt, quæ plus negotij, quàm vtilitatis, &*
*necessitatis habent, honestè quidem senes recusare pos-*
*sunt. Quemadmodum Bucephalum iam senio confectum*
*Alexander, nisi necessitate coactus adfligere non sole-*
*bat, verum antequam prælium iniretur equis alijs exer-*
*citus lustrandi aciemque instituendi causa inuehebatur,*
*eisdem mox dato signo relictis, & ascenso illo hostibus*
*instare, periculum quoduis subire non recusabat: In*
*hunc modum vir, qui imperium ciuile habet se ipsum*
*gubernet, quæ vero tanta cura non egent, neque necessa-*
*ria admodum sunt relinquat, magna vero alacriter fa-*
*ciat.* Hactenus Plut. Non etiam sibi ipsi diffidere
debet, ac se in dies inhabilem magis in ipso mune-
re euasurum existimare; siquidem hoc signum non 34
mediocre est innatæ rerum omnium negligentiæ,
quæ vbi oborta est, ibi timorem quoque, & in
maxima etiam securitate diffidentiam oborire ne-
cesse est. Audentius itaque progrediatur, & ab
incepto opere non desistat, muneri pro posse inser-
uiens, nam & vires iam timore fractas vel reuoca-
bit, fouebitque vel præsentibus rebus vtens, igna-
ui, negligentisque culpam euadet, vel saltem
quemadmodum in naue temone iam fracto Guber-
nator conatur alia figere, & iuxta necessitatem
operi adaptare, licet male id possit donec ad por-
tum peruenerit, ita etiam Præses, vel Senator vi-
ribus animi, vel corporis diffidia, aut alia de causa
quodammodo fractis diligentiæ surculos saltem
adijciat, donec iter cœptum compleuerit. Om-
nis vita seruitium est, ait *Seneca de tranquil. animi*.
Assuescendum itaque conditioni suæ, & quam mi-
nimum de illa quærendum: & quicquid habet cir-
ca se commodi, apprehendendum est. Nihil tam
acerbum, in quo non æquus animus solatium in-
ueniat: Adhibe rationem difficultatibus: possunt
& dura molliri, & angusta laxari, & grauia scite
ferentes minus premere. Et vt Diogenes, cuidam
admonenti, vt iam senex à laboribus quiesceret, 35
rectè respondit. Quid si in stadio currerem, non
oporteret iam metæ vicinum cursum remittere, sed
magis intendere. His turpe existimans ab hone-
sto instituto refrigescere. Increpat Antiochum
quendam *Symach. ep. 41. lib. 8.* his verbis. *Nunc* 36
*primum honoris limen ingressus, nimis immatura ad-*
*uentum successoris expetis. Agnosco impatientiam*
*Græcis delicijs congruentem, à qua velim toto anni orbe*
*dissimules. Quid enim dignum conquestione perpessus*
*es? Præterea si susceptum munus deserere quis contien-*
*dat, vocationi suæ resistere videtur.* Contra ea, quæ
*cap. præcedenti* scripsimus.

Ad id autem, quod intrinsecas, latentesque cau- 37
sas, & animæ salutem diximus respicere, dicendum
est, quemquam ratione boni publici, quod parti-
culari est honestius, non debere se à suscepto mu-
nere retrahere, ex *S. Thoma 2. 2. q. 26. art. 3.* Nam
sicuti pars naturalis se habet ad totum naturale, sic
& pars politica ad totum politicum: sed pars na-
turalis se exponit manifesto discrimini pro toto
naturali. Ergo idem facere debet pars politica
pro toto politico.

Quare, licet Senator, vel Præses aliquid incom-
modi pateretur; illud nihilominus pro toto bono
publico tolerandum est. Qui enim nimis se sub-
trahit, & otium suum necessitatibus publicis non
præponit, charitatem vt ait *S. Thom. 2. 2. q. 85. art.*
*2.* procul arcet, atque negotium iustum deserit,
humilitatem, vt ait *S. Augustinus in ep. ad Eudos. 81.*
violat, atque obedientiam, quam præstare tene-
tur superioribus, contemnit, ex *D. Gregor. in Pa-*
*storali*, dicente, tunc ante Dei oculos vera est hu-
militas, cum ad respuendum, quod vtiliter subire
præcipitur, pertinax non est. Et *S. Thom. d. loco*,
sicuti ad inordinationem voluntatis spectat, vt

proprio motu se se vilis gubernandi periculis subdat, ita & eius prauitas est, superiorum iudicio & præcepto se subducere. Huic simillimum est illud *D. August. de ciuitate Dei lib. 19. cap. 19. Otium sanctum sic quærit charitas veritatis, vt negotium suscipere debeat necessitas charitatis. Publicam si nullus sarcinam imponat, præcipienda, atque intuenda est standum veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatis charitatem &c.* Suscepto igitur munere, & iam in itinere existente, eo minus licebit retrogredi, sed progrediendum est. Administrantium namque dignitas, & gubernandi opus adeo meritorium est; vt liceat pati aliquod detrimentum in profectu spirituali, negligendo perfectionem aliquam, ad quam non teneatur ex præcepto, cum sciat sua administratione se profuturum proximo, & reipub. etiam circa temporalia, vt probatur ex verbis *Apostoli ad Philipp. 1. Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo autem magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Quo loci vides Apostolum non curare carere beatitudine ad tempus propter proximi vtilitatem, & commune bonum. Huc pertinet quoque illud Sancti Martini. *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, & sexcenta his similia. Quoties igitur Præses, & Senator absque certo salutis spiritualis periculo administrare possit, non debet munus susceptum deserere.

Illud tandem potissimum erit animaduertendum
38 ijs, qui aliqua ex supracitatis, aut alia causa officio se abdicarunt, ne postea eos pœnitentia teneat, quoniam reliquum vitæ tempus illi genus mortis erit. Tunc enim illos & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor surrepit. Omniaque grauiora sunt, si odio infelicitatis operosæ ad otium profugerunt, & ad secreta studia, quæ pati non potest animus ad ciuilia erectus agendique cupidus, & natura inquietus, parum scilicet in se solatium habens: ideoque detractis oblectationibus, quas ipsæ occupationes discurrentibus præbent, domum, solitudinem, parietes non fert, inuitus aspicit se, sibi relictum. Hinc illud est tædium, & displicentia sui, & nusquam residentis animi volutatio, & otij sui tristis, atque ægra patientia: vtique vbi causas fateri pudet, tormenta introrsus egit verecundia, in angusto inclusæ cupiditates sine exitu se ipsæ strangulant. Inde mœror, marcorque & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent suspensam, deplorata tristem: inde ille affectus otium suum detestantium, quærentiumque nihil ipsos habere quod agant, & alienis,
& incrementis inimicissima inuidia. Alit enim li- 39
uorem infelix inertia: & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt prouehere. Hæc ex *Seneca de tranquil. animi cap. 2.* vbi alia plura. Huius rei exemplum petes à Turanio de quo supra paulò.

Adsunt quædam simulata, fictaque Magistratus
abdicationis signa in speciem recusantis quidem, 40
sed magis ambientis, aut flagrantissime cupientis, quibus vsus est Octauius Cæsar, non vt imperio se exueret, sed vt magis susceptum confirmaret; & quibus scimus etiam alios quosdam nostris temporibus vsos esse. Quod quidem artificij genus, an improbandum sit, vel probandum, nunc non est instituti nostri discernere, dicemus tamen cum Afro illo, *Age aliquid Didi, & reipublica causa labora*: is enim Didius Gallus prouinciam ambitiosissime petierat, ea deinde impetrata tanquam coactus quærebatur.

*FINIS.*

# INDEX MATERIARVM

## TOTIVS OPERIS LOCVPLETISSIMVS.

*Primus numerus indicat Glosam. Secundus Caput. Tertius numerum Capitis. Quartus Paginam.*



Ab-

ADIVTOR.



ADMINISTRATIO.



ADMINISTRARE.



ADMINISTRI.



ADMITTERE.



ADMISSIO.



ADMISSIONALES.



ADVENA.

AF-

BE-

Cau-

COMMODVM.



COMMODITAS.



COMPETITOR.



COMPONERE.



COMMVNIA.



COMPROMISSARIVS.



COMPROMITTERE.



CONCEDERE.



CONCILIVM.



CONCILIATIO.



CONCORDIA.



CONCORS.



CONDEMNARE.



CONDONARE.



CONFVSIO.



CONIECTVRA.



CONIVX.



CONSENSVS.



CONSILIVM.



Consi-

Cor-

Iani-

Iudi-

LI.

NOTARIVS.



NOTVM.



NVMERVS.



NVPTIÆ.



O

OBIVRGATIO.



OBLATIO.



OBLIGATIO.



OBSERVARE.



Obser-

Ordo

Ad

PRE-

PRI-

PRO-

RAINOLDVS.



RECEDERE.



RECVSARE.



RECVSATIO.



REDDERE.



REFERENDARIVS.



REFFERRE.



REGENS.



REGIMEN.



REIICERE.



RELATIO.

Sedet

Si-

TI-

FINIS.